Google

## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

# MEDITATIONES POLITICÆ

Iisdemq;
CONTINUANDIS & ILLUSTRANDIS
addita

# POLITICA PARALLELA.

XXIV. DISSERTATIONIBUS
ACADEMICIS
antehac expoſuit
JOH. CHRISTOPH. BECMANUS,
D. ET HIST. PROF. PUBL. ORD.
IN ACAD. FRANCOFURTANA.
*Addita ſunt DISSERTATIONES*
DE LEGE REGIA
*&*
DE QVARTA MONARCHIA.
*EDITIO TERTIA.*

FRANCOFURTI ad ODERAM excudi curavit
JEREMIAS Schrey/
LITERIS HEREDUM JOH. ERNESTI
ANNO MDCLXXIX.

Digitized by Google

GENEROSISSIMIS, [illegible]

STRENUIS, [illegible]

# DOMINIS,

## DN. FRIDERICO
## de JENA,

DOMINO in [illegible]

Auguſti atq; Potentiſſimi

ELECTORIS BRANDENB.

CONSILIARIO Status INTIMO,

## DN. JOHANNI
## Köppen/

Auguſti atque Potentiſſimi

ELECTORIS BRANDENB.

CONSILIARIO

Status INTIMO,

D[illegible]

GENEROSISSIMIS, MAXIME STRENUIS, EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS,

DN. FRIDERICO de JENA,

DOMINO in Wuſterhauſen/

Auguſti atq; Potentiſſimi
ELECTORIS BRANDENB.
CONSILIARIO Statûs INTIMO;

DN. JOHANNI Köppen/

Auguſti atque Potentiſſimi
ELECTORIS BRANDENB.
CONSILIARIO
Statûs INTIMO;

DN.

Digitized by Google

# DN. WERNERO
## WILHELMO Blaſpeil/
Auguſti atq; Potentiſſimi
ELECTORIS BRANDENB.
CONSILIARIO Statûs
Intimo, Ad Illuſtr. ac Præpot.
BELGII ORDINES,
Et nunc ad PACIS EUROPÆÆ negotia
LEGATO Splendidiſſimo;

# DN. FRANCISCO
## Meinders/
Auguſti atq; Potentisſimi
ELECTORIS BRANDENB.
CONSILIARIO Statûs ac Rei
Militaris Intimo,

## DOMINIS ac PATRONIS
SUIS MAXIMIS.



## BENIGNISSIMI DOMINI [illegible]

Uam gratam [illegible]
[illegible]
lætum hunc [illegible]
ut non [illegible] alterare, [illegible]
prelum [illegible]
alias commendari [illegible]
fateor, quo [illegible]
dior, eo magis me [illegible]
docere, ſcribere [illegible]
transferre, quod [illegible]
dem de ſe ſ[illegible]
ſit: Omnia mea [illegible]
ſervus inutilis ſum, [illegible]
mecum, exclamare. [illegible]
Terminos explicare & [illegible]
rum Quæſtiones gener[illegible]
quid hæc ad D[illegible]



Google

# Benigniſſimi Domini.

QVam gratiam Scriptis hiſce meis antehac feciſtis, eandem ipſis denuo exoratum veni; Soli enim ILLUSTRI Nomini Veſtro non lævum hunc eorum ſucceſſum transſcribo, ut non una alterave, ſed tertia vice jam ad prelum vocari oportuerit nullo ſuo merito alias commendari digna. Ingenue enim fateor, qvo longius in hiſce talibus progredior, eo magis me ſentire, qvam arduum ſit docere, ſcribere Politica: Neq; dubito huc transferre, qvod pius ille Senex non ita pridem de ſe ſuisqve publico ſcripto profeſſus fuit: Omnia mea mihi ſuſpecta eſſe, & ſervus inutilis ſum, patientiam habe mecum, exclamare. Et ſane facile eſt Terminos explicare & occaſione Terminorum Quæſtiones generales formare; Sed qvid hæc ad Divinam illam Prudentiam,

qva conſulendum eſt Humano Generi, ut ſingulis neceſſitatibus ſuis ſe expediat. Res Politicæ longe ſublimiores ſunt humili iſta ſcientia noſtra, & ſi verum eſt vetus iſtud, *Tantum ſcis, quantum operaris*, valde tenui, qvippe qvi procul Praxi Politica in ſubſelliis noſtris diem tranſigimus & ut alii operentur, ocioſe ſpectamus: Immo, dum Principem informare cupimus, ne nobis qvidem formandis ſæpe pares ſumus, qvod in alieniſſimis illis à vita civili moribus tot Academicorum claret; Et neſcio annon opprobrium iſtud, quod veteri Aſtronomo, cum ſtellas incaute ſpeculatum iret objectum fuit, juſtius auferamus: Nos cœleſtia h. jura Principum ſpeculari, ſed eorum incurioſos, quæ ante pedes obvia ſunt, in foveas incidere. Qvodq; deterius eſt, ex ingenio noſtro ſublimes iſtas animas ſæpe fingimus, unde crebri errores ipſaqve publico toties illata pernicies, prorſus ad eum modum, qvo B. Auguſtinus de Erroribus ſuis fatetur: *Imaginabar formas corporeas & ambulando ambulabam in ea, qua non ſunt neqve in te, neqve in me, neqve in*

*corpo-*

*corpore, neqve mihi creabantur à veritate tua, ſed à mea vanitate fingebantur ex corpore.*

Speraverim tamen non plane nullos fore fructus Laborum noſtrorum, & vitia docentium potius, qvam Doctrinam accuſaverim. Doctrina noſtra Academica, ſi conſiliis rerum præbendis impar eſt, nec qvid publice fieri expediat, paſſim præſcribere poteſt, ea tamen qvæ à ſapientiſſimis Rerumpublicarum moderatoribus præſcribi videt, ex Principiis Vitæ Rationalis ac Socialis demonſtrare conatur, eorundemqve memoriam, ut iterum conſuli, præſcribi poſſint, repetere valet. Imitantur Principes Summum Cœli Terræve Principem, qvi Terram, vaſtum illud Providentiæ ſuæ argumentum, Diſputationibus noſtris dedit, patiturqve ita exerceri Ingenia noſtra, fatigari qvoqve & ſæpe tranſverſa agi, nihil interea negocii hujus indigus, nullo etiam Nobilis hujus ſyſtematis commodo, qvod idem manet, qvicqvid ejus diſputemus aut ſtatuamus: Ipſam qvoqve ſanctiſſimam naturam ſuam Intellectui noſtro objicit, & qvamvis eam nec capiamus, ſæpe etiam minus

ndamus, non tamen ſibi operam, qvam per ipſam oſtram in gloriam ſuam, illi Divinæ Majeſtatis Vi-enerando charactere ſuo oſtros, ſatis ducentes ſi in-ium hũc fructum auferant, oq; in parendi gloriã verti. *em exbortatur, qvi in n præceptorum inopia, t animos, qvi adpecuni-qve curſu ruentes præſtat ſi nihil aliud, certe mora-to publicum negocium agit. lus militat, qvi in acie ſtat ctrum lævumqve defendit, ortas tuetur & ſtatione mi-ſa, non ocioſa tamen fungi-sq; ſervat & Armamentario miniſteria quamvis incru-n numerum ſtipendiorum ve* it alicubi Sapientiſſimus Senecã.

Sed



Ego interea ad [illegible] Scripta [illegible] fretus, qui Luce [illegible] liorum [illegible] dum res & [illegible] Potentiſſimi ELECTORIS [illegible] BURGICI, [illegible] culos in vos [illegible] gniſſimi Domini [illegible] diari, eſſe [illegible] quæq; à Vobis [illegible] porro date, [illegible] Luce donata eſſe, [illegible] bus me meosq; Vobis [illegible] novo augmento [illegible] porro in animum [illegible] in ſperabo [illegible] cleſiæ, Univerſitati [illegible] vinitæ.

PATRONI MAXIMI,

[illegible]

[illegible]

Ego interea ad novam lucem hæc Scripta voco ſolo magno Nomine Veſtro fretus, qvi Luce Veſtra quicquid eſt meliorum univerſi Orbis partium illuſtratis, ac dum res & conſilia Atlantis noſtri Europæi, Potentisſimi ELECTORIS BRANDENBURGICI, tractatis, omnium Bonorum oculos in vos convertiſtis. Patimini, Beniginſſimi Domini, Benignitate Veſtra ea irradiari, eſte illis Domini, Tutores, Patroni, quæq; à Vobis primo lucem accepere, iis porro date, quo vivant, genium. Ita verè Luce donata eſſe, & maxima Beneficia, quibus me meosq; Vobis æternùm obſtrinxiſtis, novo augmento cumulata prædicabo, meq; porro in animum veſtrũ benigne admiſſum iri ſperabo humiliter. Valete, ac Patriæ, Eccleſiæ, Univerſitati noſtræ diu ſuperſtites vivite.

PATRONI MAXIMI,

*Humillimus Cultor Veſter*

J. C. BECMANUS.

Digitized by Google

# CAPUT I.

## De

# NATURA POLITICÆ.

POlitices [illegible] Politicæ. [illegible]
Secularis cognitione. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
de Comparatione Politica [illegible]
[illegible] Politicus, [illegible]
[illegible]
[illegible]

I.

DE nomine POLITICES [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible], POLITICE [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Digitized by Google

# CAPUT I.

## De NATURA POLITICÆ.

*Politici nomen in Gallia factionis fuit: Definitio Politicæ: Politica occupata eſt in vitæ Socialis cognitione: Fuiſſe, qui potuerint ſine doctrina ad ſummum rerum Politicarum uſum venire: Libri Dogmatici in Politicis; Loci ſuſpecti in Machiavelli Principe: An è re ſit Libros ſcribi, quibus vitia hominum exhibeantur? Quid de Compendiis Politicis ſentiendum? Libri Hiſtorici in Politicis; Cur veteres recentibus poſtponendi? Quo ſenſu Juvenes non ſint Idonei Auditores Politicæ? Cognata Politicæ.*

I.

DE nomine POLITICES ejusqve cognatis omnia ab aliis prolixe ac perſpicue tradita: Illud non prætereundum, POLITICI nomen ſuperiori ſeculo in Gallia factionis fuiſſe, & à Seditioſis Regiarum partium & Pacis ſtudioſis attributum. *Thuan. L. LII. ad A. MDLXXII.* Et *L. XLIV. ad A. MDLXIIX.* cum de Lotharingica factione locutus eſſet: *Si qui ſunt*, ait, *qui ipſorum ambitioſis Conatibus ſe opponant, eos calumniis impe-*

*tunt & novo nec uſitato nomine* POLITICOS *vocant, & ſectariis pernicioſiores ac periculoſiores eſſe ajunt, &c. Tunc primum* POLITICI *nomen in odium tractum in monumentis rerum noſtrarum video, in quod poſtea* Concionatores *graſſante licentia ſupra modum debacchati ſunt, optimates Pacis, qua Religio & ſecuritas publica continentur, Studioſos eo notantes.* Confer eundem *L. XCV.* qvo inducuntur qvi aſſeruerint, *Zelotam*, qvod nomen factionis POLITICIS oppoſitæ erat, *ſi mentiatur plus gratiæ apud Deum mereri, quam* POLITICUM *ſi vera dicat.* Sicqve *Marc. Ant. de Dominis Hieromonarchicos* POLITICIS ſeu POLITICE-Catholicis opponit: Et ipſum *Thuanum* Catholici eapropter Hiſtoricum POLITICE-Catholicum appellare ſoliti fuerunt: Qva de re videndum Calumnioſum ſcriptum: *Joh. Bapt. Galli Notæ in Hiſtoriam Thuani, Et Scriptum Theologorum Moguntinorum adverſus Calixtum*: Sed quibus hic reſpondet *§. CXXXIV. Ergo habetis alios* Hildebrandice-Catholicos, *qui Hildebrandi de poteſtate in Reges & Regna divinitus tradita Doctrinam amplectuntur.*

II.

POLITICA eſt *Prudentia ſocialiter vivendi*; Clarius: *Habitus bene agendi in vita ſociali.* Eſt *Prudentia*, h. Habitus bene agendi: *Socialiter vivendi*, h. in conjunctione cum aliis; In diſcrimen ab Ethica & Oeconomica, quibus itidem Prudentia ineſt, ſed occupata in Satu Hominis non ſociali, ſed ſingulari, ſ. extra-ſociali: Et Politica cum

Ge

ſit Prudentia ſocialiter vivendi, Ethica eſt *Prudentia honeſte vivendi*, Oeconomica *Prudentia vivendi commode*.

III.

Occupata igitur eſt POLITICA in Societate humana, ſeu Vita Sociali. Ratio, quia in nulla Diſciplina de Societate agitur; In Politicis autem omnes Societates ſpeciales Minores, Majores tractantur; Eoque & Societati in genere ſuum locum ibidem eſſe oportet. Nihil eſt dicere 1. Excludi ita Princeps membrum, quod in Rep. conſiſtat. Reſpubl. enim non excluditur, ſed tantum univerſale objectum & Adæqvata Politicæ eſſe negatur: Adæqvatum enim eſt, quod non abundat alienis, nec deſtituitur ſuis; Reſpublica autem qua talis eſt, deſtituitur tota Cognitione Societatum minorum, ac proinde non poteſt exhaurire latifundium Politices. Speciale tamen & exqviſitum objectum erit, qvia reliquas Societates omnes antecellit, easqve comprehendere poteſt. Inſt. II. Societates minores hic non aliter ſe habere, ac partes conſtituentes futuram Remp. aut materiam, è qva Reſp. *formetur*. *Reſp*. N. Reſpublica enim ſine omnibus illis eſſe poteſt, quod olim exemplo inchoatæ Reip. Romanæ, & hodienum Reip. Eccleſiaſticæ apud Catholicos patuit. III. Societates minores referri poſſe ad Oeconomicam. Reſp. I. Scrupulum remanere de Collegiis & Corporibus. II. Nullam Societatem minorem eo pertinere, niſi quatenus privatis commodis

noſtris inſervit; Tota enim Oeconomia unicè hoc qværit, ut privatim nobis bene ſit.

IV.

Acqvirendam POLITICAM tria juvant omnibus habitibus communia, *Natura*, *Doctrina* & *Uſus*: Natura capaces reddit, Doctrina cultum addit, Uſus cultui complementum. Solam tamen Naturam ad ſumma rerum docere poſſe claruit in *Henrico Mommoranico* Galliæ Coneſtabili & in Septimania ſeu Langvedocia Prorege, de qvo *Gramondus* teſtatur: Ipſum non modo neſciviſſe Literas, ſed ne prima qvidem Elementa calluiſſe, *ut portento*, addit, *haut abſimile videri poſſit, Virum literarum penitus rudem ſolo naturæ genio ſummum rerum apicem aſſecutum, quem ambiguis temporibus tenuit, tanta laude, ut Aulicorum ætatu ſuæ Princeps fuerit, ſeu Natales, ſeu fortunam attendis aut dotes Animi.* Hiſtor. Gal. L. I. p. 51.

V.

Doctrinam Libri præbent, qvorum duo genenera, *Dogmatici* & *Hiſtorici*. *Dogmatici* Doctrinam Rebus geſtis vel gerendis applicant; *Hiſtorici* è rebus geſtis doctrinam præbent. Inter Dogmaticos in fronte collocamus priſcos *Platonem* & *Ariſtotelem*: Quorum hic doctrinam ſuam Exemplis à LXVI. Rerumpublicarum inſtitutis ac moribus petitis confirmavit, haut dubie ratus Politicam Exemplis non poſſe deſtitui; Qvem ſecutus noſtro tempore *Erycius Puteanus* *Civilis Doctrinæ Lineam* ſcripſit, qvo tres Politicorum Ariſto-

riſtotelis Libros ad perpetuos Aphoriſmos reduxit. Cæteri ſunt *Joh. Bodinus* Libris VI. de Republ. *Petrus Gregorius Tholoſanus* de Republ. Lib. XXVI. *Joh. Chokier* Theſaur. Aphoriſm. Polit. *R. Dallington* in Aphor. Militar. & Civil. *Verulamius* in Sermonibus Fidelibus, *Joh. Th. Sprenger*, in Axiomatibus Status, *Cyriacus Lentulus* in Aula Tiberiana, Principe Abſoluto, & Arcanis Regnorum, Trajanus *Boccalini* Relationibus ex Parnaſſo. *Didacus Savedra* de Idea Principis Chriſtiani, *Boxbornius* in Diſqviſitionibus Politicis, Aulicus Politicus *Duride Paſculo*, ſeu qvod proprium Nomen ejus eſt, *Eberhardi à Weihe*, qvi etiam nomine *Waremundi ab* Ehrenberg & *Mirabilis de Bona Caſa* alias innotuit; Et Proteum eapropter vocant J. Publ. Scriptores *Dan. Otto Diſſ. de Jur. Publ. c. X. princ. Goldaſt. de Jur. Regn. Bohem. L. VI. c. 18.* Immodeſtius Chriſtoph. ab Ungersdorf. Den naſſweiſen Hoff-Schulfüchſigen Doctor Edelman Eberhard Weihe cit. eod. *Goldaſt.* l. c. & ex eo *Carpzov. Diſſ. de Pact. Confrat. c. 1. num. 22.* Sed reſpondit Autor der Widerlegung Ungersdorfiſcher Erinnerung p. 139. Daß / ob ſchon Herr Eberhard Weyhe das gantze Römiſche Reich oder die von Ungersdorfen gerühmte groſſe Monarchie nicht regieret / ſo habe Er doch bey theils und unterſchiedenen Vornehmſten und Vornehmen Ständen des Reichs nun eine geraume Zeit dermaſſen die Regiment verſehen helffen / Directorium geführet und ſeinen Ort vertreten / daß weder Ungersdorf noch andere Mißgünſtige Ihme mit Warheit ichtwas ungebühr-

gebührliches werden nachzuſagen wiſſen, wird auch wol ins künfftige dabey bleiben. Seines Nahmens habe Er/weil er nichts unehrliches/noch ſchmähliches tractiret / keine Scham tragen dürffen / ſondern derſelbe iſt ex Modeſtia, und daß bißweilen etliche politiſche Regeln auff dieſen oder jenen / der die Warheit übel leiden kan / geduldet werden mögen / beyzuſetzen unterlaſſen worden. Item: Es defendire der Gern Herr Ungersdorf ſelbſt in ſeiner Verantwortung der Glückwünſchung p. 47. 48. Daß den Namen zu verſchweigen in den Schrifften nicht unrecht ſey/ un̄ von vielen heiligẽ Leuten aus Demut verſchwiegẽ oder verändert werden/ ſtehe auch einem jeden frey / vor den gemeinen Nutzen dergeſtalt diejenige / deren man zu recht nicht mächtig iſt/ mit ſeinen Pfeilen zuſchieſſen / und verweiſe endlich p. 51. Die Prædicanten / die Jhm Ungersdorfen zu kennen begehren / auff ſchimpffliche Nachforſchung bey ſeinem unbekandten Dorff und Nachbahrn. Paulum ante dixerat: Daß Er Eberhard Weihe ſelbſten in ſeiner Præfation Aulici Politici excuſire, daß Er des Methodi halber nicht curieus ſey/ offte ex propoſito tautologias begangen / auch nicht ſuperſtitioſe Leges Logicorum obſerviret, und gebethen/ daß niemand deßwegen das Büchlen ſcheuen oder haſſen wolte / würde ſolches auch niemand thun/ dem die Hofweiſe dißfals bekannt wäre &c. Et: Wann dieſer vornehme Man̄ in den Catholiſchen Hauſen gehörig wäre/ müſte man Jhn über alle Evangeliſche die jemahls in Rerum Natura geweſen / gleich ſeinem Bruno und andern ſeinen Herren Jeſuiten rühmen. *Arnoldus Clapma-*

[illegible]

VI.

[illegible]

*Clapmarius ſ. Clapmaier* Libris de Arcanis Rerumpublicarum, qui tamen an auguſtæ huic inſcriptioni reſpondeant, alius viderit, vel caſtigaverit. Si Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ *Arcana* in ſcholis nota ſunt & ab omnibus poſſunt legi, nõ ſunt amplius Arcana: Qvod eſt judicium *Magnifici Dn. de Jena* de Arcanis hiſce. *De Rat. Stat. Diſſ. III. Concluſ. IIX.* Ne dicamus ambigi poſſe de Clapmarii iſto ſcripto, an proprium ipſius fuerit? Ita modo laudatus *Waremundus ab* Ehrenberg *in L. de Subſidiis Regni & oneribus Subditorum: Cui mortuo* (Clapmarium indigitat) *nolo exprobrare quod pleraqve in dictis Libris mea ſibi vendicaverit: Quid enim ego in hiſce gloriæ & nominis quærerem*, vel piſtillum exornatum *curarem*? *Cum infiniti ſub aliena arbore legant fructum & alienam meſſem metant.* Conſulendus pluribus de Scriptoribus hujuſmodi Gabr. Naudæus *in Bibliographia Politica.* Feliciſſimè omnium in hiſce talibus videntur verſati eſſe Incomparabiles Viri *Hugo Grotius* Libris de Jure Belli ac Pacis, *Thomas Habbes* Libris de Homine, Cive &c. Et Cl. Puffendorfius, tum *Elementis Juris*, tum *Libris IIX. de Jure Naturæ & Gentium.*

## VI.

Ad Claſſem Scriptorum Dogmaticorum referendus & *Machiavelli Liber de Principe*, Scriptum non maximi quidem Ponderis, (nam de Machiavello jam dudum *Campanella* cenſuit, ipſum omnium ſcientiarum, excepta ſola Hiſtoria



Digitized by Google

Humana, fuiſſe imperitiſſimum notante *Voët. Vol. I. Diſp. p. 220.*) nec prorſus tamen inutile, inhumanius vero à plerisqve acceptum, qvia qvod alii obſcurius, ille comptiori Sermone pleniorique apparatu mundo exhibuit; Ita namqve à tempore Clementis IIX. usqve circa finem præcedentis ſeculi ab ipsâ Sede Romana in Indicem Expurgatorium conjici & prohibitis Scriptoribus annumerari oportuit: Præterea adverſarios naſtum. I. *Antonium Poſſevinum*, qvi judicium aliqvod de quatuor, uti vocat, Scriptoribus *Philippo de la Nue, Joh. Bodino, Philippo Mornæo & Nicol. Machiavello* juſſu Innocentii IX. P. M. conſcripſit, illudque poſt obitum ejus Romæ A. MDXCII. divulgavit, ac poſtmodum ex parte Bibliothecæ ſuæ inſeruit. II. *Innocentium Gentilletum*, qvi Autor creditur eſſe celebris illius Scripti, quod Anti-Machiavelli nomine circumfertur. III. *Thomam Bozium* L. de Imperio Virtutis. IV. *Petr. Ribade Neira L.* de Principe Chriſtiano. V. *Hieron. Oſorium* L. III. de Nobilitate Chriſtiana, cujus pariter ac Poſſevini judicium Editioni Machiavelli adnexuit *Cl. Conringius. VI. Stephanum Junium Brutum*, qvem alii Hottomanum, alii Mornæum eſſe putant *L. de Jure Subditorum adverſus Tyrannos.* Qvorum omnium opera non quidem ſine laude eſt, cum impietatibus ex abuſu Politicarum rerum tractis ſeſe maſcule opponant: *Machiavellum* tamen non videntur ſatis aſſecuti eſſe vel ferire, cum ſcripto hoc ejus vix quicquam talium contineatur.



[illegible] Ne [illegible] *Machiavellum* [illegible] niſſimo; Sic enim in [illegible] *Luca Trecaro* Celebris [illegible] Theologi [illegible] Scriptis Catholicis [illegible] abſtinuiſſet, [illegible] cognoviſſet. [illegible] eſſe indicio eſt, [illegible] refutet, cum ille [illegible] I. Capitibus [illegible] *gius*: Prorſus eodem modo [illegible] num non viſo tibi *Machiavelli* [illegible] centonibus Diabolicis [illegible] velli Principiorum: [illegible] nec nova, nec à *Machiavello* [illegible]

VII.

Cardo rei in [illegible] creditur. I. Quod Princi[illegible] ra eſſe *non bonum c. IV.* II. Quod [illegible] humanas non ſolum hominum [illegible] ribus, ſed fortuna quoque gubernari [illegible] rerum humanarum [illegible] Vid. iterum *Cl. Conringium L.* [illegible] Chriſtiano homine indignum [illegible] mine *Arcanam Dei Providentiam* [illegible] ac Salomon quoque perhibet [illegible] *Nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum,* [illegible] *pientium panem, nec doctorum divitias,* [illegible] *gratiam, ſed tempus caſumque in omnibus* [illegible]

neatur. Ne dicamus *Poſſevinum* ne vidiſſe quidem *Machiavellum*, quem refutavit, vitio ipſi familiariſſimo; Sic enim in Apparatu Sacro ſuo etiam *Lucæ Trelcatii* Celebris Reformatæ Religionis Theologi Synopſin Methodi Sacræ Theologiæ Scriptis Catholicis annumerat, quo ſine dubio abſtinuiſſet, ſi vel vidiſſet Scriptum, vel Autorem cognoviſſet. Machiavellum vero ipſi haut viſum eſſe indicio eſt, quod tres Libros ejus de Principe refutet, cum ille tantum unus ſit & exiguus XXVI. Capitibus conſtans: Quod obſervavit *Cl. Conringius*: Prorſus eodem modo, quo plurimi hodienum non viſo ſibi *Machiavello* inſultant conſutis centonibus Diabolicorum, uti vocantur, Machiavelli Principiorum: Quæ vere quidem ſunt, ſed nec nova, nec à *Machiavello* profecta.

VII.

Cardo rei in hiſce duobus potiſſimum verti creditur. I. Quod Principem aliquando requirat eſſe *non bonum c. IV.* II. Qvod agnoſcat res humanas non ſolùm hominum prudentia aut viribus, ſed fortuna quoque gubernari, quæ altera ſit rerum humanarum valida moderatrix *c. XXV.* Vid. iterum *Cl. Conringius l. ante cit.* Poſterius Chriſtiano homine indignum, niſi Fortunæ nomine *Arcanam Dei Providentiam* indigitet, æqve ac Salomon quoque perhibet Eccleſ. *c. IX. v. XI. Nec velocium eſſe curſum, nec fortium Bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, ſed tempus* caſumque *in omnibus*: Caſum,



Digitized by Google

Fortunam, h. Arcanam & in finem incertum atq; incognitum nos ducentem Dei providentiam: Ita enim Fortunam concipiendam eſſe alibi peculiari Diſſertatione oſtendemus; Et Machiavellum I. non aliud extra idem intellexiſſe in citato loco ſcripti ejus liquido claret. II. Hominum de arcana hac Dei Providentia præpoſteros conceptus idem Fortunæ nomine circumſcribit: Qvo ſenſu accipienda, qvæ adjicit: Fortunæ obviam eundum eſſe, & quæ huic ſimilia ſunt; Non alio fine, quam ut vanam de Providentiæ hujus rigore perſuaſionem indeque natam ſocordiam nobis excuteret, ne dum Fatorum ordinationi ineluctabili aut Fortunæ nimis immoremur, ordinaria prudentiæ media prorſum negligenda putemus. Priori *non bonum* quidem requirit Principem, ſed nec malum etiam, & virtuti adverſarium; Nec perpetuo, ſed rebus ita ferentibus, quibus non bonus, nec malus, ſed neuter ſit: Qvemadmodum privati nos etiam in foro, Conſiliis, obambulationibus abſtinemus Sacris, precibus, aut cantionibus, quia temporis ratio id exigit, eoque non pii ſumus, ſed tamen nec impii, verum neutri; Et neuter etiam, ſeu non bonus Princeps ſolum intuitu circumſtantiarum præſentium, & eorum, qvi interiora agentis non penetrant, judicio erit, cum interim reipſa in bonitate perſiſtat, ſed qvam inferiores non æque penetrando ſunt. Plura de hiſce talibus V. in ſeqq. qua Diſpenſationis Natura illuſtrabitur.

IIX. Ab



IIX.

Ab [illegible] non laudare [illegible] dem propendet, [illegible] Platonem, [illegible] mo non [illegible] tradunt non [illegible] ratur, ſed etiam [illegible] Sic Tacitum [illegible] & Neronis [illegible] qvam vivam imaginem [illegible] chiavelli [illegible] nophontem [illegible] confiteri, qui tamen [illegible] ter illos facere [illegible] Bellum [illegible] & noſtro tempore [illegible] & ex eo [illegible] Germanicis [illegible] Navem [illegible] cum Notis moralibus, & [illegible] indicat; Sicque & [illegible] Machiavellum ita legere poſſe [illegible] bium tamen, an vitæ humanæ ita [illegible] tum in vitia ſuapte inſtinctu propendere, [illegible]

## IIX.

Ab aliis prolixe annotatum, *Machiavellum* non laudare Tyrannidem aut Tyrannidis everſionem iniqvam judicare, ſed docere tantum, qvid ei agendum ſit aut omittendum, qui in Tyrannidem propendet, eoque ſequi ipſum Ariſtotelem, Platonem, Xenophontem, Tacitum, quorum nemo non Tyrannidem eſt deteſtatus, omnes verò tradunt non tantum, quid in laudabili ſtatu reqviratur, ſed etiam quid depravato ſtatui expediat. Sic Tacitum dum Auguſti extrema atque Tiberii & Neronis actus tam curioſe deſcribit, vix aliud qvam vivam imaginem Principum quaſi ex Machiavelli Schola prodeuntium exhibere: Et Xenophontem Popularem Statum deterrimum eſſe confiteri, qui tamen ad retinendum eum prudenter illos facere judicet, qui virtutibus omnibus Bellum indicunt. Non prorſus male: Sic enim & noſtro tempore *Navem Stultorum* condidit *Keiſersbergius*, & ex eo *Navem Narragoniam Sebaſtianus Brandt* Germanicis Rhytmis incluſam; *Jod. Aſcenſius* Navem Stultiferam Mulierum: Alius *Nebulonem Nebulonum* exhibuit; Angli Cantabrigienſes *Ignoramum*; Iterum alius Claus-Narrium, cum Notis moralibus, & quidem zur Bürgerlichen und Chriſtlichen Lehre / uti Titulus Libro præfixus indicat; Sicqve & *Schuppius* judicat *de Opin.* Se Machiavellum ita legere poſſe ut *Grobianum*. Dubium tamen, an vitæ humanæ ita conſulatur, cui, cum in vitia ſuopte inſtinctu propendeat, nova

occa-

Digitized by Google

occcſione per vivas velut imagines & exempla confirmari minime opus eſt. Solon certe cum Theſpin tragœdiam tunc primum in publicum edentem & agentem ſpectaſſet, eum mox ſub ludos convenit quæſivitque, ecquid ipſum puderet in tanta Corona tanta mendacia proferre? Et Theſpis cum indignum non eſſe reſpondere &. ea per ludum dicere aut facere, Solon terra graviter baculo percuſſa: At brevi, inquit, qui nunc probamus & amplectimur hunc ludum, reperiemus eum in Contractibus & negotiis noſtris. Qvam ſententiam & ſuam facit Doctiſſ. *Gentilletus præf. in Anti-Machiavellum.* Et Plutarch. in Vita Cimonis: *Illas quæ ex motu animi aliquo aut ex Reip. temporibus intercurrunt actionibus offenſas & vitia, non debemus nimium diligenter & ad amuſſim in ſcribendo proſequi, ſed tq. rubore capi ſortis humanæ, quæ nihil boni ſincerum, neque mores ad virtutem edat inculpatos.* Confer, *Sciopp. de Stil. Hiſtor. p. 250. & ſeqq.*

IX.

*Diſceptationes Scholaſticas* circa negocia hæc vicaria opera legi ſatis eſt, qvia Argumentis univerſalibus tantùm nituntur citra reſpectum ad futurum aliqvem uſum eorum. *Compendia Politica* eadem conditione ſunt, quia non niſi prægustum aliquem terminorum ſuggerunt, Documentis interim ſufficientibus, quæ uſum rerum & modum agendi edoceant, deſtituta. Simili ſorte ne magna pars *Inſtitutionum, Syſtematum, Idearum* veniat, metuimus: *Silvæ* etiam aliquando conditæ, ſed



tæ, ſed caducæ, quas [illegible] non vetet. Confer [illegible] cap. VI.

X.

In Scriptoribus H[illegible] [illegible] cenius. Veteres [illegible] mam partem [illegible] I. Quia perlegi [illegible] ris ætate & [illegible] tironibus relinqu[illegible]. II. Qui [illegible] hoſce docendos [illegible] maticum ipſorum [illegible] Prudentiæ fructu: Quod [illegible] Machiavello judice: [illegible] tur. L. III. de Lege. c. III. [illegible] eſſe inter Græcos: [illegible], [illegible] num, Scriptor Veteris Be[illegible] ſententiis, quique primum H[illegible] manum ſcribendæ exempl[illegible] Q[illegible] lus V. tanti fecit, ut nunquam [illegible] quin aliqua ejus legeret; Tam H[illegible], tam Imperatorum ab obitu Marci [illegible] usque exhibuit. Inter Latinos [illegible], [illegible] Cæſar, Suetonius, Florus, Tacitus, [illegible] recentiorum Forſteri, Sprengeri [illegible] vecotii & aliorum re[illegible]ectionibus [illegible] redditi. E recentioribus indi[illegible] Phil. Comineum de Reb. Geſtis Caroli IIX. & [illegible] XI. qua Hiſtoria etiam Carolus V. [illegible]

Digitized by Google

tæ, ſed cæduæ, qvas foco parando adhiberi religio non vetet. Confer *Verulam. de Augm. Scient. L. II. cap. VI.*

X.

In Scriptoribus *Hiſtoricis Veteres* ſunt *ac Recentes.* Veteres licet præſtantiſſimi ſint, maximam partem tamen minus proſunt. Cujus cauſæ: I. Qvia perlegi & revolvi non conſueverunt à Viris ætate & judicio maturis, ſed pueris tantum & tironibus relinqvuntur. II. Qvia pleriqve, qvi hoſce docendos ſibi ſumunt, non niſi uſum Grammaticum ipſorum inculcant ſine aliquo civilis Prudentiæ fructu: Quod notavit Gentilis, ubi de Machiavello judicat: *Ipſum hoc habere quod in Lectione Hiſtoriarum non Grammatizet, ſed Philoſophetur. L. III. de Legat. c. III.* Selectiores videntur eſſe inter Græcos: *Thucydides, Tacitus Græcorum*, Scriptor Veteris Belli Peloponeſiaci, denſus ſententiis, qviqve primum Hiſtoriæ ad uſum humanum ſcribendæ exemplum dedit: Qvem & Carolus V. tanti fecit, ut nunqvam cubitum iret, quin aliqua ejus legeret; *Tum Herodianus*, qvi Vitam Imperatorum ab obitu Marci ad Gordianos usqve exhibuit. Inter Latinos noti ſunt, *Livius, Cæſar, Svetonius, Florus, Tacitus*, prudentiſſimis recentiorum Forſtneri, Sprengeri, Lentuli, *Ze*vecotii & aliorum relectionibus jam inſtructiores redditi. E recentioribus indicamus, inter Gallos *Phil. Cominæum de Reb. Geſtis Caroli IIX. & Ludovici XI.* qva Hiſtoria etiam Carolus V. maxime dele-

ctatus

ſtatus fuiſſe dicitur. V. *Thuan. ad A. MDLII. L. XXI.* Ipſum *Thuanum* in Hiſtoria ſui temporis. Barth. Gabr. Grammondum *Hiſtor. Rer. Gallicarum*; Benjamin Priolum *de Rebus Gallicis ab Exceſſu Ludovici XIII. Hiſtoriarum Libris XII.* Ex Anglis *Verulamium in Vita Henrici VII.* Ex Italis *Petrum Suavem Polanum* in Hiſtoria Concilii Tridentini: Qvem unicum Seculi Noſtri Hiſtoricum agnoſcit Grotius: *Albertinum Muſſatum* de Rebus Geſtis Henrici VII. Imp. *Eundem* in Ludovico Bavaro ad Filium. E Belgicis *Famian. Stradam* de Bello Belgico, *Guidonem Cardin. Bentivoglium* de Bello Flandrico &c. Qvo referimus Actorum Publicorum Scriptores, qvales *Goldaſtus, Hortlederus, Lundorpius* de Rebus Germanicis; In Anglicis, *Cabalaſ. Scrinia Sacra*, opus ſumme Politicum, de negociis Status ſub Rege Henrico IIX. Elizabetha, Jacobo & Carolo I. *Lond. MDCLXIII. fol.* In Gallia, *Les memoires du Mornay, Lettres au Cardinal d'Oſſat* &c. Miſcellanea variarum Rerumpublicarum videre eſt *in Theatro & Diario Europæo, Trutina Statuum Europæ, Philippi Honorii Praxi Prudentiæ Politicæ, Threſor Politique &c.* Qvos omnes veteribus ideo anteferimus, qvia res tempori noſtro propiores eoq; notiores & uſui aptiores tradunt, non autem qvod revera novi aliquid inculcent; Perpetuæ enim Veritatis eſt illud: *Nihil novi ſub Sole*: Et luditur nunc eadem fabula, quæ olim, eædemque virtutes atque eadem vitia repræſentantur; Tantum perſonæ mutatæ ſunt, ſed

quæ

quæ doctum & prudentem ſpectatorem deſiderant.

XI.

Politicæ diſcendæ omnes homines, Juvenes pariter ac Senes æqve capaces ſunt; Uſurpandæ ſoli Senes ſeu provectioris ætatis homines. Ratio I. Qvia Juvenes experientia & uſu rerum carent, qui in politicis requiritur. II. Quia iidem ab affectibus immunes non ſunt. Qvæſtionem in Scholis agitatam, *An Juvenis ſit idoneus Auditor Politices*, Verborum paucitas potius, quam Rerum ipſarum Natura peperit. ὀικεῖος ἀκροατὴς enim apud Ariſtotelem, quod idoneum Auditorem reddiderunt, non ſignificat *Auditorem diſcentem*, ſed judicii maturitate jam imbutum ſeu utentem: Quemadmodum ſimili loquendi modo Libros *Acroamaticos* conſignavit, qui non pro incipientibus, ſed iis eſſent, qui judicio pleniori jam uti ſciant: Quibus & *Exotericos* opponit, h. non ſubtiliter adornatos, ſed cujusvis etiam incipientium captui accommodatos. Sicque recte negantur Juvenes idonei Politicæ Auditores eſſe, non ut ideo diſcenda abſtineant, ſed ut ea tanto ardentius perfici deſiderent. Vulgo Diſtinctione inter Juvenem Ætate & Juvenem moribus rem expediunt; Sed minus ſolide. Ratio iſta enim perpetuo militat de defectu Experientiæ & exceſſu affectuum, eoque Juvenes ætate pariter ac Juvenes moribus complectitur.

XII.

Cognatum *Politicæ eſt Jus Gentium*, A qvo nec

discrimen ejus, quam quod eſt inter
nitam, atque ipſam hujus cognitionem,
præſentans & Repræſentatum: Quemad-
nec alia ratione Theologia à S. Codice
Diſcrimen *Politicæ* ab Ethica & Oecono-
m §. II. redditum: *Politicam* nempe verſa-
atu hominis ſociali, *Ethicam* & Oeconomi-
ejusdem Statu ſingulari; Et *Ethicam bene-*
*Oeconomicam commodam vitam* homini pro-
e; Seu *Ethicam* efficere, ut homini *intrinſe-*
*Oeconomicam* eidem, ut *extrinſecus* bene ſit.
*re Civili & Publico* differentia eſt, quod Poli-
tradatur Jus commune omnium Societatum
licarum, & Privatarum; Illis vero certo Rei-
l. Statui proprium; Idque iterum cum hoc
rimine, ut Jus Publicum tractet ea, quæ ipſi
p. & Statui Publico conducunt, Jurisprüden-
Civilis autem Jus Privatum Subditorum. Con-
*§. 2. ff. de J. & J.* In ſtatu comparato *Politicam*
*hica* præſtantiorem eſſe judicamus, quia tendit
l conſervationem Formæ amplioris: Societas
nim amplius quiddam eſt, eoque dignius ſingu-
ari homine. Confer *Verulam. de A. S. L. VII. c. 1.*
Pluribus materiem hanc de Natura Politices tra-
ctarunt Cl. Coringius *in Propolitica, L. de Civili
Prudentia & Introduct. in Politicam Ariſtotelis.* Item
*Scioppius in Pædia Politices*, Gabr. Naudæus *in Bi-
bliographia* Politica, Chriſtophorus Colerus *de Stu-
dio Politico*, Jac. Bornitius *de Prudentia Politica
comparanda*, Joh. ab Aſſelen in *Viro Politico &c.*

CAP. II.

# CAPUT

Dε

# JURE GEN

*PRimum & Univer[illegible] Pr[illegible]
Juris Gentium [illegible]
lium Principiorum J. G. [illegible]
ejus illuſtratio: [illegible]
tium? [illegible]
Quid alii hac de re [illegible]
apud omnes [illegible]
Rami Juris Gentium: [illegible]
turaſit? [illegible]
da? [illegible] J. G.*

I.

PRincipium POLITICÆ [illegible]
TIUM; Prin[illegible]
quod omnia Dogmata [illegible]
eſt: *Rem [illegible]*
enim atque homines neceſſ[illegible]
tum Socialem, obſervatur [illegible]
quæ Bonum univerſale [illegible]
Quæ deinde uno nomine *Jura G[illegible]*
runt, q. quo Jure omnes Gentes

II.

Hinc à Juris Interpret[illegible]
cumſcriptum: *Quod natura[illegible]*



Digitized by Google

# CAPUT II.

## De

# JURE GENTIUM.

*Primum & Univerſale Principium Politicæ: Juris Gentium Circumſcriptiones: Specialium Principiorum J. G. ex univerſali conceptu ejus illuſtratio: Quid præſtet ipſi conſenſus Gentium? Quomodo ſe habeat reſpectu Juris N. Quid alii hac de re opinati ſint? Jus Gentium apud omnes eſt idem, perpetuum, immutabile: Rami Juris Gentium: Jus puniendi an J. Naturæ ſit? Quorſum Emphyteuſis & ſ. referenda? Aliorum diviſiones J. G.*

I.

Principium POLITICÆ eſt JUS GENTIUM; Primum ſiquidem Principium, in quod omnia Dogmata Politica reſolvuntur, eſt: *Rem congruere cum Vita Sociali*: Statim enim atque homines neceſſitas induceret ad Statum Socialem, obſervarunt Jura aliqua enaſci, quæ Bonum univerſale omnium concernerent: Quæ deinde uno nomine *Juris Gentium* appellarunt, q. quo Jure omnes Gentes uterentur.

II.

Hinc à Juris Interpretibus Jus Gentium circumſcriptum: *Quod naturalis ratio inter omnes ho-*

*mines conſtituit, & apud omnes peraque cuſtoditur:* Item: *Quo Jure omnes Gentes utuntur* §. 9. *ff. de J. & J.* Et ratio addita: *Nam uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt.* §.2.*Inſt.de J.N.& Gent.* Unde recentiores: *Grotius de J.B.L.*1.14. *Jus* Gentium eſſe, Quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit. Clarius *Weſenbec. Par. ad ff. de J. & J.* *Quod ex ratiocinatione commodorum vitæ & Societatis à ſapientibus multo rerum uſu variaque doctrina veſtigatum, excultum & introductum in omnium gentium uſum pervaſit & propter evidentem utilitatem ab omnibus peraque cuſtoditur.* Brevius alii: *Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit uſu exigente & humana neceſſitate.* Confer *de Roy De eo quod juſtum eſt. L.*1.*Tit.IV.* Quæ omnia in ſummam hanc breviſſime contrahi poſſe putamus: *Jus Gentium eſſe Conformitatem cum Vita Sociali.* Et *Conformitatem* quidem, quoniam inclinatio noſtra in illud tendit: Quod enim à nobis diſcrepat, in id nulla inclinatione ferimur: *Cum Vita Sociali*, h. dum cum aliis conjungimur; Extra hunc Statum enim Juri Gentium nullus locus eſt; Et homo etiamſi ſingularis eſſet, humana neceſſitate quidem premeretur, ſed nullo Juris Gentium Principio uti poſſet, Unde nec neceſſitas humana ibi aliter intelligenda, quam quoad Socialem Vitam exigit.

III.

Itaque ex *hoc Jure Gentium introducta Bella,*

*diſcreta*

*diſcretæ Gentes, Regna condita, Dominia diſtincta, Agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ l. 5. ff. de J. & J.* Quorum omnium cauſa univerſalis ſita in ratiocinatione commodorum vitæ Socialis, i. quia congruunt cum Vita Sociali. Ideo enim Bella ſuſcipimus, quia Societati noſtræ bene eſſe, illamque ab aliorum injuriis liberam eſſe volumus: Dominia diſtincta ſunt, ne qua confuſio Societatum oboriatur: Termini poſiti eandem ob cauſam: Commercia inſtituta, ut commodis vitæ conſulatur: Cæterorum ſimilis ratio; Et ipſa Servitus Jure Gentium invaſit *princ. Inſt. de libert.* Quia Societatibus non poterat bene eſſe, niſi operâ Singulorum aliquando ſublevarentur; Nec ſingularibus perſonis aliquibus bene eſſet, niſi operam ſuam aliis locarent.

## IV.

In Conſenſu Gentium vel omnium vel plerarumque & moratiorum qui ſitum putant J. G. non prorſus male quidem agunt, ſuum tamen fundamentum in conformitate cum Natura ſociali quærere habent. Nam ſi ſolus conſenſus Gentium ſufficeret nulla alia ratione fultus, jam obtineret, quæ aliquos multos habet perſvaſio: Jura ex mera opinione ita vel aliter ſentientium enata fuiſſe; Quomodo jam priſci Pyrrho & Ariſto opinati fuerunt, & Carneades, cum contra Juſtitiam Romæ diſputaret, nullum eſſe Jus Naturale,

ſed homines pro utilitate ſua ſibi jura ſanxiſſe contendit. V. *Rittershuſ. ad Inſt. de J. N. & G.* Ac proinde Gentes ideo in ejuſmodi res, contractus, ſervitutem, Dominium & ſ. conſenſere, qvia Societatem non aliter conſiſtere poſſe ratæ ſunt, ſeu verbis noſtris, qvia congruere cum Natura Sociali [illegible]erunt. Ipſæque Barbaræ Gentes Americanæ, cum primum detegerentur, hiſce talibus deſtitutæ non eſſe inventæ ſunt, quia ipſæ quoque ſenſerant, Societatibus ſuis iis opus eſſe.

V.

Cauſa itaque Juris Gentium *Indigentia humana*; Sed *προκαταρκτική*, ſeu extrinſecus movens: Intrinſecus movens & *προηγουμένη*, eſt *Amor noſtri*, quo quoniam in omne illud ferimur, quo conſervemur, perficiamur, & ampliemur, in conformitatem cum Vita Sociali quoq; ferimur, cum aliunde imperfectioni noſtræ conſuli nequeat, quam ſi aliis adjungamur, ſeu Vitam vivamus Sociam. Conſenſus Gentium nihil addit, niſi ut præſto eſſe indicet: Quo ſenſu & *H. Grotium* intelligimus *J. B. l. 1. §. 4. Probari Jus G. ut civile non ſcriptum, uſu continuo & teſtimonio peritorum.* Hoc eſt à Poſteriori, ut cauſa per ſuum effectum, non autem à priori q. effectum per cauſam.

VI.

Quod porro autem JURI Gentium Eſſentiale videtur, eſt ipſum *Jus Naturæ*, tanquam univerſale quidpiam aut generale hoc ceu particulare ſub ſe comprehendens. Jus Naturæ enim veluti



veluti conſiſtit in [illegible] pirati noſtra, [illegible] li, ita mirum non eſt [illegible] & Rationis in [illegible] Atque adeo dum [illegible] conformes [illegible] Juris Na[illegible] nomen retinet, [illegible] Societate vivunt [illegible] cupiat, eoque [illegible] plicari, deinde [illegible] nimirum perpet[illegible] nes morales [illegible] Sociales vero [illegible] quentiam & [illegible] gruere cum vita ſociali [illegible] Jus Naturæ per Reg[illegible] lation[illegible] reducendam eſſe. [illegible] ræ Rationalis [illegible] qvia Naturam Rationalem [illegible] habet; Vel quia eadem [illegible] Hoc modo fit Jus Gentium, per con[illegible] demum ad J. N. trahendum [illegible] ita dictum permanet.

VII.

Senſerunt hæc nob[illegible] cum Naturæ Rationalis dictata [illegible] tibus & qua homines ſunt, & [illegible] tate vivunt obſervanda viderent. [illegible] Juris Gentium nomine appellarunt. [illegible] Jus Gentium primævum, alterum ſecunda[illegible]

veluti conſiſtit in dictamine Rectæ Rationis, ſeu phraſi noſtra, conformitate cum Natura Rationali, ita mirum non eſt, ſi reſpectu Objectorum Rectæ Rationis in varietatem aliquam diffundatur; Atque adeo dum iſthic Actiones ſingulorum ſibi conformes exigit, ſicque Juris Naturæ in ſpecie nomen retinet, hic actiones eorundem prout in Societate vivunt eodem modo ſibi accommodari cupiat; eoque ratiocinia ſua primò Societati applicari, deinde ad ſe transferri dictitet. Manente nimirum perpetuo hoc diſcrimine, qvod Actiones morales ſingulorum immediate ad ſe trahat; Sociales vero non niſi mediate, ſeu per Conſequentiam & præſuppoſito, Actionem talem congruere cum vita ſociali, Atque tunc demum ad Jus Naturæ per Regulas Juſtitiæ & prohibitam læſionem reducendam eſſe. Seu clarius: Naturæ Rationalis præcepta facienda ſunt, vel ideo, qvia Naturam Rationalem perſona quæ obligatur habet; Vel quia eadem Statui Sociali alligatur; Hoc modo fit Jus Gentium, per conſequentiam demum ad J. N. trahendum; Iſto Jus N. in ſpecie ita dictum permanet.

VII.

Senſerunt hæc nobiliſſimi JCtorum, ideo cum Naturæ Rationalis dictata ab omnibus Gentibus & qua homines ſunt, & quatenus in Societate vivunt obſervanda viderent, ambo genera Juris *Gentium* nomine appellarunt, atque prius *Jus Gentium primævum*, alterum *ſecundarium* dixe-

rimo hominis ſtatui mox con-
laturam Rationalem ſequens,
ceſſerit ſecutâ ſocietate: Seu
m primævi Principia particu-
*è honorandos, Deum colendum*
equentia ex Natura Rationali
*edendus, vel ſuum cuique tribuen-*
1 autem ſecundariâ & remotâ
e pendeat, ut Dominia diſtin-
ractus faciendos eſſe, quia Status
paretur, & hoc demum, quoniam
e nec integrum nec illæſum ma-

IIX.

item hanc utriusque Juris ita im-
rorſus eadem eſſe, nec diſcrepare
lint: Sic *Cl. Autor Elem. Juris L. I.*
*& ſeqq.* I. *Ea quæ de Jure N. & ſin-*
*raduntur facile poſſe applicari ad ci-*
*tegras, quæ in unam quoque perſo-*
*uerunt.* Reſp. Non controverti,
ta à perſonis ejusmodi morali-
am membris in perſonas tales
*ri debeant? Sed, an unice, &*
*non præter iſta aliis ſtandum*
*indigentiæ noſtræ immedia-*
*ndum affirmamus. II. Ple-*
*Romanos, aliosque ad Jus*
*, quædam circa modos ad-*
*, vel ad Jus Naturæ per-*
*tinere,*



*tium, vel ad jus* [illegible]
[illegible]
[illegible]
*conſuetudinis* [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
diſquirendum eſſe, [illegible]
ſim in placita [illegible]
demus, id [illegible]
haut aliter conſ[illegible]
tint. Jus Genti[illegible]
eſt, de quo in ſeqq. III. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
bigi, quin Modorum ali[illegible]
atque alterius Reip. [illegible]
ipſum rationis loco valere, [illegible]
genit, poſſe aliquem ob [illegible]
ſuetudinibus ejuſmodi obligari, [illegible]
Socialis plane laceretur, nihil [illegible]
ponat defectibus ſuis. IV. *Legamus* [illegible]
*dus, quod ibidem* [illegible]



Digitized by Google

*tinere, vel ad jus civile ſingularum gentium, quod iſtis in rebus cum legibus civilibus plurimorum populorum coincidit. Ex iis tamen peculiaris juris ſpeciem nō recte conſtitui, quippe cum iſta jura gentibus inter ſe ſint communia non ex aliqua conventione aut obligatione mutua, ſed ex placito peculiari ſingulorum legislatorum in ſingulis civitatibus conſtituto, quæque adeo ab uno populo inconſultis aliis mutari poſſint, ac ſæpe numero mutata deprehendantur.* Reſp. Eo ipſo jam diſqvirendum eſſe, quî ſinguli Legislatores ſeorſim in placita ejuſmodi inciderint? Cui nos reſpondemus, id factum, quod neceſſitatibus humanis haut aliter conſuli, vel Vitæ Sociali bene eſſe viderint. Jus Gentium enim apud omnes æq; notum eſt, de qvo in ſeqq. III. *Nomine Juris potiſſimum venire conſuetudines circa bellum tacito conſenſu quodam uſurpari ſolitas: Quales exemptiones certarum rerum & perſonarum à vi bellica, modum nocendi hoſtibus, modum tractandi Captivos & ſ. Cum tamen ſiquis juſta gerat bella, ſolo naturæ jure ea regere poſſit, nec ullo jure ad iſtas conſuetudines niſi ſponte ob commodum aliquod ſuum teneatur.* Reſp. Non ambigi, quin Modorum aliqui ex conſtitutione unius atque alterius Reip. fluant; In reliquis vero, illud ipſum rationis loco valere, quod Autor nobis ſuggerit, poſſe aliquem ob commodum ſuum Conſvetudinibus ejuſmodi obligari, h. ne, dum Status Socialis plane laceretur, nihil ſuperſit, quod opponat defectibus ſuis. IV. *Legatos non eſſe violandos, quod itidem unum ſit è præcipuis Juris Gentium*



Digitized by Google

*capitibus, ex J. N. fluere. Cum enim ejusmodi perſonæ ſint neceſſariæ ad Pacem conciliandam aut ſervandam, quam ipſum jus naturæ omnibus modis honeſtis amplecti jubet, utique intelligitur etiam idem jus cavisse ſecuritati earum perſonarum, ſine quibus finis ab ipſo præceptus obtineri nequit.* Reſp. Fluere id tamen immediate ex J. G. quia ſocietati aliter bene eſſe nequit, quam ſi perſonæ tales ſalvæ ſint, qui conjungendis ſingulorum animis operam navant: Id vero, quin deinde ex tranquillitate à J. N. porrecta fluat, tantum abeſt, ut dubitemus, ut progreſſum ejusmodi à J. G. ad J. N. perpetuo inſtituendum eſſe, jam ante ipſi notaverimus. Egitque & Ingenioſiſſimum *Hobbes* materies hæc transverſum. Ideo Juris N. & Gentium præcepta promiſcuo Juris Naturæ nomine comprehendit *de Cive II. & III.* Quia tamen argumenta ejus rei non affert, ſatis fuerit, ſi factum indicaverimus, hoc tantum addendo, Jus Naturæ nihilominus ab ipſo vocari Dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda ſunt ad vitæ membrorumque conſervationem, quantum fieri poteſt diuturnam. *cit. C. II. §. I.*

IX.

Alii complura congeſſerunt, quibus utrumque Jus diſcernerent, non tamen æque congrua. *Ut: I. Jus N. à Deo eſſe, ſeu divina providentia, J. G. ab hominibus ſ. humanum & poſitivum.* Reſp. Negando utrumque; Ambo enim fluunt ex Natura Rerum. Tangiturque proprie hic nobiliſſima omnium



tenium moralium Quæſtio: [illegible] bonæ ſint, quia Deus voluerit, [illegible] Deus [illegible] luerit, quia bonæ eſſent? [illegible] ſummus, probari [illegible] II. [illegible] Gentium [illegible] *malum*: J. N. [illegible] *& ſola natura* [illegible] Juris N. & J. G. [illegible] Gentium itidem [illegible] homines voluerint [illegible] id congruat cum Vita Sociali. III. [illegible] *naturalem*. IV. J. N. [illegible] *ſolumque* [illegible] *tem G.* [illegible] *mune.* Quorum [illegible] Nobis iterato [illegible] ſatis eſt, [illegible] & ſinimus, ac poſuiſſe Jus Naturæ [illegible] Jus G. nullum ſecuturum [illegible] potuiſſet eſſe, non ſalva Societate.

X.

Fit etiam ſæpiſſime, ut Jus Naturæ [illegible] actibus circa rem, quæ eſt Juris Gentium [illegible] diate inſinuet, haud dubie ob [illegible] ctionem ipſius Naturæ Rationalis & Socialis [illegible] in furtis, quæ Juri Naturæ ſubjacent, [illegible] quisque quod ſuum eſt retinere, nec [illegible] lædi debet; Et tamen furta fieri nequeunt ſine Diſtinctione Dominiorum, quæ Juris Gen-



Digitized by Google

omnium moralium Qvæſtio: Utrum res morales bonæ ſint, quia Deus voluerit, an Deus illas voluerit, quia bonæ eſſent? Quorum poſterius affirmamus, probationem aliò reſervaturi. II. *Jus Gentium jubendo aliquid facere Bonum & prohibendo malum: J. N. inferre neceſſitatem rei præceptæ ex ſe & ſola natura Rei, quæ vel mala ſit vel bona.* Reſp. Juris N. & J. G. eandem eſſe rationem, atque Jus Gentium itidem inferre neceſſitatem, non quia homines voluerint, ſed ex natura rei, ſeu quoniam id congruat cum Vita Sociali. III. *Illud non poſſe eſſe tam immutabile, quam hoc conſtans ex principiis naturalibus.* IV. *Jus N. in univerſalitate & communitate apud omnes gentes commune eſſe omnibus, ſolumque per errorem poſſe alicubi non ſervari, Jus autem G. non ſemper omnibus & fere omnibus eſſe commune.* Quorum utrique in ſeqq. jamjam ſatis fiet. Nobis iterato dixiſſe ſatis eſt, differre ut amplius & ſtrictius, ac potuiſſe Jus Naturæ exiſtere, etiamſi Jus G. nullum ſecutum fuiſſet, perinde ac homo potuiſſet eſſe, non facta Societate.

## X.

Fit etiam ſæpiſſime, ut Jus Naturæ ſeſe ipſis actibus circa rem, quæ eſt Juris Gentium, immediate inſinuet, haut dubie ob implicatam conjunctionem ipſius Naturæ Rationalis & Socialis. Ut in furtis, quæ Juri Naturæ ſubjacent, quia unusquiſque quod ſuum eſt retinere, nec quiſquam lædi debet; Et tamen furta fieri nequeunt, niſi in Diſtinctione Dominiorum, quæ Juris Gentium

eſt. Hujus cauſa, quia ut unusquisq; aliquid habeat, Juris Naturæ eſt, ne vero omnia haberet, & ut cum aliis aliquid haberet, Jure Gentium demum cautum. Jamque cum furta ipſam poſſeſſionem lædant, non autem modum poſſidendi tangunt, in ipſum Jus Naturæ involant. Similiter Contractus ſunt Juris Gentium, & tamen ut Contractibus fides præſtetur, eſt Juris Naturæ, quod fidem ſervandam dictitat: Neque enim Indigentia humana qua talis eſt fidem præbet, ſed ſervandam ex Jure N. præſupponit.

XI.

Qvæqve jam porro ex Jure G. erui poſſunt, erunt. I. *Quod Jus G. apud omnes idem ſit*; Ratio, quia Societatis natura eadem apud omnes, & omnes pariter in Societatem propendemus. Unde fluit etiam, *id omnibus æque notum eſſe*. Qvia enim Societatem amamus, qvid ei congruat, facile aſſeqvimur. Qvæ tamen intelligenda, non qvod à ſingulis hominibus obſervētur, ſed qvod ab omnibus ac ſingulis obſervari rationi conſentaneum ſit. Sunt enim qvos malitia aliô ducit; Alii Barbarie impediuntur, qvo minus in omnia rationis exercitia diffundantur. II. *Idem perpetuum eſt.* Qvia Vita Socialis perpetuo perſtat: In ſe tamen ac generali Natura ejus; Ratione particularium Principiorum ipſius ſecus eſt; Hæc enim pro re nata & data occaſione demum innoteſcere oportuit: Cujus cauſa, qvia ratiociniis commodorum vitæ Socialis ſingula nituntur, qvæ qvoniam ſimul ſe

nobis

nobis non prodiderunt, ex uſu rerum formarda fuerunt. Quemadmodum Bella non ante innotuerunt, qvam injuriæ ex Societatibus majoribus in alios redundantes emergerent; Et Legatos violandos non eſſe ſciri non poterat, anteqvam Legatis opus eſſe aliqvando ſciretur. Hincqve & Ignorantia Juris Gentium præſertim in mulieribus aliquando pro Excuſabili habetur. V. *Rittershuſ. l. c.*

## XII.

*III. Jus Gentium eſt immutabile.* Qvamdiu enim Natura Societatis manet eadem, tamdiu idem qvoqve manet Jus Gentium. Et videntur quidem aliqua poſſe addi Principiis ejus; Id tamen nihil aliud erit, qvam *explicatius ea proponere*: Sic enim Jus Civile ipſi modum poteſt adjicere interpretando, ratiocinando, & ad circumſtantias Perſonarum, locorum ac temporum applicando: *Bachov. ad §. 2. Inſt. de Jur. Perſon.* Simile de detractione dici poterit, detrahi quidem ipſi poſſe, non tamen, qvod ipſum Jus Gentium aliqvo curtari poſſit, cum nihil ſuperflui obtineat; Sed qvod detractio, ſi qva videatur, nihil aliud ſit, quam determinatio ſeu declaratio horum Principiorum, qvod propter intervenientes cauſas alias univerſaliores uni atqve alteri rei applicari neqveant. Cui affinis Qvæſtio de Diſpenſatione circa Jus Gentium: Qvam qvidem fieri poſſe putamus, ſed Diſpenſationem nihil aliud, qvam declarationem, actum aliqvem non pertinere ad Legem, eſſe rati.

XIII.

XIII.

Singularia Juris G. Principia proſeqvi hujus loci qvidem non eſt: Omnia enim qvæ Societati attribuuntur, partem Juris Gentium explent, eoqve Principia ejus efficiunt: Qvum tamen ab aliis ea hic recenſeantur, non abs re nos facturos rati fuimus, ſi eodem cum iis pede progrederemur. In genere notandum, ea velut inſtar partium Totius cujusdam Collectivi ſe habere, in qvod conſtituendum conſpirent. Hinc enim ſingula non Jus Gentium, ſed Juris Gentium, h. partes Totius cujuſdam dici ſolent; Aggregati vero ad modum Diſciplinarum omnium, qvæ itidem non niſi habitus aggregati ſunt ſuorum habituum particularium: Ut Scientia rerum naturalium eſt habitus aggregatus ex particularibus habitibus cogniti corporis, Animalis, Planetæ &c. Ipſa vero qvod attinet ea in geminos ramos nobis videntur abire, *Studium Æqualitatis & Proſecutionem Juris noſtri*, ſeu Æqvalitatem cum aliis ſervandam, & Jus noſtrum aliqvando proſequendum eſſe. Iſthinc ſeqvuntur duûm generum actiones: Aliæ, qvæ nobis commoda præſtant, Qvales *Diviſio rerum, Diſtinctio Dominiorum, Contractus, Neminem arbitrum eſſe poſſe cauſæ ſuæ, Legatos non eſſe violandos*, &c. Aliæ, qvæ nulla ſaltem incommoda nobis præſtant; *Quales innoxius tranſitus, percontanti viam monſtrare, & ſ.* Ex proſecutione juris noſtri fluunt, *Facultas alium à rebus noſtris arcendi; Item Bella, Captivitates, Acquiſitiones ex Bello*



*Belli alea*, Jus po[illegible] [illegible] *[illegible]*; *Ipſa* [illegible] jus noſtrum proſeq[illegible] non eramus: [illegible] Qvam tamen non [illegible] tatis reduxeris. [illegible] rem factis ſuis [illegible] Alii eam in [illegible] Naturæ adjudicarunt, [illegible] natione pœnæ Juri Gentium [illegible] ram non tam [illegible] tur, qvam qvo minus [illegible] madvertit H. *Grotius l. 3. II. XX.* [illegible] inter aliarum [illegible] In genere tamen [illegible] pium Juris Gentium [illegible] idem ex Jure Naturæ [illegible] mote tantum: Unde [illegible] niendos eſſe, qvia turpe [illegible] hac intermedia conne[illegible] Sontes puniri debere, [illegible] lem; Id vero turpe eſſe &c. [illegible] Literarum obligatio. [illegible] pter nuptias J. Civili an Juris Gen[illegible] à JCtis ambigitur. [illegible] aſſerit *Ludwel ad §* [illegible] *de Locat. Cond.* [illegible] pleriqve negant; Eodem [illegible] menta ab aliquibus referuntur. [illegible] ipſam ac rei determinationem [illegible] opus eſſe videtur. *Hugonis de Roy* [illegible]

Digitized by Google

*Belli alea*, *Jus poſtliminii*, *ſervitus*, *repreſſaliæ*, *arreſta*; *Ipſa Magiſtratus conſtitutio*, ut per illum jus noſtrum proſeqvamur, qvod ipſi proſeqvendo non eramus; *Tum juriſdictio*, *pœna ſontium* & ſ. Qvam tamen non male etiam ad ſtudium æqvalitatis reduxeris. Pœnam enim qvi meruit, eum rem factis ſuis æqvivalentem expectare oportet. Alii eam in ſe & qvoad actus Subſtantiam ipſi Juri Naturæ adjudicarunt, modo tantum & determinatione pœnæ Juri Gentium relicta. Sed naturam non tam præcipere, ut delinqventes puniantur, qvam qvo minus id fiat, non vetare, jam animadvertit H. *Grotius I. B. II. XX.* Rationum hac in re allatarum examen hæ paginæ non capiunt; In genere tamen repeti ſatis eſt, nullum Principium Juris Gentium ita comparatum eſſe, qvin idem ex Juræ Naturæ derivari poſſit, verum remote tantum: Unde verum qvidem, Sontes puniendos eſſe, qvia turpe fugiendum eſt, ſed cauſa hac intermedia connexionem iſtam firmante: Sontes puniri debere, qvia turbarunt vitam ſocialem; Id vero turpe eſſe &c. Utrum Stipulatio, Literarum obligatio, Emphyteuſis, Donatio propter nuptias J. Civili an Jure Gentium nitantur, à JCtis ambigitur. Emphyteuſin Juris G. eſſe aſſerit *Ludwel ad §.3. Inſt. de Locat. Cond.* De cæteris pleriqve negant; Eodem donationes & Teſtamenta ab aliquibus referuntur. In ſingulis rem ipſam ac rei determinationes diſtingui maxime opus eſſe videtur. *Hugonis de Roy* ſumma J.G.

capita

xaminabimus. Sunt illa: *Di-*
*ates, de eo q. l. c. I. IV.* 5. Prius
commodari poſſet, ſed ſenſu
lterius non univerſale eſt, ſed
ipio conſtitutæ Jurisdictionis
Nec omnem ſervitutem, Jus
le ſibi applicari patietur; Ne
ellorum materie Jus puniendi
; Cum pœna infligatur propter
uperioribus emanent; Illi vero
eqvales ſunt. An ſatis ſit alia Ju-
x uſu, alia ex neceſſitate homi-
edio relinqvimus: Uſus certe &
Sociali nexu adeo firmo impli-
rari, nedum opponi vix poſſint.
*e J. & J.*

---

# APUT III.

## *De*

# TIONE
# TATVS.

*ione Status bic agendum? Vocis*
*Rationis Status antiquitas, Am-*
*atis, publicis, malis etiam: Æqui-*
*is noſtri ac proximi: Rationis Sta-*
*, ut obliqua ſit: Quo ſenſu fiant*
*niant bona? Ratio Status requi-*
*ritur*



*ritur eſſe arcana: Politico* [illegible]
*dum eſſe: Simulationis* [illegible]

I.

UNiverſalia Juris Principia [illegible]
nibus notitiis [illegible]
illo vel illo modo [illegible]
ſemper eodem tenore [illegible]
prorſus aliæ evadunt: [illegible]
ex illis, veluti notioribus & [illegible]
gnotiores & poſteriores colligantur.

II.

Hinc *Rationis Status* nomen [illegible]
qvam ex qva & per qvam res [illegible]
mus, ut illis eq. cauſa [illegible]
dam & effecta transferibimus: [illegible]
alias ſenſu, dum ſolis Reip. [illegible]
buitur, qvem tamen [illegible]
arbitramur; Aliqvando etiam [illegible]
ri, ut ipſis depravatis actionibus [illegible]
hujus loci non eſſe in ſeqq. [illegible]

III.

Nomen novum eſt, ab Italis [illegible]
tum & Rerumpublicarum [illegible]
qvi *Ragione di Dominio, di Signoria,* [illegible]
*perio* dixerunt & omnium [illegible]
*ſeu Ragionamento di Stato.* Sunt tamen [illegible]
*tiæ* incunabula ejus qværant, [illegible]
*rum antequam deſtinata componam,* [illegible]
*dum, qualis Status Urbis, quæ mecum* [illegible]

Digitized by Google

*ritur eſſe arcana: Politico aliquando Simulandum eſſe: Simulationis commoda.*

I.

UNiverſalia Juris Principia ſingulis Actionibus noſtris applicata rationes fiunt, cur illo vel iſto modo ſe habeant, cur non ſemper eodem tenore fluant, cur ſæpe prorſus aliæ evadant? Seu ita ſunt comparata, ut ex illis, veluti notioribus & prioribus iſtæ tq. ignotiores & poſteriores colligantur.

II.

Hinc *Rationis Status* nomen formatum, tanqvam ex qva & per qvam res noſtras ita inſtituimus, ut illi tq. cauſæ & fonti has ceu rivolos quosdam & effecta tranſcribamus: Auguſtiori qvidem alias ſenſu, dum ſolis Reipublicæ Arcanis attribuitur, qvem tamen solùm per eminentiam ferre arbitramur; Aliqvando etiam juſto ampliori, ut ipſis depravatis actionibus applicetur, qvam hujus loci non eſſe in ſeqq. clarebit.

III.

Nomen novum eſt, ab Italis primo adhibitum & Rerumpublicarum Arcanis applicatum, qvi *Ragione di Dominio, di Signoria, di Regno, di Imperio* dixerunt & omnium elegantiſſime *Ragione ſeu Ragionamento di Stato.* Sunt tamen qvi *in Tacito* incunabula ejus qværant, *Hiſtor. l. IV. Cæterum antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis* Status *Urbis, qua mens exercituum, quis habi-*

*habitus Provinciarum, quid in toto Terrarum Orbe validum, quid ægrum fuerit, ut non modo caſus eventuſque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed* Ratio *etiam cauſæque noſcantur.* Et idem *Hiſtor. III. LI.* in Statu Militari *Rationem Belli* dicit. *V. Guler. de Stat. Polit. C. IX. n. VI.* Eadem certe eſt, qvam alibi *Sapientiam* vocat *Annal. I. 28.* ubi cum rebelles milites langueſcente Luna perculſi eſſent, *ea inclinatione utendum Cæſar ratus & quæ caſus obtulerat* in Sapientiam *vertenda*, h. Rationi Status accommodanda; Et Prudentes in concreto *Sapientes & callidi temporum* vocantur *Ann. IV. 33.* Item *Hiſtor. III. 55. Quæ Vitellius beneficia dabat immodica, ea* Sapientes *caſſa habebant.*

IV.

Qvicqvid ejus ſit, res utiqve antiqviſſima eſt *Ratio Status*; Neqve enim unqvam Reſpublica fuit, quin Ratione Status uſa fuerit, vel privata Domus extitit, qvæ ad Rationem Status ſui non omnia compoſuerit. Et qvicqvid fecerunt homines ante nos, qvicqvid in præſenti faciunt, aut omiſerunt, aut omittunt, aut omittent, illud ex privati vel publici Status Ratione manavit. Status enim & στάσις ut in genere conſiſtentiam & ſtabilimentum rerum denotat, ita qvin omnes ac ſingulos æqve comprehendat nullum eſt dubium. Sic ex Satus ſui ratione Abraham & Iſaacus Patriarchæ formoſas uxores ſuas ſorores vocarunt: Cogitabam enim, inqvit, Abraham, nullam reverentiam Dei hic futuram, *quare occident me cauſa*

*uxoris*



*uxoris meæ. Gen. XX. 11.* [illegible] *propter Rebeccam, quia* [illegible] *Gen. XXVI. 7.* Jacobus ex privata [illegible] lis verſicoloribus [illegible] curavit. Et inter [illegible] hanc in rem locutus fuit [illegible] do Liviæ Dominæ ſuæ [illegible] Annal.

V.

Sic cuncta Imperia & [illegible] habent peculiaria ſua fundamenta [illegible] tiones, tum ipſorum ſecuritatis, [illegible] ſentis ſtatus conſervandi & [illegible] tationum cauſa. His David [illegible] ſtruit *I. Reg. I.* Carolus V. [illegible] lium hortatus eſt ad capeſſend[illegible] ſtudioſe præcepta tradidit, *quomodo ſe gerere* [illegible] *ra cum Romanorum Rege &* [illegible], *cum Impe*[illegible] *cæteris Principibus, cum Germaniæ* [illegible] *tiorum pagis, cum Ser. Venetorum R*[illegible] LXII. Idem Philippus II. [illegible] *ſibi deſcripſerat & inter arcana* [illegible] *dedit, quæ Ludovicum IX. olim Philippo* [illegible] *ra, Thuan. L. CXX.* Sic Salomon [illegible] tiam fratrem, qvoniam ipſum [illegible] prævidebat. *I. Reg. II.* David occi[illegible] qui Saulum utut hoſtem ſuum interfecerat [illegible] communi cauſa, qvod ipſe unctus eſſet, [illegible] tolens. *II. Sam. I.*



Digitized by Google

*uxoris meæ. Gen. XX. 11.* Iſaacus: *Ne occidant me propter Rebeccam, quod forma bona ſit, Geneſ. XXVI. 7.* Jacobus ex privata Status Ratione baculis verſicoloribus augmenta gregum ſuorum procuravit. Et inter profanos ſignificantiſſime hanc in rem locutus fuit Saluſtius Criſpus, qvando Liviæ Dominæ ſuæ conſuluit: *Ne Arcana Domus Conſiliave Amicorum vulgarentur* ap. Tacit. I. Annal.

V.

Sic cuncta Imperia & qvi in iis primas tenent, habent peculiaria ſua fundamenta & ſecretas rationes, tum ipſorum ſecuritatis, tum etiam præſentis ſtatus conſervandi & profligandarum mutationum cauſa. His David olim Salomonem inſtruxit *1. Reg. 1.* Carolus V. moriens Philippum filium hortatus eſt ad capeſſendum Imperium, & ſtudioſe præcepta tradidit, *quomodo ſe gerere deberet cum Romanorum Rege & filiis ejus, cum Imperii cæteris Principibus, cum Germanis denique & Helvetiorum pagis, cum Ser. Venetorum Rep. &c. Thuan. L. XXI.* Idem Philippus II. *monita filio dedit, quæ ſibi deſcripſerat & inter arcana ſervârat, eadem videlicet, quæ Ludovicus IX. olim Philippo filio dederat. Thuan. L. CXX.* Sic Salomon interfecit Adoniam fratrem, qvoniam ipſum haut qvieturum prævidebat. *I. Reg. II.* David occidi curabat eum, qvi Saulum utut hoſtem ſuum interfecerat, ex communi cauſa, qvod ipſe unctus eſſet, ipſi parci volens. *II. Sam. I.*

## VI.

Etiam ſpuria *Ratio Status* rebus gerendis ſæpe adhibita; Sic Satanas falſa & fraudulenta tali *Ratione Status* ad amplificationem Regni ſui uſus fuit, cum Evam ſeduceret, Herodem ad infanticidium traheret, Cor Judæ obſideret. Ex *Ratione Status* non perſtitit primus homo in obedientia erga Deum, meliorem conditionem ſuam redditum'iri confiſus; Nec ſtatim edebat Eva, qvia ruinam Status ſui timebat: Tunc vero cum augmentum conditionis ſuæ ſperare cœpiſſet, edit & cecidit. Sic Fratricidium Caini perpetratum; Intolerabile enim ſibi imaginabatur majorem natu eſſe & non majori gratia pollere, ſibiq; eum præponi, qvem generatio poſtpoſuerat, contra autoritatem, commodum & ſtatum ſuum fore credebat. Jerobeam vitulos aureos confici curabat; Dicebat enim cum animo ſuo: *Si aſcenderet populus iſte ad parandum ſacrificia in Domo Dei Hieroſolymæ & rediret animus eorum ad Dominum ſuum Rehabeamum Regem Judæ, utique occiderent me & reverterentur ad Rehabeamum Regem Judæ. 1. Reg. XII. 27.* Pharao multiplicationem Iſraelitarum impediebat, ne illi ſe jungerent hoſtibus ſuis *Exod. I.* Atqve adeo Imperantes ac parentes, docti, indocti, boni, mali ſine diſcrimine Rationem Status obſervant, omnes in utilitatem vel ſuam vel communem æqve intenti. V. plur. *Magnif. Dn. De Jena de Rat. St. Diß. II. Concl. III. & ſeqq. & Diß. III. Concl. VII.*

VII. De-



## VII.

Definimus *Rationem Status* [illegible] *Statum ſingularem*. C[illegible] dimus, facile lucem [illegible] mnia facta eſſe, vel fieri [illegible] jus, illius, iſtius ita [illegible] *Status* vero eſt [illegible] Simili modo à *Palazzo* vocata [illegible] *res moderans & ad* [illegible] *ducens, de Gubernat. & vera St.* [illegible] Et à Boccalin. [illegible] *fundatur, firmatur ac* [illegible] II. n. 87. Nec adverſantur [illegible] prius eodem modo Reipub. [illegible] hac, tanqvam exquiſito Rerum [illegible] jecto, Ratio Status inprimis [illegible] beat. Sic *Ferdinando ab* [illegible] *bernandi, & conſervandi Regni* [illegible] punct. 1. Alii: *Certus* [illegible] *ad quem tanquam ad Normam* [illegible] *quam omnia Conſilia* [illegible] *rigantur, ut eo feliciùs & expeditius* [illegible] *qui eſt ſalus & incrementum Reipubl.* [illegible] Textor de Rat. Stat. c. I. *Eſt* [illegible] *Practico dirigendi media ad* [illegible] *peranti.* Omnium clariſſime [illegible] Diß. III. Concl. V. Ratio Status eſt [illegible] Politicus obliqvus & arcanus [illegible] rectores & adminiſtratores Rerum[illegible] gnorum, ob egregii boni publici [illegible]



Digitized by Google

VII.

Definimus *Rationem Status Conformitatem cumStatu ſingulorum*. Cui illa,qvæ hactenus tradidimus, facile lucem fœnerabuntur; Ideo enim omnia facta eſſe, vel fieri cenſentur, qvia Statui hujus, illius, iſtius ita congruere deprehenduntur, *Status* vero eſt, per qvam res eſt & conſervatur. Simili modo à *Palazzo* vocata *Regula & norma omnes res moderans & ad debitum ſuum finem perducens, de Gubernat. & vera Stat. Rat. p. IV. c. XVII.* Et à Boccalin. *Notitia mediorum & rationum, quibus fundatur, firmatur ac augetur Status. Relat. Cent. II. n. 87.* Nec adverſantur hiſce, qvos alii conceptus eodem modo Reipubl. attribuunt, cum in hac, tanqvam exqviſito Rerum Politicarum Objecto, Ratio Status inprimis conſpicuam ſeſe præbeat. Sic *Ferdinando ab Effern eſt Prudentia gubernandi, & conſervandi Remp.* de Rat. Stat. L. 1. punct. 1. Alii: *Certus quidem Politicus reſpectus, ad quem tanquam ad Normam ſeu Cynoſuram aliquam omnia Conſilia, omnesq; actiones in Remp. diriguntur, ut eo felicius & expeditius ſummum finem, qui eſt ſalus & incrementum Reipubl. conſequantur.* Textor de Rat. Stat. c. I. *Eſt Sagacitas in Intellectu Practico dirigendi media ad Salutem Imperii & Imperantis.* Omnium clariſſime *Magnif. de Jena Diſſ. III. Concl. V.* Ratio Status eſt modus qvidam Politicus obliqvus & arcanus (qvo ſummi moderatores & adminiſtratores Rerumpublicarũ & Regnorum, ob egregii boni publici reſpectũ & com-

munem Imperii beatitatem ſeu alicujus magis univerſalis juſtitiæ & finis gratia, majorisqve mali evitandi ac totius ruinæ avertendi cauſa ex neceſſitate & utilitate civili prudenter & apte utuntur, ac Juri Civili poſitivo ordinarioqve plerumqve contraveniunt, eiqve autoritatem derogant & ejus vim virtutemqve temperant & flectunt, aut aliqvid ſingulis damnoſum faciunt permittuntq; , poſthabito privato commodo, iterumqve regulariter fieri ſolitum omittunt & impediunt) LL. divinis, moralibus conſonus, neqve Juri Naturali, Gentiumqve, neqve pietati, juſtitiæ, æqvitati, fidei, honeſtati &c. contrarius.

IIX.

Cauſa Rationis Status Amor noſtri; Finis propria commoda. Qvicqvid enim ſuſcipimus id noſtri gratia fit, cum naturale ſit, ut unusqvisq; ſe amet, eoqve propter ſe agat. Non tamen ſola, & ſine reſpectu ad alios; Hæc enim ſpuriam iſtam piisqve ac probis merito exoſam Rationem Status peperere: Qvam non immerito *Beccalini* vocat Legem utilem Rebuspp. ſed totam contrariam LL. divinis & humanis *Cent. II. Relat. 87. Alius a*: Qvæ boni publici perſonato habitu non Deum, nec Rationem & Juſtitiam reſpicit, ſed ſolam utilitatem ejus, qvi illa utitur, nulla alia Lege vel ratione, ſed ſolo lubitu voluntatis pro Ratione utentis ſubnixa. Veluti enim Naturæ Rationalis primum dictamen eſt, ut ſuum cuiqve tribuatur, h. non nobis, ſed Deo etiam & Proximo, ita ut mora-



morales actiones omnes in æqvilibrio [illegible] eädem exigitur: Æqvalitati Juris [illegible] ſtatis Natura omnibus æqve [illegible] qvam tenuior conditio [illegible] teſt fruitione Juris ſui. C[illegible] primo homini in omnia [illegible] Filii omnes ergo eodem jure [illegible] ſcendi privilegium habuerunt. [illegible] commoda jam aliorum juri [illegible] litati derogaretur, nec ſuum [illegible] plus, aliis minus tribueretur. [illegible] tem amori Dei præponderare [illegible] qvam ſatis colere aut amare [illegible] nitus eſt, & à nulla creatura [illegible] nobis ac proximo ipſum merito [illegible] adeo nunqvam vel commoda noſtra [illegible] vel commoda proximi juri noſtro [illegible] ri DEI anteponere poſſumus, [illegible] ſui alicui horum tribuendi. [illegible] aliqvis *Henricum M. Galliæ* [illegible] tionem tranſitus ſui ad Relig. Cath[illegible] alias prodidiſſe ferunt: *Se male* [illegible] *amori, quam videre Galliam* [illegible] *diſſidiis amplius lacerari*; [illegible] ri Dei ſuorum amorem. Sic rapinæ [illegible] ni, furta commoda noſtra qvidem [illegible] Sed amorem proximi deprimunt, [illegible] actionibus noſtris imprimunt. Ac [illegible] noſtri & propria commoda Rationem [illegible] ſtri qvidem fundant, ſed ad æqvi[illegible]



Digitized by Google

morales actiones omnes in æqvilibrio pendeant, eâdem exigitur: Æqvalitatẽ Juris enim ſeu poteſtatis Natura omnibus æqve donavit, nec qvemqvam tenuior conditio damnat, aut privare poteſt fruitione Juris ſui; Cujus iterum ratio, qvia primo homini in omnia æqvum jus erat; Hujus Filii omnes ergo eodem jure utentur, qvia idẽ naſcendi privilegium habuerunt. Et vero ſi noſtra commoda jam aliorum juri præponderent, æqvalitati derogaretur, nec ſuum unicuiqve, ſed nobis plus, aliis minus tribueretur. Tanto minus autem amori Dei præponderare poſſunt, qvem nunqvam ſatis colere aut amare poſſumus, qvia infinitus eſt, & à nulla creatura capi poteſt, hinc præ nobis ac proximo ipſum merito amamus; Atqve adeo nunqvam vel commoda noſtra juri proximi, vel commoda proximi juri noſtro, vel ambo amori DEI anteponere poſſumus, citra læſionem juris ſui alicui horum tribuendi. Sic peccaſſe dixerit aliqvis *Henricum M. Galliæ Regem*, qvem rationem tranſitus ſui ad Relig. Catholicam inter alias prodidiſſe ferunt: *Se malle vel centies damnari, quam videre Galliam ſuam tot funeſtis diſſidiis amplius lacerari*; Antepoſuit enim amori Dei ſuorum amorem. Sic rapinæ, invaſio alieni, furta commoda noſtra qvidem promovent; Sed amorem proximi deprimunt, eoqve malitiam actionibus noſtris imprimunt. Ac proinde amor noſtri & propria commoda Rationem Status noſtri qvidem fundant, ſed ad æqvilibrium amoris



Digitized by Google

proximi appendenda, cum Deo a. nec comparanda: Prorſus ea ratione, qva Servator hac de re loqvitur *Matth. XXII. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde, ex tota anima & ex tota cogitatione*, h. ſupra omnia: Ideo addit: *Illud eſt primum & maximum mandatum*: Secundum autem huic *ſimile eſt*, h. non prorſus idem, noſtro ſenſu, qvia inferius amore Dei, *Diliges proximum, ſicut te ipſum*, h. ambos æqve, ne proximi amor præponderet amori noſtro, nec etiam infra eundem deprimatur.

IX.

Partes Rationis Status reddimus I. *promovere commoda noſtra*. II. *Facultatem nocendi alteri adimere*: Utriusqve ratio amor noſtri, h ſtudium nos conſervandi, perficiendi & amplificandi, cui bene eſſe neqvit, niſi qvod juvet nos, promoveamus, & qvod impedimento eſſe poſſit amoveamus: Qvæ pleniori luce nulla egent.

X.

Modi ac Reqviſita ejusdem: Ut ſit I. *Obliqua*. II. *Arcana*. Prius efficiunt impedimenta progreſſibus noſtris oppoſita, atqve temporum moribus, variis hominum generibus, diverſis utilitatum præſentium rationibus, ac diſpari deniqve vitiorum, qvibus medendum eſt, fervore enata: Qvorum intuitu res aliqvando flecti opus eſt, nec facile fieri poteſt, ut uno ſtatu ſemper conſiſtant. Unde Servator: *Eſtote ſimplices ſicut columbæ, & prudentes ſicuti ſerpentes*: Qvod reddimus: Nobis qvi-



qvidem cavendum eſſe, ne [illegible] ſicut columbæ ſunt ſimplices. h [illegible] Sed iterum ſicut ſerpentes [illegible] ſunt, vel omnibus modis [illegible] ceatur, ſic nobis etiam [illegible] dio detrimenta noſtra [illegible] ſet vulgo notum [illegible]: *Qui [illegible] caput pariunt* [illegible].

XI.

Hinc in Publicis *Ratio Status* [illegible] tra LL. tendit, ſi [illegible] retorqveri. Qvemadmodum Themiſtocles [illegible] Athenienſibus a Lyſandro [illegible] Scytalem Lacedæmoniorum, qui [illegible] muros diruere, [illegible] objiceret: *Ecqvid ipſum* [illegible] *quos Themiſtocles* [illegible] *Ego vero*, reſpondit, [illegible] *rium facio*: *Quos enim* [illegible] *ſalute publica, hos ego ex eadem* [illegible] *dos ſuadeo. Plutarch. in Lyſandro*. [illegible] ciem iniqvitatis incurioſo [illegible] dit: Veluti ſi pro declinar[illegible] movendo commodo totius civitatis [illegible] tis adimantur, aut innocens ded[illegible] in ſe & ſine circumſtantiis poſita [illegible] pter adjectas Circumſtantias tamen [illegible] Status, i. conformitatem cum Re[illegible] tim non-mala fiunt, & naturam [illegible] Cauſa, qvia admittuntur [illegible]



Digitized by Google

qvidem cavendum eſſe, ut nemini noxæ ſimus, ſicut columbæ ſunt ſimplices, h. nemini nocent; Sed iterum ſicuti ſerpentes nunqvam ſine flexu ſunt, vel omnibus modis præcavent, ne ſibi noceatur, ſic nobis etiam incumbere, ut omni ſtudio detrimenta noſtra declinemus. Nec male cenſet vulgo notum dicterium: *Qui rectà incedunt, caput parieti illidunt.*

## XI.

Hinc in Publicis *Ratio Status* aliquando contra LL. tendit, ſi videantur in detrimentum Reip. retorqveri. Qvemadmodum Theramenes cum Athenienſibus à Lyſandro ſubjugatis ſuaderet, ut Scytalem Lacedæmoniorum, qva jubebantur muros diruere, acciperent, & Cleomenes ipſi objiceret: *Ecqvid ipſum puderet muros dejicere, quos Themiſtocles invitis Spartanis extruxiſſet? Ego vero*, reſpondit, *nihil Themiſtocli contrarium facio: Quos enim ille muros excitavit pro ſalute publica, hos ego ex eadem cauſa demoliendos ſuadeo. Plutarch. in Lyſandr.* Ipſamqve ſpeciem iniqvitatis incurioſo ſpectatori ſæpe offundit: Veluti ſi pro declinando periculo aut promovendo commodo totius civitatis, Bona privatis adimantur, aut innocens dedatur. Qvæ licet in ſe & ſine circumſtantiis poſita iniqva ſint, propter adjectas Circumſtantias tamen, h. Rationem Status, ſ. conformitatem cum Rep. bona, vel ſaltim non-mala fiunt, & naturam mali deponunt: Cauſa, qvia admittuntur intuitu Boni alicujus



Digitized by Google

univerſalioris; Atqve ut Publico bene ſit, ideo privati patiuntur, qvamdiu membra manent Reip. Sic innocenti pro Rep. patienti nulla injuria fit, qvia pars eſt Reip. in qva nihilo ſecius ipſi patiendum fuiſſet, etiamſi ſolus impoſitum patiendi onus abjeciſſet; Privati bona ſua amittunt, qvorum amittendorum diſcrimini æq; patuiſſent, ſi ſine peculiari eorum expoſitione periclitata fuiſſet Reſpublica. Idem de ſimilibus judicium eſto. Nihil eſt urgere *non facienda mala, ut eveniant Bona.* Qvia Res ejuſmodi in tali Statu naturam mali deponuut, retento ſolum nomine & ſpecie externa. Ne dicamus rariſſime dignoſci poſſe, quæ *mala ſint, cum cauſa applicationis eorum, & cur ita fiant*, plerumq; nos lateat; Atq; illud qvam maxime in factis noſtrorum Principum, qvibus meram obedientiam debemus, facultate judicandi prorſus deſtituti, de qvo in ſeqq.

## XII.

Ratio Status ſecundò reqviritur *Arcana* eſſe, h. ne alii ſciant, qvibus fundamentis nitantur commoda noſtra, qvæ vires noſtræ, quæ debilitas, quæ conſilia ſint, eoque perniciem iis accelerent. Occulta & ignorata omnibus minantur partibus, valentque non parum ad inimicum alio diſtrahendum; E contrario, tela præviſa minus nocent. Et notum quidem vulgare iſtud eſt:

*Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter;*

Sed verius alterum: *Si ſciat hoc alter, ſcire tuum nihil eſt.*

Sic



Sic Liviæ à Saluſtio conſ[illegible] ... [illegible] mus: *Ne arcana Domus Cæ[illegible] ... [illegible] gererentur.* ap. Tac. l. Annal. *Et Tiberio [illegible] rebus, quas non occultaret, [illegible] dine ſuſpenſa ſemper & obſcura [illegible] ut ſenſus ſuos penitus abderet, [illegible] guum magis implicabantur.* Tac. [illegible] geret, ſe propediem [illegible] das in Pannonia & Germania [illegible] giones, atque ut [illegible] conquireret impedimenta, [illegible] *primo*, inquit idem Tacitus, *[illegible] vulgum, dictiſque provincias [illegible] rerum non omittere, neque ſe Romanis [illegible] caſum dare conſtituerat*: Quo [illegible] celandi ſpecimen fuit, quod [illegible] pus II. Hiſpaniarum Rex [illegible] miſſis ac ſolicitis apparatibus ſe [illegible] comprimendos motus Belgii [illegible] terea, quod intenderet, ſemper [illegible] *non indicit, Tribunos legi, naves [illegible] deſcribi jubet. Et ne is apparatus [illegible] ſolicitos haberet, per Oratores ſuos, [illegible] fore ea in Belgas expeditione, [illegible] Galliæ etiam transferre per Narbonenſem & [illegible] nenſem Provinciam oravit. Sabaudus [illegible] Eman. Philibertum, cui multum tribu[illegible] qua viarum opportunitate ſuaderet [illegible] iter: Obcamque cauſam capere ſe [illegible] nem, qua transfendum ſit à Sabaudus in [illegible]*



Digitized by Google

Sic Liviæ à Saluſtio conſultum jam ante prodidimus: *Ne arcana Domus Conſiliave amicorum vulgarentur.* ap. Tac. I. Annal. *Et Tiberio etiam in rebus, quas non occultaret, ſeu natura, ſeu aſſuetudine ſuſpenſa ſemper & obſcura verba. Nitenti vero ut ſenſus ſuos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabatur.* Tacit. ib. Et cum fingeret, ſe propediem profecturum ad componendas in Pannonia & Germania tumultuantes Legiones, atqve ut jamjam iturus legeret comites, conquireret impedimenta, ordinaret naves, *sic primo*, inqvit idem Tacitus, *prudentes, deinde vulgum, diutiſſime provincias fefellit. Nam caput rerum non omittere, neque ſe Remque publicam in caſum dare conſtituerat*: Quo luculentius adhuc celandi ſpecimen fuit, quod ſimili in cauſa Philippus II. Hiſpaniarum Rex præbuit, cum tot promiſſis ac ſolicitis apparatibus ſe recepiſſet ad comprimendos motus Belgii venturum, aliud interea, quod intenderet, ſemper celans. *Profectionem indicit, Tribunos legi, naves inſtrui, familiam deſcribi jubet. Et ne is apparatus Principum aliquos ſolicitos haberet, per Oratores ſuos, quid ſibi Conſilii foret ea in Belgas expeditione, illos edocuit. Regem Galliæ etiam tranſitum per Narbonenſem & Lugdunenſem Provincias oravit. Sabaudiæ vero Ducem Eman. Philibertum, cui multum tribuerat, conſuluit, qua viarum opportunitate ſuaderet ingrediendum iter: Ob eamque cauſam cupere ſe totam eam regionem, qua tranſeundum ſit à Sabaudico in Burgun-*

*diam uſque accurate delineari atque expingi &c. Hæc autem quanto cumulabantur intentius exquiſitiusque, tanto minus ſecuritati, ſed famæ dabantur, in eaque tam anxia, tam curioſa jam proficiſcendi ſolicitudine nihil profectioni inerat, præter ſpeciem.* Occultabat hæc tamen Rex *atque novis indies argumentis ſpem profectionis alebat: Quamquam non deerant ex interioribus Aulicis, qui totam illam rerum ſcenam, ludificationemque intelligerent. At vero ubi Rex de rebellione aliquot oppidorum, deque totius Belgii diſcrimine, niſi ipſe accurreret, ex repetitis Margaritæ literis cognovit, tanto tum dolore, tum ira accenſus ad expeditionem feſtinavit omnia, ut nemo in Aula, ne ipſi quidem Belgarum Legati, Marchio Bergenſis atque Montinius, qui Regis fabulam ſæpe irriſerant, jam de profectione dubitarent;* Et tamen ne tum quidem deponebat perſonam, nec ſerio Rex agebat. *Strada de B. B. Dec. I. Libr. VI.* Et cauſa diſpar, ſed ingenio ſimilis Wilhelmus Princeps Orangius, Belgicæ Libertatis fundator, ab eodem *Strada deſcribitur Dec. I. L. II. Et vero ad novandas res,* inquit, *haut ſcio, an ullus unquam mortalium fuerit inſtructior, quam Orangius. Ingenium ei præſens & occaſionum haut ſegne, ſui obtegens, etiam iis, qui arcanorum ejus conſcii ferebantur, inacceſſum.* Tum L. VI. *Quin & Antonius Perenottus Granvellanus Cardinalis, Romæ audito, quod Bruxellis acciderat, & quod Egmontius & Hornanus in cuſtodia eſſent, ſciſcitatus ab eo, qui rem denarrabat, an captus quoque fuiſſet* Taciturnus



timus (Sic Orangium [illegible]) atque [illegible]

[illegible]

nihil ab Duce Albano [illegible]

XIII.

Viro Politico [illegible] ex his non obſcure [illegible] men ſimulatione, quæ [illegible] quam eſt, [illegible] ipſa non adeſt, & [illegible] bemus; Sed qui [illegible] prodimus, ex quo [illegible] toto propoſito noſtro contineri [illegible] ſimulandi notione exprimitur, [illegible] melioris vocabuli, [illegible] eſſe inde conſtat. I. [illegible] alteri conſtet de propoſito [illegible] à ſcopo ſuo in [illegible] ſua ipſius culpa id accidere. II. [illegible] falſi in hiſce talibus oſtenditur, [illegible] quod revera eſt: Aliud autem [illegible] qui ſecus id interpretatur. [illegible] caput, non male, ſed quod [illegible] tabantur & Judæum eſſe putabant. [illegible] dinis pellibus artus tegebat, unde [illegible] ipſum Eſavum eſſe. Samuel [illegible] aſſumpto vitulo Bethlehemam [illegible] ſpicionem declinaret, & ſi opus [illegible] cuſare poſſet, cum tamen revera [illegible] unctum iret. Quæ omnia revera [illegible] ſed ab aliis in ſiniſtrum finem [illegible]

Digitized by Google

citurnus (Sic Orangium nominabat) *atque eo negante, dixiſſe fertur: Uno illo retibus non concluſo nihil ab Duce Albano captum.*

## XIII.

Viro Politico aliquando Simulandum eſſe, ex his non obſcure elucere putamus: Non eâ tamen ſimulatione, quæ ſit oſtentatio rei aliter factæ quam eſt, quaque fingimus virtutem, quæ reipſa non adeſt, & tegimus vitium, quod vere habemus; Sed qua partem propoſiti noſtri talem prodimus, ex qua alter aliud colligat, quam revera toto propoſito noſtro continetur. Quod quidem ſimulandi notione exprimitur, ſed ob defectum melioris vocabuli; Improbandum tamen non eſſe inde conſtat. I. Quia non ſemper opus eſt, ut alteri conſtet de propoſito noſtro: Si igitur ille à ſcopo ſuo in apprehenſione ejus aberraverit, ſua ipſius culpa id accidet. II. Nihil alieni aut falſi in hiſce talibus oſtenditur, ſed ipſum illud, quod revera eſt: Aliud autem fit ſolo ejus vitio, qui ſecus id interpretatur. Sic Paulus totondit caput, non male, ſed quod Judæi male interpretabantur & Judæum eſſe putabant. Jacob hœdinis pellibus artus tegebat, unde Iſaac colligebat ipſum Eſavum eſſe. Samuel divinitus jubebatur aſſumpto vitulo Bethlehemam proficiſci, ut ſuſpicionem declinaret, & ſi opus eſſet ſe Saulo excuſare poſſet, cum tamen revera Davidem quoq; unctum iret. Quæ omnia revera ita ſe habebant, ſed ab aliis in ſiniſtrum finem aliumve, quam hi ſibi

ſibi propoſuerant, detorta, non iſtorum culpa, ſed horum incuriâ. Eodem pertinent Actus in ſe indifferentes, eoque innoxii, quos aliquando non ſimulamus, dictos tamen aut oſtenſos ad finem ſuum perduci non patimur. Sic mulieribus de prole ſua litigantibus, Salomon jubebat puerum vivum dividi, mandato non ſimulato aut ficto, ſed mutabili, quodque pro lubitu reſcindere poterat. Chriſtus ſimulabat ſe longius iturum, ſimulatione non in verbis veritati contradicentibus, ſed in geſtibus veritati conſentaneis, quod iter continuaturus fuiſſet, niſi ut maneret rogaturi eſſent diſcipuli. Suntque commoda laudabilis Simulationis hujus. I. Quod Oppoſitionem ita amoliamur & hoſtem imparatum aggredi queamus. II. Quod in hominis poteſtate relinquat, ut pedem referat, ac ſeſe ſine jactura exiſtimationis ſuæ negociis ſubducat. III. Quod ad aliena conſilia viam aperiat. *V. Verulam. Serm. Fid. VI.*

Plura non aggerimus. Præſtiterunt iſtud longe melius Viri graviſſimi, *Raphael de Torre* in Aſtrolabio di Stato, *Valerianus Caſtiglione* nel Statiſta Regnante, *Wilh. Ferdin. ab Effern, Joh. Hieron.* Im Hoff de Ratione Status, & qui Academiam noſtram hoc nomine illuſtravit *Magnif. Dn. de Jena* in accuratiſſimis *Differt. de Ratione Status*, cujus veſtigia nos hic legiſſe ingenue fatemur. Singularia ut indagemus ſupra conditionem noſtram eſt, quam ſi agnoſcamus, confidimus nobis veniam eo citius datum iri, quo certius eſt: *Metiri ſuo quemq; ſe pede ac modulo juſtum eſſe.*

CAP. IV.



# CAPUT IV.

## De SOCIETATE.

*Ordo tractandorum Rerum P[illegible]: Definitio Societatis: Natura [illegible] [illegible]ſam Societatis: Fons Societatis: [illegible] mu[illegible]nione Feminarum Platonica? An [illegible] Societatem colant? An coire p[illegible]? Quid Ratio? Diſcrimen inter Actiones [illegible] & Brutorum: Jus Naturale quodnam [illegible] capias? Jus Naturale Gubernanti & C[illegible]tum quale? Adjuncta Sociorum, [illegible] & Æqualitas: Societatis D[illegible] a C[illegible]ſatione: Vitæ ſolitariæ incommoditas: Quid de Eremitarum Statu? Veteres [illegible] Nec hodiernos Monachos ad eam [illegible]: Vitæ ſocialis prærogativa præ actione ſingulorum; Moſis Sancta imperatoria.*

I.

Ordo, quo res POLITICAS [illegible] tradi putamus, hic eſt: Ut [illegible] Societatis natura, quæque ad [illegible] ita conſideratam proprie pert[illegible] [illegible]ſebuntur. II. De Societatibus privatis. [illegible] nerali nomine Societatis æque ac Societas P[illegible]

Digitized by Google

# CAPUT IV.

## De
# SOCIETATE.

*Ordo tractandarum Rerum Politicarum: Definitio Societatis: Naturam non eſſe cauſam Societatis: Finis Societatis: Quid de communione Fœminarum Platonica? An Bruta Societatem colant? An colere poſſint? Quid Ratio? Diſcrimen inter Actiones Hominum & Brutorum: Jus Naturale quoddam an Bruta capiat? Jus Naturale Gubernans & Gubernatum quale? Adjuncta Sociorum, Applicabilitas & Æqualitas: Societatis Diſcrimen à Converſatione: Vita ſolitariæ incommoda: Quid de Eremitarum Statu? Veteres excuſandos eſſe; Nec hodiernos Monachos ad eum pertinere: Vita ſocialis prærogativa præ actibus ſingulorum; Moſis Sancta impatientia.*

I.

Ordo, quo res POLITICAS aptiſſime tradi putamus, hic eſt: Ut agatur I. *De Societatis natura*, quæque ad Societatem ita conſideratam proprie pertinere cenſebuntur. II. *De Societatibus privatis*, quippe generali nomine Societatis æque ac Societas Publica com-

comprehenſis. III. *De Societate Publica, ſ. Republica*, quæque huic neceſſaria videbuntur eſſe. IV. *De Reip. ſpeciebus.* Quia enim aliis Diſciplinis Generales & Speciales partes aſſignari, hasque iterum pro objectorum, uti vocant, varietate diſtribui licuit, quid vetuerit, quo minus & Politicam eodem modo tractemus, *Generalis* ambitu ea, quæ Societatis naturam concernunt, *Specialis* cætera complexuri.

## II.

Societas eſt *conjunctio plurium in communem finem tendentium*: Diceres etiam, Unionem plurium ad eundem finem. *Conjunctione, Unione* plurium, Natura ſingularis excluditur, quæ ſola ſibi uniri aut conjungi, eoque ſocietatem formare nequit. *In communem finem tendentium* I. Ad removendam tumultuariam Confuſionem, quæ ex congreſſibus fortuitis naſcitur. II. In diſcrimen à Brutorum congregationibus, quæ conjunctiones quidem ſunt, ſed non in unum & communem finem tendentium. III. In differentiam à Converſatione, qua itidem plures conjunguntur, ſed non eodem & communi fine.

## III.

*Cauſa* Societatis eſt *Indigentia humana.* Quia enim nobis non ſufficimus, aliorum ope indigemus. Hujus fontes iterum duo: *Deſiderium propriorum commodorum & mutuus metus.* Seu ſtudium commoda noſtra promovendi & incommoda amovendi. Prius patet, quia omnem So-

cietatem voluntariò contrahimus, quandocunque vero aliquid volumus, id volumus, quod bonum nobis eſt. E. quia bona nobis eſt Societas, eam volumus, eoque deſiderio propriorum commodorum. Poſterius, quia omnes homines per Naturam æquale jus in omnia habent; Atque adeo omnes eodem modo omnia appetere poſſumus: Unde mutua lædendi voluntas; Et quia jam nemo ſibi ipſi ſufficientem ſecuritatem præſtare poteſt, ad alios confugimus, per quos commoda noſtra aſſequamur & incommoda amoveamus.

IV.

*Natura non videtur eſſe Cauſa Societatis*, ut Solo intrinſeco inſtinctu, nec alia extra nos ratione moti conſortium aliorum expetamus. I. Quia ſi homo hominem amaret naturaliter, nulla ratio reddi poſſet, quare omnes ſe invicem non æque amarent, cum æque ſint homines, aut cur eos ſolum amemus, à quibus commoda in nos redundant. *Hobbes de Cive c. 1.* Inſt. I. *Confundi communem Socialitatem cum peculiaribus & arctioribus Societatibus: Communem Amorem cum illo, qui ex peculiaribus cauſis provenit; Nec ad communem iſtum Amorem aliam requiri rationem, quam quod quis homo ſit. Natura quippe revera generalem aliquam amicitiam inter omnes homines conſtituit, abs qua nemo eſt excludendus, niſi per immania ſcelera ſeſe eadem indignum reddiderit.* Reſp. Communem & ſpecialem Amorem recte diſtingvi, h. illum quo omnes homines proſequimur, & eum, quo

quo unum atque alterum ſingulariter complectimur. Communem vero eſſe, quo homines, qua homines ſunt, proſequimur, negari; Confundiq; ipſius Amoris Communis Objectum & Cauſam: Omnes qui homines ſunt amari à nobis, amandos etiam eſſe verum eſt; Sed ideo unice amandos eſſe, quia homines ſunt, aut non aliam requiri rationem, quam quod quis homo ſit, petit τὸ ἐν ἀρχῇ: Id ipſum enim in Quæſtione eſt, An Homo Hominem amet naturaliter, h. ideo quia homo eſt & ſine reſpectu Commodi ex ipſo capiendi; Nec dabitur forſan Exemplum, quo ſine reſpectu Commodorum Homo Homines extra ſe amare deprehendatur. II. *Ad Communem illam Amicitiam plura accedere, ob quæ majori quis amoris gradu hunc quam illum proſequatur: Puta, quod major ſit Ingeniorum inter ipſos circa peculiares inclinationes congruentia, quod hic magis idoneus ſit, quam alter, aut proclivis ad Commoda ejus promovenda, aut quod propius ipſorum Origines diſtent: Atque ideo libentius eos frequentare hominem, in quorum Societate ipſi potius, quam alteri deferatur Honos & Utilitas, quod quiſque Commoda ſua non poſſit non amare, ſiquidem ea recte æſtimare norit: Quin ideo Sociabilitatem hominibus coli, ut per mutuam auxilii atque Bonorum inter plures communicationem noſtris Bonis eo commodius poſſimus proſpicere.* Reſp. Nec Negari, Gradus Amoris inter homines dari; Id vero adhuc negari, eſſe Amoris genus inter homines, quo ſine reſpectu commodorum

dorum

Digitized by Google

dorum homo hominem amet naturaliter. Immo allegata iſta omnia manifeſto indicare cauſam omnis Amicitiæ Socialis reſpectum commodorum eſſe; Si enim ideo alterum magis, alterum minus amemus, quod hic magis idoneus ſit quam alter, ad commoda noſtra promovenda &c. Jam in genere amabitur unusquisque, quod nemo ſit, quin cauſæ omni communi hominum aliquid cõferre poſſit, quo intermiſſo incommoda in nos redundare qveant. III. *Non ſequi, ſingulos homines, quando certis cum hominibus in particularem Societatem aut cœtum coeunt, peculiare aliquod commodum ſpectare, quod exinde ſit in ipſos redundaturum; Igitur Naturam Humanam in univerſum non eſſe deſtinatam ad Socialitatem, aut adverſus illum Sociales nos eſſe non teneri, ex quo ſingulare emolumentum mihi non proſpiciam.* Reſp. Id omnino ſequi, quod omnes & ſinguli æqve habent, id univerſis tribuendum eſſe: Sic omnes & ſinguli rationales ſumus. E. Humana Natura Rationalis eſt. Ac proinde & hic, omnes & ſinguli propter commoda in Societates ferimur; Nec datur diſſimile Exemplum. E. Humana Natura propter commoda præviſa in ſocietatem fertur.

II. Quia Status Hominis Naturalis eſt Status Belli. Iterum *Hobbes l. ante cit. Status Hominum Naturalis*, h. dum concipimur ſeorſim victuri aut extra Societatem conſtituti eſſe; *Eſt Status Belli*, h. propoſiti, illud quod alter habet occupandi, illumq; inde arcendi; Quod Statum talem

neceſſario ſequitur; Et ſenſus eſt: Si homines viverent extra Societatem, verſarentur in perpetua diſcordia; Vel ſi homines vitam Socialem non viverent, in ſtatu perpetuæ diſcordiæ victuri eſſent: Nam quia Natura unicuique æqvum Jus dedit in omnia, antequam homines ullis pactis ſe invicem obſtringerent, unicuique licebat facere & ſuſcipere, quod vellet aut poſſet: Quia enim omne quod Bonum ipſi erat, appetere poterat, jam omnia ipſi æque patebant, cum nihil ſit, qvin ſaltim ſpeciem Boni præ ſe ferat. Non igitur Naturæ ductu, ſed ſolo indigentiæ noſtræ intuitu ſocietatem colimus, nec ſocios natura qværimus, ſed quia à ſociis commodo afficimur, Inſt. I. *Non dari talem ſtatum.* Reſp. I. Neque è re eſſe, ut detur; Periclitaretur enim totum Genus humanum. Abſtrahi tamen poſſe, h. ſeorſim concipi poſſe, quomodo ſe habituri eſſent Homines, ſi extra Societatem viverent. II. Poſſe dari: Quod in Brutis claret, quæ omnia ſui generis Animalia oderunt, ſi in idem cum ipſis commodum ferantur; Neque Canes aut Lupi tantum, ſed ipſæ innocentiſſimæ animantes, oves aliæque ei exemplo ſunt, qvæ aliam ſui generis toties invadunt, quoties id videtur appetere, quod ipſæ ſibi deſtinaverunt; Neutram relinqvunt, ſi nihil ad ipſas attinens ſuſcipiat; Tum demum vero amant, ſi quod commodum ipſis eſt promoveat. III. Extitiſſe etiam & extare imaginem ejus in tot minoribus majoribusve Rebuspp. quæ non niſi totidem perſonæ

mora-

Digitized by Google

morales ſunt, de commodis certantes. Immo eluxiſſe clariſſime in tot antiquis gentibus quæ prædatoriam exercuere, quamdiu commoda Vitæ Socialis ſatis non perceperunt. Inſt. II. *Pro contraria ſententia facere originem Generis Humani prout illas Sacrarum Literarum Autoritas nos edocet: Quæ ſane naturalem hominem ſtatum Pacificum potius quam Bellicum, hominesque invicem potius amicos, quam hoſtes arguunt. Scilicet primo homini ex terra divinitus producto adjungitur ſocia, cujus materia ex illo ipſo deſumpta, ut eandem tenero ſtatim amore complecteretur, tanquam ex carne & oſſibus ſuis deſumptam, quam inſuper ſacratiſſimo ipſi fœdere adjunxit Deus. Ex his duobus quicquid eſt mortalium cum deſcenderit, non vulgari duntaxat amicitia, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultare poteſt, & de qua loquitur L. 3. ff. de J. & J. Genus humanum ſociatum intelligitur, ſed & tali quam communis ſtirps & ſangvis cum blando fere affectu junctum conciliat. Quibus ſiquis ſe exuerit ac hoſtilem in alios animum ſumſerit à primævo & naturali ſtatu deſciviſſe eſt cenſendus.* Reſp. Idipſum confirmare ſententiam noſtram: Nam ſi Societates ideo fuerunt coævæ humano generi, ut homines pacate viverent, è contrario ſequitur, citra Societatem Homines pacate non victuros fuiſſe, & Societates hominibus connaſci oportuiſſe, ne illi pacate non viverent: Quod ipſum eſt, quod dicimus: Statum Hominis naturalem eſſe ſtatum Belli. Atque adeo ſi quis concordiam exuerit, ac hoſtilem in

alios animum ſumſerit, is à primævo ſtatu quidem deficit, verum ſociali, ſine quo in primis rerum initiis etiam inimice cum aliis vixiſſet. Inſt. III. *Non poſſe ſibi invicem immediate nocere, quos locorum intercapedo disjungit. Nam qui abſens mihi nocet, id facit per aliquem præſentem. Neque res mea niſi per præſentem perdi queunt. Ergo cum longe inter ſe diſſiti nocere invicem nequeant, non apparet, quare non inter amicos potius quam hoſtes tales ſint cenſendi.* Reſp. I. In Statu Sociali tales pro neutris habendos eſſe, non pro amicis, nec pro hoſtibus. II. Non quæri de actu, ſed facultate nocendi; Et homines locis disjunctiſſimi ſibi invicem etiam nocerent, ſi per locorum diſtantiam poſſent. Inſt. IV. *Illam ipſam virium æqualitatem, quam Hobbeſius aſtruit, voluntatem nocendi potius refrænare, quàm incitare poſſe. Quin nemo ſanus cum æquali in pugnam deſcendere amat, niſi neceſſitate urgente, aut ubi occaſio rei bene gerendæ fiduciam ſubminiſtrat.* Reſp. Jurium æqvalitatem tamen propoſitum lædendi in nobis fovere, actu ipſo exerendum ſi occaſio daretur, qvod in omnibus privatis litibus hodienum videre eſt. Inſt. V. *Hic non agi de Statu Naturali Animantis, quod ſolo impetu & inclinationibus Animæ ſenſitivæ regatur, ſed cujus pars præcipua & cui in cæteras facultates regimen ſit ratio. Hominem autem à Bello in quod per pravos affectus impellitur per rationem revocari.* Reſp. I. Hominem ratione à Bello avocari, ſed commodis ſuis ſe dimetiente, fatente ipſo auto-

[illegible]

V.

[illegible]

VI.

[illegible]

autore: Quod ipſum eſt quod toties diximus. II. Rationem diſſvadere Bellum à pravis affectibus excitatum, quod in caſu à nobis formato non fit, id enim ipſius rationis opus foret. Vid. Axiomatis II. ratio ſuperius reddita. Inſt. VI. *Neque eſſe, quod aliquis nobis occinat Barbariem apud plerosq; priſcorum populorum, quos juvit ſemper recentes convectare prædas & vivere rapto.* Reſp. Non approbari, ſpecimen Status Naturalis tamen in iis elucere.

V.

*Finis* Societatis ex Cauſa jam deſignata petendus: Cujus intuitu triplicem proponimus. I. Solamen contra ſolitudinem. II. Adjumentum in negociis. III. Protectionem adverſus injurias. Poſteriora ex præced. patent; Primum ex dictamine Divino *Gen. II. 15. Non eſt bonum hominem eſſe Solum.* Adde Verulam. *de A.S.L. IIX. c. 1.*

VI.

*Societas verſatur circa res in univerſum omnes, quarum communione ipſi opus eſt.* Nec dubii hic quicquam, niſi quod de communione ſexus fœminei aliqui movent; Hac vero opus non eſſe inde certum eſt, quia communio talis Societatem non juvat, ſed turbat, ob incertitudinem. Vulgo Platonem hujus opinionis arguunt. Vid. inprimis *Joh. Bapt. Criſpus de Ethnicis Philoſophis caute legendis L. XII.* Sed quem intelligi poſſe putamus non de communione corporum, ſed operarum. Plato enim loquitur de Rep. Perfecta, quæ



Digitized by Google

ſine labe & confuſione eſt; Communio corporum talis vero ſine labe & confuſione eſſe nequit. *Laur. Valla* tamen id videtur aſſeruiſſe *L. de vero falſoq́; Bono*, jocone an ſerio, iis expendendum erit, quibus perſpectum eſt viri hujus Ingenium.

VII.

*Subjectum* Societatis eſt *Homo*, quippe ratiociniis commodorum & indigentiæ ſuæ eò perductus; Hinc ab Ariſtotele dicitur natura eſſe *Animal Politicum*, h. Sociale; Quod nos tamen interpretamur, fieri natura quidem, ſed cogente, non ducente, extrinſecus impulſa, non intrinſecus movente, cujus ratio reddita *§. IV.* In *Bruta* non cadere Societatem inde colligimus, quia congregantur qvidem, ſed in communem finem non tendunt: Cauſa, quia Bonum Commune ipſorum à Bono privato non differt. Unde qvot Bruta, tot fines ſunt, nullus autem Communis omnibus; Eoq; nec Societas, quæ eſt unio plurium ad communem finem.

IIX.

Bruta ne poſſe quidem Societatem inire, inde porro colligimus, quia nullis ratiociniis commodorum atqve indigentiæ ſuæ ſe metiuntur, quippe Ratione deſtituta. Hujus indicium, qvia nunquam ſupra ſe reflectunt, qvod Rationis munus, ſi non ipſa Ratio eſt; Hoc eſt, non cognoſcunt ſe id eſſe, qvod ſunt: Eqvus non cognoſcit ſe eqvum eſſe, Vulpes, aſtutiſſima animantium, neutiqvam ſe vulpem eſſe &c. Qvod ipſum ita ſe ha-

D 4

Digitized by Google

ſe habet in omnibus actionibus ipſorum, quas edunt, ſed *ſine facultate* ſupra eas reflectendi, adeo ut tales eſſe non agnoſcant; Plane ac in homine etiam potentiæ ita dictæ ſenſitivæ ſine ejusmodi reflectione ſunt, & oculus non videt ſe videre, auris non audit ſe audire: Qvam tamen aliunde homo addit, & audire, videre ſe, ratiocinatur. Confer qvæ *plurim. Rever. D. Grebenitius noſter* hac de re obſervavit in *Mantiſſ. ad Colleg. Metaphyſ. Diſp. VI. §. IV.* Et prope abeſt, quod priſcus Ariſtoteles tradidit *III. de Anima c. IV. Paſſionis vacuitatem non ſimilem eſſe ſenſitivi atque intellectivi, patet in ſenſuum inſtrumentis, atque in ipſo ſenſu. Senſus enim ex vehemente ſenſibili ſentire non poteſt; Auditus namque non audit ſonum poſt magnos ſonos; Et viſus non videt, atque odoratus non olfacit poſt vehementes colores atque odores. At intellectus aliquo valde intelligibili intellecto, non minus ſane, ſed magis percipit intelligitque inferiora.* Sed qvem interpretes ejus non aſſecuti, nedum ſecuti videntur: Unde ipſa ſubtiliorum Scholaſticorum Ingenia hæc materies torſit, & cum ſummam aliquam multis in Actionibus hominum & Brutorum ſimilitudinem viderent, intricatis reſponſis modo rem eludere, modo profeſſione doctæ Ignorantiæ ſe excuſare conati ſunt. *Et Roder. de Arriaga* Rationem Brutorum aliqvamdiu infitiatus, tandem: *Ratione perſvadere hanc ſententiam*, inquit, *difficile eſt; Agitur enim de Actu exiſtente in Bruto, de quo nos nullam poſſumus habere Experientiam. Diſput.*



Digitized by Google

*Phyſ. VII. Sect. VI. Subſ. II.* Jeſuita *Rorarius* plane aſſerere: *Quod Bruta melius utantur Ratione, quam homo:* Qvod & peculiari ſcripto confirmare conatus fuit. *Franc. Bona Spei* ſcribit: Bruta ratiocinari non ad actus Liberos & in ordine ad Electionem, ſed ad Actus neceſſarios. I. Qvia Bruta adhibeant Judicium diſcretionis, atque illud eſſe qvandam ratiocinationem. II. Idem patere infinitis experimentis. III. Scripturam pigros jubere, ut vadant & conſiderent vias formicarum. *Prop. VI.* Ratiocinari vero ſeu *Rationale eſſe* vocat moveri propter rationem finis & medii inter duo extrema apprehenſam ab uno ad aliud per conſequentiam intermediam progrediendo, ita ut ratiocinans cognoſcat bonitatem conſequentiæ, & ſciat qvare actionem ſuam exerceat, *De An. Diſp. V. Dub. I.* Qvæ omnia dilutu facilia, ſi cogitemus, ea Brutis quidem tribui poſſe, ſed facultatem reflectendi ſuper ſe ipſis non addere, eoqve nec Rationem proprie ſic dictam inferre.

IX.

Eadem in Brutorum & hominum Actionibus ſimilitudo neglectusque debitæ, qvid ratio ſit, explicationis effecit, ut Brutis Jus aliquot à Juris Scriptoribus nonnullis tribueretur. Cenſuit ita *H. de Roy de eo q. J. e. L. I. T. II.* atque eo Ulpiani deſcriptionem J. Naturalis pertraxit: Eſſe illud *quod Natura omnia animalia docuit*, & l. 1. §. 3. ff. de J. & J. *Videmus etiam cætera quoque animalia, feras quoque, iſtius juris peritia cenſeri.* Plenioris

illu-

illuſtrationis cauſa addit Principia hujus J. Naturalis ad unicum ſummum caput referri poſſe: *Se ſuaque diligere: Quod cætera ſub ſe continet, qualia ſunt, defendere vitam, tueri corpus, conjunctionem maris & fœminæ appetere procreandi cauſa, curam gerere ejus quod procreatum eſt, ſequi bona, vitare mala, eligere profutura, declinare nocitura. Hæc natura juſta ſunt*, ait; *Hæc omnibus animalibus bona & æqua ſunt; Hæc natura omnia animalia docet; Hæc dn. obſervanda eſſe ſua cujusque inclinatio ſeu ratio inſtigat ac promovet.* Reſp. His nihil inferri præter appetitum Boni, non autem Jus aliqvod: Neqve enim Amor iſte ſui ſuorumqve ſolis Brutis, ſed Plantis etiam atq; aliis rebus omnibus communis eſt, cum omnia æqve tendant in ſui conſervationem, perfectionem & amplificationem; Sicqve Bruta eligunt profutura, quia congruunt cum appetitu ipſorum, nocitura declinant, qvoniam ab appetitu eorum diſcrepant & ſ. Jus vero cur actibus hiſce attribui neqveat, cum iidem in homine Juris Naturæ ſint, cauſa hæc eſt, quia Brutis, plantis & ſs. ita agentibus Cognitio deeſt. Neqve enim Brutum dum defendit vitam, agnoſcit ſe defendere vitam, dum curam gerit ejus qvod procreatum eſt, agnoſcit ſe curam talem gerere &c. Juris autem qvod eſſe debet, id tale eſſe cognoſci oportet; Signum hujus, qvia obligamur Jure, qvodcunqve illud ſit, id autem quod in notitiam noſtram non venit, obligare nos neqvit, ac proinde nec Juris eſſe

 poteſt:

poteſt: Unde etiam patet, cur iidem Actus in homine Juris Naturæ fiant, qvia homo tales eſſe agnoſcit, eoqve meritò obligatur. Et Infantes, furioſi &c. effectibus Juris non comprehenduntur, qvoniam agnitione tali carent. Alii rem brevius propoſuere, & Juris nomen non mereri, qvod ratione caret, ratiocinati ſunt, ſenſu cum noſtra ſententia prorſus eodem, Juri locum non eſſe, ubi cognitio agentibus deſit: Qvod ſenſit Royæus, ideo reſpondet, *Jus naturale ſuum nec carere ratione à parte ſui, quia nihil à Deo abſque ratione conditum ſit, hoc autem omnibus animalibus bonum, æquum, atque adeo juſtum eſſe.* Prorſus obſcure, prout in omnibus ſua Lectori proponere ſolet. *Reſp.* Si Rationis nomine prout videtur cauſam intelligat, & nihil à Deo ſine cauſa conditum velit, atqve Jus Naturale ſuum non carere cauſa, ob qvam conditum ſit, ipſum nihil qvod ad rem faciat reponere, cum ſcriptores iſtud, qvo à Brutis diſtinguimur, per Rationem indigitent, h. facultatem ſupra ſe reflectendi. Hanc vero ſi intelligat, atqve Jus Naturale ideo Ratione non carere velit, quoniam à Deo tanquam Principio maxime Rationali profectum ſit, jam totus mundus Rationalis erit, & nihil niſi Rationale qvaqva verſus occurret ipſi, eandem ob cauſam. Adeo nimirum poſito uno abſurdo, ſequuntur infinita & cum illaqveatum ſe ſentiret, nodos rumpere non ſolvere voluit; Veluti & paulo poſt eò delabitur, ut Bruta nec Ratione ſua carere putet, nec irrationa-

tionalia eſſe niſi comparatione ad nos habita; Cui in præced. pleniſſime ſatisfactum. *Fortunii Garciæ* Hiſpani diſtinctionem Juris Naturalis in Gubernatum & Gubernans, in qva tantopere ſibi plaudit *Royæus*, ambiguo ſenſu conſtare putamus, Jus Gubernatum eſſe rati, qvod Objectis inhæret, Perſonis, Rebus, Actionibus, qvæ Jus habere, h. circa ea Jus verſari, dicimus, ſicque & Brutis non inconvenienter aſſignabitur; Jus Gubernans qvod ſubjectis competit, à quibus actiones, quæ juſtæ dici debent, proficiſcuntur. Sed prius nihil, poſterius vero demum ad propoſitum noſtrum facit. Non enim quæritur, an iis qvæ juſte aguntur, & quibuscum juſte agitur, ſed an ijs qvæ juſte agunt, Bruta annumerari debeant. Juris C. dn. Verba Interpretes jam dudum explicuere, Juris peritiam aut uſum Brutis attribui non niſi ob actuum externam ſimilitudinem. Qvibus adde *Grot. J. B. & l.*

X.

Solus *Homo* itaqve capax Societatis; Nec tamen niſi adjunctis inveſtitus, *Applicabilitate & Æqualitate.* Prius, qvia conjungendus eſt cum aliis; Aptum ergo fieri oportet ad debitum iſtud præſtandum, qvod communis finis exigit; Poſterius, qvia in eundem finem tendunt; E qvo & Æqualitatis inter Socios naturam potiſſimum æſtimandam putamus. Eodemqve ſenſu, & tota Societas Fortunæ apud JCtos inter Æqvales verſatur. Cæteris Societatibus omnibus Æqvalitas

qvi-

Digitized by Google

qvidem neceſſaria, ſed I. conſtituendis, non conſtitutis; II. Æqualitas ſi non ordinis, ſaltim Naturæ: Quæ in ſeqq. de Imperio pluribus diducentur. Ipſis hiſce argumentis vero nititur univerſus ſociorum ſelectus; Neqve inæqualium Societas approbari ſolet, quia diſſimilis eſt eorum ad ſe invicem applicatio; Nec ſinguli Societati colendæ æqve apti ſunt, qvia minus applicabiles. Ita Salomon: *Noli eſſe amicus homini iracundo, ne ambulato cum homine furioſo.* Cauſa quia debitum iſtud non præſtant, quod commune Societatis Bonum efflagitat.

XI.

*Cognata* Societati *Converſatio*: Quæ licet omnem Societatem comitetur, (ſi enim Socios habere velimus, illis nos adjungi oportet,) Quà talis tamen eſt, Societatem non neceſſario involvit. Societas enim plures in unum finem conjungit; Converſatio ſingulis peculiares ſuos fines relinqvit: Unde & cum Societas ſit unio plurium in communem finem, Converſatio tantùm eſt *actus communicandi cum aliis*, h. aliis ſe impertiendi, jungendi, licet diverſo fine, & ſingulis peculiarem intentionem afferentibus.

XII.

*Oppoſita* Societati *Vita Solitaria*, cujus incommoda expreſſit *Seneca de Tranquill. III. n. 114.* *Si omnium converſationem tollimus & generi humano renunciamus, vivimusque in nos tantum converſi, ſequitur hanc Solicitudinem omni ſtudio carentem*

*inopia*

*inopia rerum agendarũ. Incipimus ædificia alia ponere, alia ſubvertere & mare ſubmovere &c.* Qvæ Epictetus acutè complexus *mundũ alium moliri inſtar puerorum* dixit. Ejus ſpecimina poſita ab hodiernis Anachoretis & qvi à ſummè auſtero vitæ genere *Stylitæ* apud veteres vocabantur: Qvalis *Simeon Stylites*, qvi integris XL. Annis ſponte Columnæ incluſus ſubſtitit & patientiam ſuam exercuit. Qvorum cauſa erat, ut ſeſe omnibus perturbationibus tanto facilius tunc exuerent: Qvod tamen teneritudinem quandam potius fovere autumamus: Namqve ille animus demum vere firmus eſt, qvi non tantum ad abſtinendum, ſed etiam ad fortiter ſuſtinendum valet, qviqve animĩ impetum etiam in maximis præcipitiis cohibere poteſt: Veluti in Eqvis bene ſubactis eos demum laudamus, qvi breviſſimo ſpacio & ſiſtere ſe & vertere poſſunt. Veteres Anachoretas plerosqve tamen excuſamus, qui rationem ſeceſſus ſui non in ſimplici exercitio patientiæ, ſed ſtudio conſervandi Religionem Chriſtianam fundabant: Ut, cum flagrantibus perſecutionibus Doctores Eccleſiæ maxime infeſtarentur, his deſinentibus aliquando ſupereſſent, qvi Sacram Religionem propagare poſſent. Nec etiam hodiernos Monachos, Cœlibes aut ſs. huc pertinere arbitramur, qvia licet certis ſocietatibus ſe ſubducant, tamen Sociali Naturæ ſeſe non opponunt, cum in ſodalitiis ſimilium verſentur.

XIII. Cla-

Digitized by Google

XIII.

Clarior utriusqve pugna in eo, qvod ipſi Actus Singulorum, etiamſi Societate comprehendantur, cedant Vitæ Sociali: Unde notum Axioma: *Bonum publicum præferendum privatis*: Cujus ratio, qvia privatus, dum in Societate vivit, non poteſt aliter conſiderari, qvam pars totius cujusdam majoris, h. Societatis, cujus membrum ſe profitetur. Totum vero præſtantius ſuis partibus, qvia tendit ad Formam ampliorem, pars vero ad formam inferiorem & minus amplam. Hoc modo Sacer Codex aliquando Amorem proximi extollit, ut nempe depreſſo Bono particulari Bonum commune exaltetur. Et Moſes optabat ſe potius eraſum ex Libro Vitæ, qvam ut Fratres ſui Salute excluderentur *Exod. XXXII. 32.* Qvod tamen Verulamius *Ecſtaſin charitatis*, & impotens deſiderium Boni communis vocat; Nos *Sanctam Impatientiam*: Qvod Moſes omni prorſus modo Juſtitiæ Divinæ ſatisfactum vellet, eoqve, ſi fieri poſſet, in ſe quoq; illius vindictam derivari, qvam ipſam negligi maluerit.

# CAPUT V.

## De

# PACTIS.

*Conſequentia Vitæ Socialis: Quid Pacta? In quibus rebus verſentur: Cur impoſſibilia*

&

DE PACTIS

I.

II.

Digitized by Google

*& illicita non poſſimus paciſci? Cur priora pacta derogent poſterioribus? An promiſſa Latroni facta ſervanda? An pacta metu extorta valeant? An ſi quid promittatur homicidii perpetrandi cauſa id effectum Juris habeat? Pacta cum infantibus, minorennibus, fœminis, ebriis, errantibus, brutis: An cum hoſte paciſci poſſimus? Obligationis pactorum cauſa, confirmatio: Juramenta quid pactis addant? Pignora, Obſides, Fidejuſſio: Meritum, merces, præmium, pœna: Pacta Publica & privata; Contractus, ſponſiones: Vota.*

I.

CONſequentia Vitæ Socialis duo ſunt: Juris noſtri ceſſio, & iſtius ſeu ceſſi ſeu relicti nobis proſecutio. Poſterius *Imperium* præſtat, prius *Pacta*, h. in rem alii conferendam conſenſus; Generaliori nomine, ſed qvod à natura rerum comprehenſarum non adeo alienum forte fuerit: Maxime qvod Communem in Jure Civili ita dictis obligationibus fontem aſſignari oporteat, qvi uno nomine alio qvam Pactorum vix exprimi poterit. Confer qvæ circa generalia ſignificata Vocum Contractus, Pacti, Conventionis monent Juris Interpretes ad *t. ff. de Pactis.*

II.

*Pactum* igitur eſto *Translatio Juris mutua.* Dum enim Vitam Socialem colimus, neqve vel natu-

naturaliter, vel moraliter omnibus æqve pares eſſe poſſumus, patimur noſtrorum aliqua ad alios tranſire, ſimul ab illis etiam expectando, qvod illorum ſit, ſed in nos redundaturum; Ac proinde mutuo transferimus aliqva, & illa qvidem in poteſtatem alterius, cum noſtra eſſe non poſſint deſinere, anteqvam alius fiant, ſicque, uno verbo, paciſcimur. Qvod illud eſt, qvod *Salomon* docet *Prov. VI. 1. Fili mi, ſi quid ſpopondiſti alteri, defixiſti externo volas tuas.* *Translationem* vocamus, qvia pactis fertur aliquid de perſona in perſonam; *Juris*, h. poteſtatis in rem exercendæ; Non rei ipſius, qvia ſæpenumero transfertur Jus, licet res ipſa non tradatur: *Mutuam*, in Diſcrimen ab obligationibus hominum erga Deum, qvibus illi quidem abſolutam debent obedientiam, ipſe vero nulla ratione iisdem ad aliqvid pro ea obedientia præſtandum tanqvam ex vi obligationis extrinſece advenientis tenetur: Qvæ enim ille hominibus præſtat, ex gratuita ipſius benevolentia proficiſcuntur. Inter homines autem naturali ipſorum æqvalitati repugnat ut unus obligetur alteri, vel Juris aliqvid in alterum transferat, & tamen nulla prorſus ratione ab altero expectet aliqvid. Idqve licet aliqvando minus evidenter appareat, ut in Pactis inter Principem & Subditos, item in donationibus, nunqvam tamen alterum obligatione prorſus vacuum efficit; Qvemadmodum Princeps, licet aliqva obligatione exemptus ſit, perpetuam tamen erga Subditos fert obligationem

Digitized by Google

tionem curandæ ſalutis publicæ; Et donationes non reciprocam obligationem alterius tollunt, niſi qvoniam nos eam illi remiſimus, eoqve nullam nobis viciſſim poſtulamus. Vid. pluribus *Cl. Puffendorf. El. Jur. Defin. XII. §. V. & ſeqq.*

III.

Verſantur Pacta in Jure noſtro: Unde nec res aliæ, quam in quibus Jus noſtrum ſe exercere poteſt, eo referendæ; In genere res quæ in poteſtate noſtra poſitæ ſunt, quia ad illas Jus noſtrum ſe extendit. Unde ubi juri aut poteſtati noſtræ locus non eſt, ibi nec pactis locus eſſe poteſt. Sic *impoſſibilia* non poſſumus paciſci, quia in illa nihil poſſumus. Nec *illicita*: Quæ enim contra bonos mores fiunt, impoſſibilia de jure reputantur. *l. 15. ff. de Condit. Inſtit.* Et Pactum prius poſterius invalidum reddit, quia jure, quod hodie tranſtulimus, cras caremus.

IV.

Ipſa hæc lucem affundunt nobili Quæſito, an Pacta valida ſint cum *Latrone* aut ſimili, cujus ſcelere nobis neceſſitas paciſcendi illata? Reſp. N. Quia Latro vendicat ſibi rem transferendam, qvæ in poteſtate ipſius non erat, vitam nempe, aut ſimilem rem noſtram; Atque adeo cum in eam Jus non habeat, nec ipſam ab eo paciſci poſſumus. Nec juvat ipſum quod in poteſtate ſua habeat vitam noſtram vel eripiendam nobis vel conſervandam: Quia non eſt Quæſtio de poteſtate aut facultate naturali, qua validior ſemper debili-



Digitized by Google

biliorem ſibi ſubjicere poteſt, ſed de Poteſtate morali, an licitè id facere poſſit? Et licet aliquando neceſſitatem ſtandi promiſſis talibus feramus, id tamen accidit non vi pacti antegreſſi, ſed reſpectu mali majoris, quod metuatur, evitandi.

V.

Eodem numero veniunt *Pacta metu* extorta: Quæ toties invalida eſſe putamus, qvoties rem talem ab altero paciſci cogimur, quæ in ejus poteſtate non erat. Quemadmodum Latro vitam noſtram paciſci non poteſt, quia poteſtatem ejus moralem non habet; Et in negociis conjugalibus pactum conjugale pro nullo habetur, quandocunque ex metu probabili profectum cenſetur, h. tali, qui cadere poſſit in conſtantem virum, & explicatius, metu mortis, cruciatus corporis, amiſſionis omnium vel plerorumque bonorum: Quia is, qui Pactum tale urget, rem in ſe transfert, quæ poteſtatis ipſius ante non erat; E contrario matrimonia metu reverentiali contracta reſcindi non poſſunt, ſi filius propter ſolam reverentiam paternam contraxit ſponſalia cum virgine, quam alias non erat ducturus: Quia jure ſuo is non privatur, nec parentes poteſtatem aliquam in ſe transtulerunt. Similiter ſi quis Bello captus libertatem ea conditione accepit, ut precium redemptionis poſtea ſolvat, promiſſis ſtare tenetur, quia vita aut libertas ejus Jure Belli revera in promiſſarium tranſierant. Eodemq; recidunt, quæ *H. Grotius* hanc in rem affert: Promiſſarium, ſi metum

Digitized by Google

metum intulerit non juſtum, quamvis levem, atq; inde ſecuta ſit promiſſio, teneri ad liberandum promiſſorem *J. B. & P. II. XI. 7.* Hujus enim non alia ratio, quam quia Promiſſarius poteſtatem ſibi vendicat, quam non habet. Et cenſet quidem eodem in loco: *Promiſſorem alias obligari, quia conſenſus adfuerit.* Sed Reſp. I. Conſenſum in moralibus non ſufficere; Eodem enim obligaremur rebus illicitis, ſi ea paciſci oportuiſſet. II. Conſenſum hic factum quidem, ſed non tantum in præſtanda, ſed etiam in accipienda re aliqua, quæ dum promiſſarius nobis vel naturaliter vel moraliter præſtare neqvit, nec nos proprie conſenſiſſe præſumendum eſt. Neque magnopere nos urgent *Hobbeſii* ratiocinia: *Pacta ideo invalida fieri non poſſe, quod à metu proceſſerint: Quia inde ſequeretur. I. Pacta quibus in vitam civilem homines congregantur & LL. condunt invalida eſſe; Procedere enim à metu mutuæ cædis, quod alter alterius regimini ſe ſubmittat. II. Neque cum ratione eum facere, qui captivo paciſcenti precium redemptionis ſuæ fidem adhibet, de Civ. c. II. §. XVI.* Reſp. Ad I. Metum iſtum talem non eſſe, quo ſentiamus poteſtatem noſtram ab altero uſurpari, quia in ſtatu naturali æqvale Jus eſt omnium. Ad II. Fidem habere poſſe, quia in promiſſorem tanquam Captivum poteſtatem juſtam habuerat.

## VI.

An valida ſint Pacta ob *cauſam illicitam* inita, ut ſiquid promittatur homicidii perpetrandi



Digitized by Google

cauſa, alius atque altioris indaginis eſt. In ſe Invalida eſſe ratio non levis urget: Quia homicidium veluti in ſe illicitum eſt, ita nec licitum iſtud mercede ab alio paciſci. Quam igitur mercedem, h. precium deſtinatū eripiendæ vitæ alterius alter paciſci, h. jus poſcendi eam, in aliquem transferre non poteſt, eandem alter nec poſcere poteſt. Ajunt tamen Juris Interpretes ea effectu Juris non carere. Quæ accipimus ratione paciſcentis: Et ratio videtur eſſe, quia promiſſor utriusque rei pacto comprehenſæ, h. & receptæ præſtationis, & illicitæ conditionis, à qua præſtationem ſuſpenderat, arbitrium in ſe ſuſcepit, illasque connexas in alium tranſtulit; Unde quia auſus eſt jus alienum alteri tractandum ſubjicere, nec Jus ſuum ſibi proprium ab eo revocare poterit, cum majori parti, expletæ minorem merito accommodari oporteat: Longe gravius quippe rem alienam alteri ſubjicere, quam propriam in eundem transferre; Et legum beneficiis, ne ad rem indebitam cogeretur, ipſe renunciavit, dum alteri aliquid à ſe exigendi copiam fecit. Sic *Judas*, quia arbitrum totius pacti cum *Thamare* ſe conſtituerat, merito agnoſcebat ſe læſa pudicitia ejus mercedem ipſi debere, cum quia in re aliena verſari potuerat, etiam poſt in propriis ſibi ſimiliter verſandum eſſe facile agnoſceret. Eodemque ſenſu venit Marcelli JCti judicium de meretrice *l. 4. §. 3 ff. de Condict. ob turp. vel inj. Cauſ. Illam turpiter facere, quod ſit meretrix, non turpiter accipere, cum ſit meretrix.* Huc reducimus etiam Pacta *magica*, adjun-

E 3

Digitized by Google

adjunctasque illis Abjurationes, quibus effectum ſæpenumero reſpondere tot triſtibus exemplis conſtitit. Ratione eadem id evincente. Ac licet Juræ Naturæ nemo poſſit ob omiſſam rei indebitæ præſtationem malo affici: Quia tamen in rem illicitam conſenſerant, quod in Magia eſt, eo ipſo beneficio iſti renunciarunt, ſicque Satanæ rem alias in debitam exigendi poteſtatem fecere. Deus autem cur iſta fieri juſtiſſime permittat, ratio eſt, quia Pacta iſta directa intentione contra ipſum tendunt, eoq; in Magum tanquam Hoſtem quodcunque ut decernatur pati poteſt.

VII.

In Materia de *Subjecto* Pactorum rationis uſus requiritur in eo, qui paciſci debet: Ideo furioſi & infantis nulla eſt promiſſio; Nec Ebrii, quia quid agatur tunc non intelligit. Minorennes & fœminæ non prorſus eximi poſſunt, cum ratione jam utantur, niſi Erroris titulus aliquando liberos fecerit: Pacta errantis invalida ſunt, quia movebatur ad paciſcendum præſumptione rei, quæ ita ſe non habebat. Cum Brutis paciſci non poſſumus ob cauſam initio dictam, cui accedit quod nec debitis ſignis voluntatem ſuam indicare poſſint.

IIX.

Quæſtioni an cum *Hoſte* paciſci poſſimus jam ſatisfactum à *Cl. Puffendorf. c. I. §. XXII.* Cujus ſumma: Pacta cum hoſtibus, quæ in Bello ſeu mediate ſeu immediate finiendo occupantur,



Digitized by Google

ſervanda eſſe, quia pacem tanquam majus Bonum homini procurent: Cujus generis ſunt, pacta induciarum, ſecurus tranſitus negotiantium de pace &c. Cætera circa res quaſdam præſtandas durante Bello, quæque ad hoſtilitatem tollendam non ſpectent, non obligare: Cum implicet, poſtulare, ut alter fidem meam ſequatur, quod in Pactis fit, & nihilominus profiteri ſe velle manere hoſtem, i. qui quacunque via ipſi nocere velit; Seu noſtra explicatione, ut alter Jus aliquod ſuum in nos transferat, & tamen ſe omni jure ſuo adverſus nos agere profiteatur. Quod tamen more cultiorum gentium hoſtilitas in certis locis, temporibus, perſonis reſtringatur, item certa nocendi inſtrumenta non adhibeantur &c. id fieri, quia rebus humanis expedire videbatur, quædam veluti commercia belli conſtituere, poſtquam per libidinem belligerandi non pauciores futuri erant, qui indigna paſſuri, quam qui facturi eſſent.

IX.

Ex Pactis fluit *Obligatio* h. *Actus, quo tenemur præſtare, h. admittere aut pati aliquid.* Cujus *ratio interna* eſt, quia dum pacti fuimus, jus noſtrum ac poteſtatem in nos ſ. libertatem noſtram in alium tranſtulimus, eoque non amplius liberi ſumus & per conſequens juxta voluntatem ejus, in quem Jus noſtrum tranſtulimus, quique hoc ipſo libertatis noſtræ arbiter factus eſt, nos vivere oportet. *Externa ratio* duplex. I. Quia fallere dedignamur, quæ ratio tamen raro in numerum venit.

Digitized by Google

venit. II. Ob metum damni ex violato pacto naſcituri; Metus ille vero dupleex, I. Potentiæ humanæ, per quam ſi nolimus, cogi poſſumus; Et quidem vel ab ipſo promiſſario, vel à ſuperiore, qui Jus promiſſarii proſequitur. II. Potentiæ Divinæ, quam unusquisque à ſua religione habet. Priori reſpectu nituntur cautelæ, quæ inter privatos pignoribus vel fidejuſſione, in publicis Obſidibus promiſſarios ſecuros reddunt. Pignoribus, ſi fides ejus partis, quæ debitum ſuum loco poſteriori præſtat, videtur eſſe dubia: Fidejuſſione, ſi alterius obligationem in nos ſuſcipimus, ut ſi ab illo non præſtetur, à nobis ipſis explenda ſit. De Obſidibus agetur in Cap. de Fœderibus. Poſterioris intuitu Juramenta Pactis addi ſolent, ut ſi violentur, metuendum ſit, Deum quem tq. ultorem violationis invocaveramus, nobis clementem haut futurum. Quibus JCti & promiſſiones per fidem humanam aſſimilant, ut bey Fürſtl. Gräfl. Adelichen Ehren / bey Chriſtlichen Treuen und guten Glauben / quoad vim obligandi & remedia reſciſſoria removenda pro juramentis habendas. Vid. *Hahn ad ff. de Jurejur. n. VI.*

X.

Nihil horum tamen novam obligationem producit, ſed factæ certitudinem tantum confirmat. Veluti Juramenta ſemper præſupponunt rem præſtandam, cui metum excidendi divina miſericordia, ſi ſecus faxint, tantum adjiciunt: Unde nec pacta, quæ alias in ſe & Jure Naturæ al-

teri nullum Jus tradunt, validiora fiunt accedente Juramento: Quia Juramenta Pactum præſuppo- nunt, quod in caſu ejusmodi non præceſſit. Sicq; ſi vitam à Latrone qvovis precio jurato etiam paciſcamur, obligatio tamen nulla ſequitur. Latro enim rem paciſcitur, quam non habebat, atque adeo revera non paciſcitur, tanto minus autem confirmationem Pacti urgere poteſt, cum nullum præceſſerit. Sed an in honorem Divini Numinis ejusmodi promiſſa ſervari debent? Ait *Cl. Autor El. Jur. cit. l. §. XLI. Cum enim ejusdem intuitu gravius effugeris malum, quam promiſſum illud eſt, irreverens utique foret, poſtquam periculum effugeris, tam proficuam Numinis invocationem velut retractaſſe.* Quod nos in medio nunc relinquimus: Dubitandi ratio tamen eſſe poteſt, ſi Latro coegerit nos rem illicitam jurare; Sic enim reverentia Dei velut in propriam ejus ignominiam ipſum abuti facile ipſe Cl. Autor dederit: Atqui hic ſimilis ratio eſſe poteſt. Agnoſcitque idem Cl. Vir Juramenta introducta eſſe, *ut licitis ac bonis Actionibus inter homines firmitatem addant, non ut ſceleribus ſuccenturientur.* Confer eundem *de J. N. & G. L. IV. c. 1. §. 8.* qua tota ferè à noſtra ſententia eſt, ipſeque dubio ſuo hic moto remedium parat: *Siquis ſit qui evitando ſimpliciorum ſcandalo & ne videatur Nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum ſubductus irreverentius habere, pecuniæ promiſſæ jacturam facere velit, ſatius utique videri, Deoque acceptius eam in pias cauſas erogari, quam nebu-*



[illegible]

XI.

[illegible]

*nebulonis alicujus malitiam eadem ali.* Una Exceeptio ſupereſt. *Aliam videri Naturam Jurisjurandi, cujus verba non ad hominem ſed ad Deum diriguntur, v. gr. ſi dicam ſolus aut coram arbitris: Ego Deo juro, quod Sejo velim dare. Id enim habet indolem voti, quo Deo promitto, quod in ipſius honorem aliquid ſim præſtiturus, atque ex eo non homini, ſed Deo jus volui conferre; Secus autem ſeſe habere Juramenta, quæ ad hominem dirigantur, ſeu ubi Deo teſte homini quid promitto, ubi plane videri expirare obligationem &c.* Poſterius inter nos in confeſſo eſt: Priori ipſe etiam reſponſum ſuppeditat; Votum non ſtringere niſi à Deo acceptetur, non conſtare autem mihi an Deo probetur ut ego innocens me Bonis meis ſpoliem, & illa in impium Nebulonem conferam, ne ille gratis ſceleratus fuerit.

## XI.

Pactorum circa Actiones conſequens eſt *Meritum*, h. Jus accipiendi ab altero rem factis ſuis æquivalentem. Sic merces operariorum eſt meritum, quia expletio ipſius judicatur æquivalere operæ poſitæ; Et Bona opera non poſſunt dici meritoria, I. Quia quicquid virtutis aut Boni moralis edimus, id omne facimus, quia Naturæ Rationali conforme eſt; Ideo vero, quia Rationales ſumus præmium poſcere non poſſumus. II. Quia Jus à Deo rem factis noſtris æquivalētem poſcendi non habemus, cum nunquam ſatis coli poſſit. Præmia ſunt merita, quippe in redhoſtimentum



Digitized by Google

laborum impenſorum collata: Quanquam in eo à *mercibus* differant, quod mercedis expletionem expreſſe ſtipulemur, Præmium vero ut conferatur, ratione modi, temporis & quantitatis arbitrio & æquitati alterius relinquamus, prout bene explicatur à *Cl. Puffendorf. L. I. Defin. XX. §. III.* Sed qui in generali natura Meriti ibidem explicanda intricatior videtur, unde & Meriti ac Demeriti nomina introduxit, & Meritum deinde Præmiis ac Mercedi, Demeritum POENIS aſſignavit: Sed communis uſus vocabulorum ſatis docet Demeritum in Bonam & Meritum æque in Bonam ac in Malam partem accipi, ut proinde noviter excogitata videri poſſit hæc Nominum Diſtinctio: *Meritum* deinde ipſi eſt. *Qualitas Moralis æſtimativa in hominem ex Actione indebita reſultans, ſecundum quam illi debetur Bonum æquipollens ab eo, in cujus gratiam iſta Actio fuit ſuſcepta:* Demeritum, *Qualitas moralis æſtimativa ex Actione mala in hominem reſultans, qua tenetur penſare damnum alteri datum.* In quibus veremur, ne & juſto prolixiora & obſcuriora propoſita ſint, maxime quod Qualitas moralis æſtimativa notio ſit parum ſolita; Sed nanciſcentur hæc forte dextrum aliquem Interpretem. Nos generali iſto conceptu ſuperius poſito omnem Naturam Meriti ſatis exhauſiſſe nobis videmur, cui ſpeciale Diſcrimen ita vocatorum à Puffendorſio Meriti & Demeriti facile varietate Æqvivalentis adjungentur: Ut ſi Æqvivalens jucundum ſit, Meritum, Merces vel præ-

Præmium vocetur; Si Triſte & moleſtum POENAM attrahat.

XII.

Dividimus Pacta in *Publica & Privata.* Publica concernunt Statum Belli vel Pacis. Pacta Publica in Statu Belli, vel Bellum tollunt, & tunc quia aliud vocabulum non ſuppetit, *Pacis* nomine exprimuntur; Vel relinqvunt Bellum, & vocantur *Induciæ.* Pacta Publica tempore Pacis ſunt *Fœdera.* Privata Pacta ſunt *Contractus*, h. mutua Juris in res privatas noſtras translatio: Qui eo ipſo & Perſonas Publicas & ipſos Principes obligant, quia res in quibus verſantur privatæ ſunt, eoque illos extra publicum conſtituunt. Similes hiſce ſunt vulgo ita dictæ *Sponſiones*, quando eventum alicujus rei depoſito pignore vel affirmamus, vel negamus: Quæ cur obligent ratio eſt, quia inter paciſcentes convenerat, ut in præmium veritatis aſſertæ pignus acciperet, pro quo veritas militatura eſſet. De Pactis perfecte & imperfecte mutuis dictum aliquid, præced. §. *II.* Cætera in Commentariis JCtorum clarent.

XIII.

Cognatæ Pactis *Obligationes ſponte acceſſitæ adverſus Deum*, uno nomine, *Vota*: Quæ obligant, quia Libertate noſtra, quam Deus alias nobis reliquerat, ceſſimus, dum rei alicui neceſſariò explendæ nos obſtrinximus. Pacta vero non ſunt, quia nihil reciproce à Deo expectare poſſumus. Iis neceſſario ſtandum eſſe in eo claret, quia Liberta-

bertatis noſtræ arbitri non amplius ſumus; Neque deſunt divinæ ultionis in violatores Votorum exempla frequentia. Vota monaſtica eodem reducimus, ſed eo ſenſu, ſi Monachus rem quæ in ſua poteſtate ſit, Deo ſe præſtiturum receperit. Quanquam alio quoque ſenſu his Votis ſua conſtet neceſſitas, quia Monachus pactum cum Collegio iniit, eoque in illud Jus ſuum tranſtulit: Quomodo tamen non Vota proprie ſed pacta erunt. Ex eodem patet, cur qui S. Miniſterio ſe ſemel addixit, Characterem ferat indelebilem? Quia recepit in ſe votum de verbo Dei annunciando & prædicando: Quod quia nunquam ſufficienter expleri poteſt, ideo perpetuo eo explendo obligamur. In humanis officiis ſecus eſt, unde idem Character ea non manet. De quo vide infra Diſſ. XVI. §. IV. Sed omnia hæc in rebus, de quibus conſtat ipſas Deo gratas futuras. In aliis res ſecus eſt, cujuſmodi jejunia certis diebus ſervanda, raſura capitis, rerum aliquarum abſtinentia: Quia non conſtat, an Deus nos iis obligari velit. *Inſt. I. Suſcipi tanquam teſtimonia ſpecialia humilitatis & reverentiæ noſtræ Deo debita.* Reſp. Perſiſtere rationem eandem, quod incertum maneat, an Deus velit nos obligari ejuſmodi circumſtantiis, vel humilitatem noſtram teſtimoniis talibus indicari. II. *Si unice in rebus verſentur de quibus conſtet ipſas Deo gratas futuras, omnia ea fruſtra ſuſceptum iri. Quia enim Bonis Rebus jam ante obligabamur, in poteſtate noſtra non amplius eſt*

*earum*

# CAPUT VI.

# DE IMPERIO.

Digitized by Google

*earum præſtationem Deo promittere.* Reſp. Non addi novam obligationem, neque augeri priorem, ſed magis tantum agnoſci & recipi eandem à nobis; ſeu Paſſive nos iſtis jam antè fuiſſe obligatos, Activa vero recognitione eandem arctius nos nobismetipſis applicare. Confer. *Ameſ. Caſ. Conſc. L. IV. c. XVI. q. 9.* III. *Eoipſo & Jejunia à magiſtratu injuncta nulla fore.* Reſp. I. Non eſſe vota, ſed ſimpliciter Actus humilitationis erga Deum publice juſſos. II. Niti autoritate magiſtratus, qvæ Vicaria Divinæ Poteſtatis eſt, eoqve præſumi Deo grata futura.

# CAPUT VI.

## De

# IMPERIO.

*IMperii Definitio: Sola Natura Rationalis Imperii capax; Cur homo Dominus univerſi divinitus conſtitutus? Cur Furioſis, Infantibus, Fœminis Tutores dentur? An Fœminæ capaces Imperii? Cur Nomina maſculina aliquando aſſumſerint? An Imperium maritale Reginarum hereditariarum Majeſtati obſtaculo ſit? Ratio ſelectus perſonarum Imperantium: Quid Uſus, Juſſus, Dignitas? Cur Dextram digniorem judicemus? Cur Turcæ ſiniſtram &c. Dignitas*

*Naturæ, Ordinis: Autoritas: Cur Diſcentem oporteat credere? Obedientia; Cur perſonam ſubjectam oporteat ſuſpendere judicium? Quid captivare Rationem? Res propriæ, communes: Cauſæ proprietatis: Servitus Maris: Jus venandi Principibus merito relinqui: Imperium publicum, privatum: Imperii privati fontem eſſe Publicum: Ratio inæqualitatis in imperiis privatis: Dominium Directum, Utile; Plenum, Diminutum.*

I.

PRoſecutionem Juris noſtri præſtat *Imperium*, h. *Poteſtas in alium. Poteſtas*, h. facultas Dirigendi ſ. diſponendi. *In alium*, in Diſcrimen *à Libertate*, quæ eſt Poteſtas in ſe. Sic Imperiū maritale importat poteſtatē in aliam; Imperium herile poteſtatem in alios, h. ſervos; Imperium Publicum Poteſtatem in Subditos, itidem alios ab Imperantibus. Eſt tamen, ubi nobiſmetipſis videmur imperare, veluti dum imperamus affectibus, dum in Statu Democratico tota multitudo imperat ſingulis &c. Sed tunc q. alii evadimus nobis ipſis propter varios reſpectus morales nobis annexos: Quod ipſum eminentioribus Imperiis aliquando contingit, ſi Princeps qui Imperium repræſentat Bona Patrimonialia in Imperio tali habeat; Quemadmodum in Aula Imperatoria ſæpe videre eſt mandata proficiſci ab eodem.

[illegible]

II.

[illegible]

III.

[illegible]

Digitized by Google

eodem, qui Imperator, ad eundem, quatenus eſt Archidux Auſtriæ.

II.

Capax ejus in ſubſtratâ materie noſtra ſolus *Homo*; Generalius *Natura Rationalis*: Hæc enim rerum agendarum, expetendarum, fugiendarum cognitione eminet, & ſola ſua cuique tribuere novit: Quæ cauſa etiam, cur Deus hominem univerſi orbis Dominum conſtituerit, qvia reliqua omnia ratione carent, ſicqve merito ab homine tanquam rationali eoq; digniori Imperium accipiunt. Et Theologi partem ſeu Conſequens Imaginis Divinæ in Dominio hoc quærunt, non aliam ob cauſam, qvam qvia ex ratione fluit: Cujus habitu ac uſu à terreſtribus recedimus ac Deo aſſimilamur. E contrario Beſtiæ, tanto minus inanimata, imperare non poſſunt, qvia res rite gerere & in fines ſuos dirigere neſciunt. Et inter ipſos homines Infantibus, ac furioſis Tutores & Curatores dantur, qvia rationis uſu carent, ac proinde poteſtatem rerum ſuarum ipſi adminiſtrare nequeunt: Etiam Fœminis dantur, qvas conſvetudo à rerum uſu removet.

III.

De *Fœminis* ambigi ſolet, maxime circa poſſeſſionem Majeſtatis, an capaces ſint Imperii? Nos eſſe nō ambigimus, niſi Lex aut mos Patrius aliter jubeat. *Nemini enim præcluſa eſt virtus, ſed omnes admittit, nulla vel cenſus vel ſexus ratione habita. Senec. XIIX. de Benef.* Nec eſt quod imbecillitatē animi.

Digitized by Google

mi, iracundam & ipſis objicias: Cum I. id fiat non naturæ defectu, ſed quoniam extra conſvetudinem rerum gravium tractandarum poſitæ ſunt. II. Particularia exempla id ſolùm evincant in viris æqve ac in mulieribus freqventia. Et ipsâ *L. 12. ff. de Judic. & ubi quisque ag. vel conv. deb.* non niſi conſuetudo contra ipſas producitur. Quosdam natura impediri ne judices ſint, ut impube- furioſi, ſurdi, muti, quod judicio careant; Quosdam vero moribus, ut Fœminæ & ſervi, *non quia non habeant judicium, ſed quia receptum ſit, ut civilibus officiis non fungantur. Britannis* utique olim ſolitum Fœminarum ductu bellare apud *Tacitum* commemorat Boudicea Britanna *Annal. XIV. 35.* Et veteres Germani ſanctum aliqvid & providum iis ineſſe rati, nec aut conſilia earum aſpernati eſſe, aut reſponſa neglexiſſe leguntur ap. eundem *Tac. de Mor. Germ. c. IIX.* Noſtræqve ætati eximiæ Reginæ *Maria* ac *Elizabetha* in Anglia, *Maria* in Scotia, *Iſabella* in Caſtilia, quæque non ita pridem maximam orbis politioris partem ſi non tenuerunt, certe moverunt, *Anna* Regina Galliæ, *Chriſtina* Regina Svediæ, *Amalia* Landgravia Haſſiæ, & quæ eodem tempore filii minorennis ſceptra tractabat, *Auguſta* Conſtantinopolitana, etiam nunc obverſantur, quæ evidenti documento virilibus curis fœminarum Vitia exuerant. Immo ipſa quoq; ſexus ſui nomina ſubinde reſpuerunt, ampliorem ſplendorem ſibi ita conciliaturæ; Nec unquam *Maria & Elizabetha* Anglæ aliter quam

quam *Defenſores Fidei* appellatæ; Nec Maria Hungaria Regina, ſed *Rex* ſalutata fuit, ut, quod ſexui deerat ſuorum voluntate ſuppleretur. *Nadayni Flor. Hung. L. III. c. III.* Et Iſabella Caſtellana, ut pares cum marito faceret, ſemper eadem Qualitate ipſi conjuncta fuit: *Ferdinandus & Iſabella Reges Catholici.* Quorum cauſa, quia Regium officium & munus adminiſtrabant, cum Reginæ non à munere Regiæ Gubernationis, ſed à matrimonio Regis appellandæ fuiſſent: Quemadmodū & in LL. *Mulier Procurator, Mulier Defenſor, Mulier Judex, Mulier Tutor &c.* nominatur, quoties illa maſcula munia obit. *Rumel. ad A. B. p. III. Diſſ. II. §. 20.* Confer. *Notic. Dign. Illuſtr. P. II. Diſſ. V. c. III. §. 1.* Una *Gallia* eas Regia Dignitate excludit, idque ſeu recepta ab immemorabili tempore conſvetudine, ſeu *Legis Salicæ* vigore, quam tamen non pauci ac potiſſimum Scriptores Anglici in dubium vocant, cauſati eam à *Philippo Valeſio* excogitatam, ut hac ratione *Eduardum* III. Angliæ Regem à Galliæ Imperio arceret. Quid Imperium maritale & maledictio divina *Gen. III. 16.* ipſis attrahat, aliquid ſcrupuli gignit? Reſp. Actum tolli, facultatem manere integram; In connubiis Regiis vero ipſum Actum quoque retinere Reginas hereditarias: Majeſtate ipſarum omnia Imperia minora eminenti modo in ſe continenti & veluti abſorbente, æqve ac in naturalibus Lumen majus tollit minus. Hinc & mariti tales licet ſocii tori ſint, nullatenus tamen Regni

adminiſtratione participare ſolent: Quēadmodum *Maria Scotorum* Regina *Henrico Stuarto* marito ſuo in publicis negociis non niſi miniſtri loco utebatur, nec Regem, ſed Reginæ maritum appellari patiebatur: Eodemque modo Proceres Angliæ *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis cupidinem circumſcribebant, cum *Mariam* Reginam ipſorum in uxorem duxiſſet: Quæ cauſa enatarum inter Conjuges hoſce ſimultatum & paulo poſt ſecutæ mortis Mariæ, quippe moleſte ferentis ſe ſperni à marito, ab Hiſtoricis affertur.

IV.

Intuitu Rationis igitur homo imperat. Cur non omnis, in commodis Vitæ humanæ, qvorum toties jam ante mentio facta, ſitum eſt: Qvæ qvo melius alter præſtat, eo aptior fit Imperio; Dixeris brevius, *Sufficientiæ opinione fieri, ut alter plus, alter minus imperet*, & plus imperare, qui magis ſufficiens vitæ humanæ videatur, minus, qvi minus ſufficiens ſit, Imperio carere, qvi ſibi ſuisqve prorſus ſufficere neqveat. Unde licet omnes natura æqvales ſimus, iis tamen quæ nobis connaſcuntur efficitur, ut modo æqvalitatem iſtam retinere poſſimus & imperemus, modo Jus illud nobis datum alii cedamus, & pareamus. Sic in Conjugio uxor qvæ naturâ Viro par eſſe potuiſſet, caret Imperio, rebus Conjugii obſtantibus, qvo minus eâdem conſtantia omnibus gerendis æqve ſufficiat; In Societate Paternâ Parentes imperant, qvia liberi ſibi ipſis non ſufficiunt; Et Subditos, cum

cum nemo eorum par eſſe poſſit declinandis incommodis ſuis omnibus, Opinio ſufficientiæ in uno aliqvo conjungit, cui omnes ac ſinguli pareant.

V.

*Imperii exercitium Uſum* dixeris & in perſonis in ſpecie *Juſſum*, mandatum: Poteſtatem ſuam enim, qvi imperat, dum in actum deducit, rebus utitur, perſonis mandat; Sic *Juſſio* fuerit impulſus ad effectum aliqvid dandum, *Jubere* effectum velle aliquid: Quæ in ipſis terminis clarent. Accedunt eidem *Dignitas & Autoritas. Dignitas* h. eminentia ſuper alium: Cujus Synonyma *Præſtantia*, *Prærogativa*. Cauſa, quia qui præſtare poteſt, quæ ipſi præſtando non eramus, merito ſuper nos eminere, ſicque nobis dignior eſſe cenſendus eſt. Sic Nobilis plebejo dignior, quia eminet ſuper eum; Homo dignior cæteris rebus quia ſuper eas eminet. Et Princeps dignior Subdito, quia ab illo expectamus, quod nobis ipſi præſtare non poteramus. Eademque ipſis rebus aliquando tributa ratione utentium, ſæpe & in varietatem diffuſa ob cauſam eandem: Veluti ſuperior locus dignior eſt, quod à digniori occupetur; Ut vero non idem ubivis ſit, varietas utentium efficit. Germani nos dextram Digniori aſſignamus, quod operibus faciendis aptior ſit; Turcæ ſiniſtram: *Quod eam partem gladius honeſtet, & qui ſit in parte dextra quodammodo gladium habeat ſub manum ejus, qui ſiniſtrum latus claudit, iſte vero*

*eum geſtet liberum & expeditum. Buſbeq. Ep. Turc. 1. p. 19.* Angli, Galli locum parieti proximum digniorem ſtatuunt, quod ambulationi commodior ſit. Cur ſexui fœmineo honoratiorem locum tribuamus, teneritudini ejus videtur tranſcribendum. Cur inter æquales aliquando alter alterum præcedat, à ſtudio melioris ordinis proficiſcitur: Unde & veluti Prioritatem, Superioritatem aliam Naturæ, aliam Ordinis alii faciunt, ſic & *Dignitatem* modo *Naturæ* & *Rerum*, modo *Ordinis* habendam autumamus.

VI.

*Autoritas eſt Opinio perfectionis.* Toties enim alter aliquis Autoritate apud nos valet, qvoties imperfectionem aliquam ejus concipimus. Imperanti neceſſariam eſſe inde liqvet, qvia niſi, qvi obedire vult, ſciret eum, cui ſe ſubmittit, perfectiorem eſſe, in eo nullum refugium collocaſſet. Et vulgo notum eſt, *Diſcentem oportere credere*, qvia Docenti ſua conſtat apud Diſcentem Autoritas, h. opinio perfectionis, ut dum docentem ſeſe perfectiorem eſſe opinatur, ipſi qvoqve fidem habeat. Cl. Puffend. Autoritatem prolixius deſcribit, ſed eodem cum noſtris hiſce ſenſu: Qvod ſit *Exiſtimatio, quatenus in aliis opinionem peculiaris prudentiæ ac ſapientiæ circa determinationem rerum Practicarum aut veritatem Theoreticarum gignit.* Alio ſenſu tamen Autoritas æquipollere ſolet Imperio, eſtqve tunc idem, quod Jus alterum jubendi aliqvid.

VII. Ob-

Digitized by Google

VII.

*Objecta* Imperii eadem, quæ Juris, Societatis &c. *Res, Perſonæ, Actiones*; In genere omnia, qvæ *ſubjectionem* ferre poſſunt: Qvam vocamus *Poteſtatis alienæ ſuſceptionem. Suſcipere* eſt uniri cum altero, à quo nobis aliquid addatur. Priora in iis, qvæ modo attulimus, clarent.

IIX.

Hinc duo fluunt memorabilia in Statu Sociali: In Perſonis *Obedientia*, in Rebus *Proprietas*. Ambo tanqvam rami ſubjectionis, cum utrinqve ſuſcipiatur poteſtas alterius. *Obedientiam* vocamus *Propoſitum explendi mandata alterius*: *Mandata* h. Imperii in nos exercitia; *Propoſitũ explendi*, quia exercitia iſta in nos admiſeramus. Sic *obedire* fuerit *explere voluntatem alterius, ſeu effectum dare id, quod alius injunxit.* Conſequens ejus *ſuſpenſio judicii de rebus faciendis*, h. ut teſtemur nos nec dicto nec facto de rebus imperatis diſſenſuros. Imperium enim beneficio Rationis gerimus; Eum igitur qvi Imperium accipit Rationem ſuam deponere oportet: Et qvi ſubjicitur ideo obedire voluit, qvod ipſe neſciret, qvomodo ſe regeret; Si autem judicare vult, jam ſe ſcire id præſumit: Neceſſum itaqve ut exuat obedientiam, aut ſi exuere non poſſit, nihil judicet, ſed qvia Jus ſuum in alterum ſemel transtulit, ſe obligatum ſentiat, quod nec dicto nec facto alteri obſtiturus ſit. Qvem ipſum ſenſum & ferre putamus, qvod de *captivandâ ratione* inculcari ſolet: *Captivationem rationis nihil aliud eſſe, quam judicii noſtri de rebus*



Digitized by Google

*ſentiendis ſuſpenſionem, ſeu declarationem, nos nec dicto nec facto à propoſita nobis ſententia diſſenſuros.* Ut enim intra nos & ipſis cogitationibus noſtris alteri accedamus nemo exigere poteſt, nec ipſi nos præſtando ſumus: Cum non minus Ratio ac ſenſus in poteſtate noſtra non ſint, ſed tales fiant, quales res ipſæ in nobis neceſſario efficiunt. Eſtq; illud ipſum, qvod Dd. Scholaſtici tradere ſolent: *Objecta eſſe menſuras Actuum*; Et: *Præſente objecto potentiam neceſſitari ad agendum.* Hoc eſt, præſente re viſibili neceſſario videmus, præſente ſono non poſſumus non audire; Atq; adeo & oblata re cognoſcendâ, eam neceſſariò cognoſcimus & de ea ratiocinamur. Confer. *Hobbes de Politica Chriſtiana Principiis in Leviath. c. XXXII.*

IX.

Rebus annaſcitur *Proprietas, h. Relatio rei ad unius Poteſtatem*: Qvemadmodum *Res propriæ* dicuntur, qvæ ad unum eodem genere Dominii pertinent, ſeu qvibus pro arbitrio noſtro frui & qvosvis alios inde arcere poſſumus; Et *communes* è contrario, qvæ ad plures uno eodemqve Dominii genere pertinent: Seu qvibus cum aliis æqve frui poſſumus.

X.

Cœpit hæc rerum Proprietas cum ipſo primo homine, qvi cum nemo alios ſupereſſet, omnia æqve occupare & in uſum ſuum convertere poterat. Ratio jam ſuperius §. 11. data: Cui divina confirmatio acceſſit *Gen. 1. 28. Replete Terram*

Digitized by Google

*ram & ſubjicite vobis eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Confer. *Geneſ. IX. 2.* Quæ rerum Occupatio ad poſteros primorum hominum qvoqve transmiſſa: Qvi cum relictam ſibi univerſi hereditatem cernerent, præter principale Pactum, qvo qvilibet heredum accepta ſua portione prætenſioni in cætera renunciavit, aliud qvoqve pactum tacite iniviſſe cenſeri debent, ut cum ipſi univerſalem velut orbis hereditatem adiiſſent, qvicqvid expreſſe alicui tunc non fuiſſet aſſignatum, ſaltim per modum univerſitatis id in poſterum prius occupanti cederet. Qvæ ſæpe cit. *Cl. Puffend.* ſententia hac de re eſt *El. Jur. Defin. V. §. XVI.* Ita tamen capienda, ut occupatio à proprietate, non proprietas ab occupatione nata eſſe cenſeri debeat. Imperium enim ſequitur Uſus, non Uſum Imperium. Aliter de hiſce ſenſit *H. Grotius J. B. II. II.* Contra qvem vid. *Strauch. Diſſ. de Imper. Mar. c. I.*

## XI.

An *mare* qvoqve Imperio comprehendatur, ſ. an Proprium fieri poſſit, jam prolixe ab aliis tractatum. Affirmantium ratio eſt, quia in hominum uſum cedere, ejusqve neglectus ipſis detrimento eſſe poteſt: Qvam confirmat, qvod partes ejus freta & ſinus proprietatis capaces ſint; unde *Portugalliæ Reges* ſcribuntur: *Reges Portugalliæ, Algarbiæ & citerioris atq; ulterioris Lateris Oceani Africani.* Vid. *Epiſtolam Emanuelis Regis Portugal.*



Digitized by Google

*ad Leonem X. P. M. de victoriis nuper in Africa habitis in T. II. Script. Hiſpan. Piſtor. p. 1315.* & *Diar. Europ. P. V. ad A. MDCLX. p. 246.* Et flagrante Bello *Anglo-Belgico* A. MDCLXV. in Anglia nummi cuſi fuerunt, quibus imago M. Britanniæ exhibebatur cum Elogio: *Quatuor maria vindico.* Similiter *Venetorum Dux* Reip. ſuæ quotannis Annulo Aureo *Mare Adriaticum* deſpondet: Omnia in teſtimonium ſervitutis à Mari ſibi præſtandæ. Rationes contrariæ ſunt; I. *Mari non poſſe infigi limites.* Reſp. De terrenis & ad ſenſum poſitis concedi; Poſſe tamen aliqvos poni ad rationem, ut certus milliarium numerus definiatur, qvem egredi non liceat: Cui argumento eſt, qvod inter Articulos Pacis ſuæ Cromwellus à Belgis pactus fuit: Ut omni piſcatione intra decimum ab Anglia milliare abſtinerent. Inſt. *Milliaria certo ſciri non poſſe.* Reſp. Sciri poſſe ἐν πλάτει, in latitudine, h. ut certi ſimus eſſe X. aut XII. milliaria, non autem VIII. aut XX. qvod & in milliaribus terreſtribus ſæpe uſu venit. Ne dicamus ipſam terram alicubi non exactos admittere terminos, licet nihil ejus fere ſit, qvin proprietatem gerat. Veluti montes Pyrenæi ſunt limites inter Hiſpaniam & Galliam, ſed in Latitudine; Certa Puncta enim ſæpe deſunt, quibus utrumq; Regnum terminetur. Confer. *Selden. Mar. Clauſ. L. 1. c. XXII.* II. *Vaſtitate Maris fieri, ut omnium uſui ſufficiat.* Reſp. Ideo debuiſſe occupari; Communionem retinendam enim non rei abundantia,

tia, ſed defectus exigit, ſi nempe res dividenda ita comparata ſit, ut nulli ſingulorum ſufficere poſſit. Confer. *Strauch. de Imp. Mar. c. II. §. IIX.*

XII.

De feris, avibus, piſcibus minus dubium, eas proprietatis Titulo comprehendi poſſe. Et Principibus potiſſimum adjudicari oportuit, qvia cum incertis vagentur ſedibus, nulla privatorum jurisdictione comprehendi poſſunt, eoq; ad Publicum & Principem tq. arbitrum Publici, qviq; in Terram & Aqvam Imperium habet, merito referuntur. Unde licet alicubi liberius habeantur, non deſinunt tamen eapropter Principis propriæ eſſe, ſed tantum exercitio poteſtatis ejus relaxantur. Nec obſtat, qvod in Jure Civili nonnullibi legitur, Jure Naturæ aut Gentium liberum eſſe talia animalia venari; Id enim verum eſt, qvamdiu alia Lex ſpecialis non intercedit. Qvemadmodum & naturâ omnes naſcimur liberi, & tamen ut ſervi fierent, interventu LL. ſpecialium factum eſt.

XIII.

Qvid de decantatâ *communione rerum* apud veteres ſentiendum ſit prolixe tractat *Doctiſſim. Strauch. loc. ante cit.* Intelligi vel Statum hominis in Paradiſo, vel ſummam primorum hominum liberalitatem & in mutua officia promptitudinem. Sed Prius ſine dubio non eſt, qvia etiamſi perſtitiſſemus in Innocentia, proprietas rerum aliqva futura fuiſſet; Et ipſa Benedictio divina

*Gen. I. 28.* Homini in ſtatu Innocentiæ collata. E. Poſterius *Lactantius* docet *de Juſtic. c. V.* cujus verba vid. *ap. Strauch. d. l.*

XIV.

Imperium ratione Subjecti dividimus in *Privatum & Publicum:* Privatum etiam *Vulgare* dicunt; Publicum ſi Imperium vulgare conſtringat Phraſi jam notiſſima *Eminens.* Imperium *Privatum* eſt, qvod ſingulæ Perſonæ & Societates ſeorſim habent; *Publicum,* qvod gerit ipſa Reſpublica. Hujus in illud tam validus influxus, ut nullum Imperium Privatum ſit, qvin ex Publico fluat: Cauſa, qvia cum nemo privatorum juri ſuo proſeqvendo ſufficiat, omnes eo ſemel ceſſerunt, illudqve proſeqvendum in Perſonam Publicam transtulerunt, qvippe à qvo ſolo ſufficientia peti poſſit. Nihil e. reliqvum habent, niſi qvod à Publico recipiunt, tq. cui pares eſſe judicentur. Hinc ſingulis Imperiis Privatis certi Limites poſiti, intra qvos Imperantes coërceantur, qvod extra eos rebus gerendis pares non eſſe cenſeantur. Et iis qvi privata hæc Imperia ferunt, ſi gravari ſe ſentiant, ad Publicum reverti licet, ibiqve cauſam ſuam agere, qvod ex illo tq. fonte iſti rivuli deducantur. Ipſa deniqve varietas Imperiorum Privatorum inde nata, & Imperium maritale ac Paternum liberius haberi oportuit, qvod inter perſonas æquales verſetur; Imperium *Herile* v. ſtrictius, qvia inter Dominum & ſervum eſt perpetua inæqvalitas; Et cum ſervus ad vitam exhi-

bendam

Digitized by Google

bendam ſemper indigeat alio, Domino, qvi alio minus indiget, meritò plus credit, qvam uxor marito aut liberi parentibus, cum utriqve ſeorſim vivere & res ſuas ſub cura publica gerere poſſint, aut poſſe ſaltim præſumantur. De Eminenti Imperio ac Legalitate ejus pluribus agemus ſeq. *Cap. XXI.*

XV.

Imperii in res ſ. in ſpecie tunc appellati Dominii diſtributio eſt in Dominium *Directum & Utile.* *Directum* eſt ipſa poteſtas in rem; *Utile*, perceptio uſusfructus ejus. Iterum Dominium eſt *Plenum vel Diminutum*: *Plenum*, Poteſtas, poteſtatisqve integrum Exercitium; Seu qvando eidem tam Proprietas qvam uſusfructus rei competit. *Diminutum*, qvando alterutrum eorum tantum.

# CAPUT VII.

## *De*

# CONJUGIO.

*Diſtributio Societatis: Origo vocis* Ehe: *Quid conjugium? Requirit conſenſum contrahentium, Magiſtratus, Parentum, Sacri ordinis: Finis conjugii: Cauſa probibitæ Polygamiæ: Conſequentia Conjugii: Cur impuberes & Eunuchi removendi? Cauſa probibiti conjugii inter*

*ter proximos conſangvineos; Cauſæ puderis naturalis: Æqualitas novorum Conjugum: Imperium maritale.*

I.

VIdimus Naturam Societatis in genere: Eadem in ſpeciebus ſuis conſiderandæ nunc porro materies noſtra erit. Et Societatum quidem aliæ ſunt *Privatæ*, aliæ *Publicæ*. Societas *Publica* eſt ipſa Reſpublica; *Privatæ* ſunt in Rep. qvippe quas illa eminenter comprehendit. Hæqve iterum *minores* ut Conjugium, Societas Paterna, Societas Herilis; Vel *majores*, ut Familiæ, Collegia, Corpora, Societates Fortunæ &c.

II.

*A Conjugio* recepto jam ordine inchoaturi, Germanicæ Vocis noſtræ interpretationem præmittendam duximus: Qvæ eſt Ehe/nata ex veteri vocabulo Dialecti Franconicæ Ee/ qvod Legem ſignificat: Ut in antiqviſſimis Bibliorum verſionibus Germanicis, *Levit. XIII.* Dieſes iſt die Ee des Auſſatzes. II. Chron. XXXIII. Das Buch der Ee. Ipſum Deuteronomium Das Buch der andern Ee. &ſ. Vid. *Edit. Auguſtanam Bibl. de A. MCCCCXC.* Et hodienum in Jure Ehehafften vocant impedimenta Legalia. Ratio derivationis fuerit, qvod Conjugium firmiſſimam veluti Legem gignat, qva Perſonæ ſociandæ obligantur. Similiter ab Anglis *Wedding* dicitur, ſine dubio ab affinis Dialecti

lecti Belgicæ voce, *Wette*, qvæ itidem Legem ſignificat.

III.

*Conjugium eſt Societas Maris ac Fœminæ in communem omnium Jurium participationem.* Eſt *Societas*, ad removendos actus Conjugio contrarios, qvales ſcortatio, adulterium. *Cætera* potiſſimum adjecta in diſcrimen à perpetuo *Concubinatu*, quo licet mas & fœmina conſentiant in perpetuum conſortium, vel etiam in individuam vitæ conſvetudinem, non tamen in Conjugio vivere dici poſſunt, cum mutua omnium Jurium participatione non gaudeant.

IV.

Conjugium qvia Societas eſt, conſenſum *eorum quorum intereſt* reqvirit, h. contrahentium; Conjungi enim debent, qvod ſine conſenſu fieri neqvit; Et conjugium eſt ſummus amicitiæ gradus, qvi, veluti nulla amicitia, ſine conſenſu eſſe non poteſt. Hinc ſi coactio vel metus probabilis intercedat Conjugium nullum eſt, neq; enim præſumitur conſenſus tunc interceſſiſſe. Confer. *præced. Cap. V. §. V.*

V.

Qvod vero nulla Societas Privata ſit, qvin dependeat à Publico, nec contrahentium ille conſenſus validus eſt, niſi magiſtratus vel expreſſe vel tacite annuerit. Cauſæ. I. Ut ſciatur, qvæ Societates in Rep. formentur. II. Caveatur ne qvid ex amoris amentia contra bonos mores admittatur;

Talis

Digitized by Google

Talis enim præſumitur futura proles, futurusqve olim Civis, qvalis à Parentibus prodiit. Cujus rei & evidentisſima exempla in matrimoniis Perſonarum Illuſtrium; Qvæ in plerisq; Regnis firma non ſunt, anteqvam conſenſus Regius Supremi conſilii acceſſerit. Veluti in Regno utriusq; Siciliæ extat conſtitutio *Caroli I. Quod Barones Regni absque permiſſu Regis non poſſint ducere uxores nec matrimonia concedere filiabus, ſororibus & neptibus &c.* Quam & *Philippus II.* poſtea confirmavit. Et inter cauſas Belli *à Ludovico XIII.* adverſus Fratrem ipſius *Gaſtonum* Ducem Aurelianenſem & Ducem Lotharingiæ A. MDCXXXIII. ſuſcepti erat, ut Fratrem matrimonio, qvod iſte ſe inconſulto cum *Maria* Lotharingi ſorore inierat, depelleret: Quam in rem & à Parliamento Pariſienſi illud irritum pronunciari curavit. Vid. *Brachel. ad A. MDCXXXIII. & Mercur. Franc. ad A. MDCXXXIV. p. 849.* Ubi varia Curiarum Edicta producuntur. Et ipſa matrimonia Regia aliquando ſine conſenſu Ordinum fieri neqveunt, qvod interſit Reip. ſcire, qvid commodi vel incómodi etiam ex privatis actionibus Principis ſui haurire poſſit. Sic matrimonium *Mariæ* Reginæ Anglorum cum *Philippo II.* Rege Hiſpaniæ non ante conſummari poterat, qvam Parliamentum illud ratum habuiſſet. Vid. *Annales Anglorum* paſſim. Et in Polonia olim *Hedwigis* Ludovici Regis Filiæ conjugium cum *Jagellone* Lithuano ſola Procerum voluntate nitebatur, qvæ alias *Wilhelmo*

*mo Auſtriaco* nuptura fuiſſet. Vid. *Cromer. de Reb. Polon. C XIII. fin.* Similiter cum *Sigiſmundus* A. MDXCII. *Annam Auſtriacam* ducturus eſſet, *inſtabant Proceres, qui partes ſervandæ Reip. aſſumſerant, ut Rex ab illis nuptiis, quas ſine conſenſu Senatus tractarat; deſiſteret, vel ſi eas vellet exequi, ad minus Concilia Generalia prius indiceret, in quibus obtineret conſenſum Senatus & Reip. ſuæ ſecuritati caveret. Piaſec. p. 93.* Ipſeq; *Zamoiſcius* Cancellarius tamdiu differebat ritum novam Reginam adeundi & ſalutandi, donec Rex Reip. reconciliatus eſſet *Idem p. 101.* Iterumq; inter cauſas interdicti Rokoſs contra Sigiſmundum A. MDCVI. erat, ipſum Uxorem ſecundam diſſentiente Senatu accepiſſe iterata affinitate cum Familia Auſtriaca *Piaſec. p. 235.* In privatis dn. notaria Angliæ conſvetudo, qua omnes ſubditos facultatem Conjugii, quam *the Licence* vocant, à miniſtris ſelectis impetrare oportet. Quæ & in Belgii plerisq; locis uſu venit, iis tamen potiſſimum qui Reformatæ Religionis non ſunt, ut cauſam magiſtratui exponant & copiam Conjugii ab eo ſibi fieri petant.

VI.

Magiſtratus autem veluti rebus à ſe gerendis omnibus ob earum multitudinem haut æqve adeſſe poteſt, ita hic etiam non ſibi ſoli autoritatem ratihabendi matrimonia ſervat, ſed partem ejus in alios transferri patitur, & duûm quidem generum perſonas, Parentes & Sacrum ordinem, & quidem vel manifeſtâ Lege, vel tacito conſenſu. *Parentibus*

com-

commendatur inchoandum matrimonium; Melius enim illi circumſtantias noſſe præſumuntur, propter quas Juvenis hanc vel illam conſortem ſibi eligat, quam Magiſtratus, ob curam communi Bono impertiendam. Conſummandum deinde committitur *S. Ordini*, ut publicetur & omnibus æqve conſtet, novos conjuges non inordinatâ libidine, ſed Societate Conjugali Reip. partes expleturos.

VII.

*Parentum conſenſus* igitur neceſſarius, non quidem Jure ipſis proprio, ſed autoritate à magiſtratu conceſſa, nec natura ita exigente, ſed Juris conditorum voluntate. Ideo Imperator *l. un. §. 1. C. de Rapt. Virgin. Oportet, ut quicunq; uxorem ducere voluerit ſeu Ingenuam ſeu Libertinam ſecundum* noſtras LL. & antiquam conſvetudinem *parentes vel alios quos decet, petat*; Et ſi parentes pertinaciter obſtiterint propoſito conjugio filii, à magiſtratu eò adigi poſſe putantur: Magiſtratum ipſum enim tunc munere ſuo fungi oportet, cujus expletione parentes abuti animadvertit. *Matris* item conſenſus non tam requiritur, quam patris, quia LL. autoritas huic potius quam illi favit. Sicq; etiam cur in ſexum Fœmineum magis quam maſculinum cadat conſenſum exigere, *Grotius* hanc rationem reddit, quia Leges verecundiæ ſexus fœminei magis convenire cenſuerint, ſi alieno ſtaret arbitrio. *J. B. II. V. 10.* Quod tamen & ex ratione §. præc. allegata erui poſſe autumamus, quia

quia Fœminæ præſumuntur minus noſſe, quem conjugem ſibi deſtinare debeant, quippe conſvetudine ab uſu rerum remotæ.

IIX.

Ex eodem Principio dijudicanda quæſtio: *An Benedictio Sacerdotalis ſit de eſſentiá Matrimonii?* Qvod affirmamus, qvia Magiſtratus publicandi ſ. confirmandi Conjugii autoritatem in S. Ordinem tranſtulit: Qvæ res qvamdiu durat, tam diu neceſſitate qvadam conditionali neceſſaria eſſe cenſebitur: Unde & incurioſi rerum Conjugio neceſſariarum Eccleſiaſtæ à magiſtratu ſubinde puniri ſolent, ſi benedictionem ſuam indebitè erogent, qvod autoritatem ſibi conceſſam in abuſum trahere non debuiſſent. Et magiſtratum aliqvando alia ratione confirmationis uſum fuiſſe, patuit exemplo ſeculi Juſtinianei, qvo *Defenſores Eccleſiarum*, qvi erant, non ſacri miniſtri, ſed velut Advocati earum, atteſtationem adhibitis tribus aut qvatuor Clericis conficiebant: *Illa Indictione, illo menſe &c. veniſſe ad ſe in illam orationis domum illum & illam & conjunctos eſſe alterutris. Vid. Novell. LXXIV. c. 4.* Plura de hoc ritu vid. in *Selden. Ux. Heb. L. II. c. 28. 29.* Si roges I. *Quid ſummos Principes hic obliget, cum ſuper ſacrum ordinem ſint?* Reſp. Deſcendere infra ſeipſos & reſpectum privatum induere: Veluti aliæ etiam actiones Principum ab iis, qva ſingulares ſunt, profectæ, privatis non publicis annumerantur; Eoq; autoritatem S. Ordinis ab illis tq. perſonis

publicis ductam in eosdem reſpectu privato iſto derivari. II. *Liberos ex perpetuo concubinatu natos alicubi pro legitimis haberi.* Reſp. Id itidem fieri interveniente Autoritate magiſtratus hac in re vel manifeſtè vel tacitè diſpenſantis & legitimos reddentis, qvi aliàs communiter pro illegitimis haberi poterant.

## IX.

*Finem* Conjugii aſſumimus generalem vel ſpecialem & exqviſitum. *Specialis* eſt procreatio ſobolis: *Generalis* mutuum adjutorium. Ratio I. Qvia omnis Societatis finis eſt mutuum adjutoriũ. E. & Societatis Conjugalis. II. In prima inſtitutione conjugii *Gen. II.* Deus ſolius mutui adjutorii mentionem facit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium.* III. Imperator, dum nuptias definit *§. 1. Inſt. de Patr. Poteſt.* non alîus qvam individuæ vitæ conſvetudinis mentionem facit, ad indigitandum mutuum adjutoriũ, qvod individua vitæ conſvetudo præſtat. IV. Conjugium inter ſenes pro valido habetur, in iis vero nulla ſpes procreandi prolem. V. Sterilitas non eſt cauſa ſufficiens diſſolvendi matrimonii. E. procreatio ſobolis non eſt univerſalis cauſa matrimonii ineundi. *Tria Accidentia, quorum etiam eſt habenda ratio, ſed ita ut præcipuis cauſis nihil derogent; Sunt* Forma, Opes, Amicitiæ, *omnia Bona & a Deo. Nam Forma uxoris non patitur amorem mariti decreſcere, aut aliò vagari:* Opibus *& amicitiis inſtructior fiet Uxor, ut maritum juvet. Quod ſi*

*hæc*

*hæc tria, primis illis & præcipuis neglectis ſectatus fueris (quod nimis ſæpe fieri amat) tum vero ut licitus eorum Uſus cedit in Bonum, ita Abuſus iſte in magnum vertet malum. Cui enim Bono ſunt iſta humana, cum Furiam habes individuam tori comitem tuo ſemper lateri affixam? Tum vero ſenties venuſtatem ſine veritate, opulentiam ſine prudentia, amicitiam ſine gratiâ ſplendidas eſſe miſerias & ut verbo dicam ingentium calamitatum larvas. Tu, mi fili, cauſarum rationem habe, propter quas Conjugium inſtitutum fuit, & cætera omnia adjicientur vobis* Jac. R. Angl. *Δῶρ. Βασ. L. II.*

X.

Perſonæ conjugendæ ſunt *Mas & Fæmina*. *Mas* eſt perſona generandi facultate inſtructa; *Fæmina* perſona pariendi ſeu concipiendi facultatem habens. Termini conjugales ſunt *Maritus & Uxor*. *Maritus* eſt Juris Divini humaniq; cum fœmina ſocius; *Uxor* Juris Divini humaniq; cum Viro ſocia. Ratio Relationis in eo ſita, qvia Societatem inierunt, ac proinde aliqvid pacti ſunt; Pactum vero eſt translatio Juris mutua. E. Jure alterius altera pars neceſſario participat. Utrum duæ tantum an plures ſimul eſſe poſſint perſonæ conjungendæ controverti ſolet: Seu uſitatiori loquendi modo, An *Polygamia Simultanea* (nam de *ſucceſſiva* vix quisquam dubitat, niſi quod in Eccleſiis Orientis minoris fiat & tranſitus ad quartas nuptias plane prohibeatur. Vid. *Conſt. Leon. XC. & Novell. I. Conſt. Porphyrog. c. II. de*

*Polygamia) poſſit conſiſtere cum Conjugio?* R. I. Polygamiam unius fœminæ cum pluribus Viris in ſe illicitam eſſe, quia oritur inde confuſio ſeminis & incertitudo hereditatis. II. Polygamiam unius Viri cum pluribus fœminis Jure Civili & LL. Chriſtianiſmi itidem recte ſublatam fuiſſe, quia Leges hæ homini non tantum ut eſſet, ſed etiam eidem ut bene eſſet proviſum voluere; Hinc quoniam ex Polygamia indeq; ſecutâ numeroſa prole commoditas vivendi per hereditatem à ſingulis ſperari vix poteſt, ſatius erat pauciores liberos gererari, ut ſinguli tanto commodius vivere poſſint. Vid. *L. 2. C. de Inceſt. & Inutil. Nupt. L. 18. C. ad L. Jul. de Adult. & ſtupr. §. 6. Inſt. de Nupt.* & in Jure Canonico *c. Gaudemus 8. de Divort.* Quod & Theologi Catholici tam ſtricte obſervandum putant, ut communiter ſtatuant, Pontificem M. abſoluta iſta poteſtate, quam ipſi in Eccleſiam tribuunt, diſpenſare non poſſe, ut Princeps utcunq; magnus & abſolutus ſimul duas uxores habeat. Vid. *Th. Sanchez. de Matrim. L. VII. Diſp. LXXX. n. 9.* Quod nobis autem ideo non videtur probabile eſſe, quia Pontifex gradus prohibitos diſpenſare poſſe creditur, qui non minus LL. Divinis interdicti ſunt, ac Polygamiam illis inderdici volunt. Priſcis tamen temporibus receptam fuiſſe, & hodineum extra Chriſtianiſmú in Oriente vigere nemini ignotum eſt: Sicque ipſæ LL. divinæ olim caſibus Polygamiæ latæ fuerunt: Qualis Lex Primogenituræ inter duos filios, quorum

quorum ex dilecta alter, alter ex exoſa ſit ſuſceptus. *Deut. XXI. 15.*

XI.

*Propria* conjugii I. Individua vitæ conſvetudo; Conſenſerunt enim in communionem omnium Jurium. E. unà vivere oportebit. Cur individuè. I. Quia omnia Jura mutuo tranſtulerunt. E. nullum reliqvum habent, quo illa revocare poſſint. II. Ut proli tanto melius ſit & hereditatibus certior conſtet ratio. III. Conjugium eſt ſummus amicitiæ gradus, qui non eſſet niſi in individua conſvetudine conſiſteret. Cur antiquis Romanorum, Græcorum, Hebræorum temporibus Matrimonia liberius habita fuerint, aut facilius diſſolvi potuerint, Servator explicat *Matth. XIX. 8.* Id factum eſſe *ob duritiem cordis ipſorum*; Ab initio autem ita non fuiſſe. II. Copula Carnalis; ob rationem ſuperiùs datam: Qui enim communionem omnium jurium pacti ſunt, etiam Jus corporis ſui incluſiſſe veroſimile eſt. Unde Apoſtolus *I. Cor. VII. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Vir; Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

XII.

Hinc ſequitur. I. Perſonas conjungendas requiri, ut ſint *puberes*: Impuberes enim ad peragendos actus conjugales idonei non ſunt. II. Nec *Eunuchos & Impotentes* conjugio aptos eſſe, ob cauſam eandem: Vid. *c. Quod ſedem. de Frigidis.* Quibus tamen paulò poſt magis favere videtur, ſi

Perſona cum impotenti contrahens rei ignara, non ſit *c. Conſult. IV. ib.* Sed melioris ordinis & ſcandali ex illegitimo taliter conjugatorum appetendi alios deſiderio vitandi gratia ſatius fuerit ejusmodi Conjugia prohiberi: Quemadmodum & A. MDCLXV. in ſuprema Curia Pariſienſi judicatum fuit contra Dionyſ. Binottum non obſtante Jure Canonico, & præter opinionem Cauſidicorum plerorumq; pro eo militantium. *Vid. Ephemer. Erud. T. I. p. 72.*

XIII.

Referendi ad hanc claſſem prohibiti *conſanguinitatis gradus*, quippe Legibus à copulâ carnali excluſi; Rectiſſime quidem, ſed quas ob cauſas dictu difficillimum. Videtur tamen alicujus ponderis eſſe, quas *Grotius* à veteribus Hebræis aſſumit, quippe Juris Divini Lev. XIIX. traditi Interpretibus. Eſſe ſc. I. *Naturalem quandam verecundiam, quæ non ſinat ortus ſui autores cum ſua ſobole aut in ſe ipſis, aut etiam perſonas ſangvine aut nuptiali ſangvinis commixtione proximi cohærentes miſceri. II. Ne quarundam perſonarum convictus nimis quotidianus atq; inobſervatus ſtupris & adulteriis occaſionem daret, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari. J. B. II. VII. 13.* Quanquam Priorem quo Parentes & Liberi ſeparantur, necdum ſua deſtituat obſcuritas, cum adhuc ambiguo relinquatur, in quo conſiſtat naturalis iſta verecundia, aut quomodo prohibitæ copulæ applicari debeat? Commenti ſumus ex generali Principio Pudoris

doris id peti poſſe, & veluti naturalem pudorem inde naſci autumamus, quia partes naturales ſordibus recipiendis & excernendis deſtinatæ ſunt; Pudor enim eſt Dolor quem concipimus ob indecorum aliquid in nobis deprehēſum: Et ſordes in nobis deprehendere eſt agnoſcere aliquid infra Naturæ Rationalis dignitatem; Eoque quia ſordium nos pudet, pudet etiam ſordium receptaculorum: Quod tanto magis patet, quia alias quoq; ſordes, ubicunq; ſint in nobis, tegimus, quod indecorum aliquid in ſe contineant. Neq; etiam Pudor naturalis ex naturali aliqua deformitate aut abſurda figura derivari poteſt, cum actus generandi non minus naturæ conformes ſint, atque actus edendi aut bibendi, hoc enim individua conſervantur, iſto ſpecies; Nec allegari poteſt pudorem naſci, quod partes Naturales pravarum rerum miniſterio adhibeantur, quia Lingva & manus æqve peccant. Atq; adeo veluti agnitio ſordium univerſum pudorem Naturalem fundat, ita idem ſingillatim nos avocat illa in parentibus, quibus maximam debemus reverentiam, agnoſcere, quæ in extraneis quibuscunq; & toto humano genere pro indecoris agnoſcimus. Videturq; hæc ratio ipſum ſapientiſſimum Legislatorem Divinum moviſſe cit. *Levit. XIIX.* cum conſangvineorum copulam ex nulla alia cauſa prohibeat, quam *ne turpitudo eorum denudetur*; *Ipſasq; menſtruatas ideo accedere vetet, ne reveletur earum fœditas*. Cui deinde è cauſis Moralibus accedit,
 quod

quod inter Parentes & Liberos non poſſit intercedere perfectiſſima communio omnium Jurium, reverentia parentibus debita ſemper ipſis aliqvod Jus præ liberis relinquente: Nam nec maritus qui ſuperior eſt Lege matrimonii eam reverentiam poteſt præſtare matri, quam natura exigit; Nec patri filia, quia quanquam inferior eſt in matrimonio, ipſum tamen matrimonium talem inducit Societatem, quæ illius neceſſitudinis reverentiam excludat. *Grot. c. l.* Conjugia *fratrum* & *ſororum* Ratio ſecunda proprius tangit: Cui illa accedit, quam *Plutarchus* attulit *in Q. Rom. CVII. & Auguſtinus de C. B. L. XV. c. XVI.* de latius ſpargendis amicitiis per diffuſas affinitates; Sed quam *Grotius* refellit, cui hic reſpondere non vacat. An primâ ratione ſuperius datâ etiam comprehendi poſſint, in medio relinquimus. Naturæ certe non prorſus adverſari, *Connubia Caini, Sethi* &c. Adami filiorum docent: Quæ nunquam licita fuiſſent, ſiquid mali moralis continuiſſent, cum quod moraliter malum eſt, nunquam bonum fieri poſſit; Et *Adamum*, ſi *Eva* temporius mortua fuiſſet, nunquam potuiſſe aliquam è filiabus ſuis ducere, Theologi communiter docent, quod moraliter malum ſit commiſceri parentes & liberos. Creditur etiam *Sara Abrahami* Soror Conſangvinea fuiſſe fatente ipſo Abrahamo *Gen. XX. 12. Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ & duxi eam in uxorem.* Quod Theologi excuſant, quia Abraham eam duxerit I. Ante Legem. II.

Non-

Nondum vocatus. III. More aliorum populorum Orientalium. Qui & penes Reges Perſiæ ac Ægypti quam diutiſſime perſtitit; Non bene quidem, nec tamen ſine omni ratione: Quod utriq; hi Principes neminem ne inter exteros Reges quidem ſibi parem eſſe cenſerent, eoque ne Sangvis ipſorum connubiis ſororum cum inferiori maculari videretur, ipſas in conſortium Dignitatis ſuæ aſſumi mallent: Quo reſpectu & inter Caſuiſtas Hiſpanicos *Baſilicus Poncius de Rege ſuo ſcribit Tr. de Matrim. Diſp. XXVII. Diff. V. n. 12. Si Hiſpaniæ Princeps cum ex una parte digna tanta Regia majeſtate uxor non eſſet, & ſine gravi inconvenienti juxta prudentum æſtimationem etiam adhuc illam ducere non poſſet, & ex aliâ parte illæ, quæ pari conjugio copulari poſſint, eſſent aut hæreſi infectæ aut ſuſpectæ, unde probabile periculum immineret &c. poſſe juſte diſpenſari, ut ſororem ducat, maxime ſi uterina non eſſet.* Cætera quæ huc pertinent vide ap. Caſuum Scriptores & JCtos paſſim.

XIV.

Cur æqvales requirantur Novi conjuges ex Natura Societatis fluit, quæ ut ab omnibus perſonis ſociandis *Applicabilitatem*, ita ſimul *Æqualitatem* exigit, ne diſſimilis ſociorum ad ſe invicem applicatio eos ineptiores reddat debito iſti præſtando, quod communis eorum finis reqvirit. Vid. *Cap. IV. X.* Qvæ qvidem qvalitas fuerit. I. *Morum: Moroſam vel male educatam conjugem fuge: Nam fœmina adjumento eſſe debet marito, non*

*impedimento* Jacob. R. Angl. *Δωρ. Βας.* L. II. II. *Ætatis*: Qvi enim ætate diſſimiles ſunt, moribus qvoqve variant. III. *Fortunæ ac Dignitatis*: *Succurrat Tibi ex graviſſimis hujus vitæ negociis eſſe matrimonium, maximamq; eſſe in prima uxore cautionem, quæ ſi infra ſortem tuam fuerit, vix eſt ut unquam eam labem redimas*. Jac. Angl. R. *Δωρ. Βας.* L. II. Sic Nobiles plebejis jungi renuunt ob conſervandum ſplendorem familiæ & periculum imminuendæ reputationis: Accedit partem inferiorem contemni ab affinibus; Præterea & ſexum fœmineum ſæpe ſi ad dignitatem ſublimiorem evehatur imperioſius agere, qvam ob ratioem & conjugia Regum cum Subditis contracta inconſulta eſſe judicant. IV. *Religionis*. Religio enim unũ è validiſſimis vinculis Societatum, unde ſi variet, rupturam faciliorem ipſis præbet. *Licet, quod doleo*, inquit iterum Sereniſſimus Angliæ Rex *Jacobus* de Conjugio Illuſtris Filii ſui, *pauci ſint Principes opibus florentes, qui idem nobiſcum in Religione ſentiant, adeoque durius paulo & difficilius hoc conſilium videri poſſit, cogita tamen, mi fili, atque apud animum tuum diſquire, quo pacto cum uxore tua unam in carnem coaleſcere & concordem vitam tranſigere poſſis, quæ alterius & contrariæ Eccleſiæ membrum eſt, diſſidio in ſacris diſſidium in moribus neceſſario creante. Quid, quod illius Concionatores diſſidentes a tuis Turbas in populo parient, animis hominum tuæ familiæ exemplo in partes & factiones diſtractis; Nec tu pravæ educationis periculum facile*

*tile à Liberis avertes. Quod ſi rem facilem arbitrabere fœminam ad arbitrium tuum formare & fingere, cogita Regem ſapientiſſimum Salomonem eadem in re fruſtra fuiſſe: Rarior enim paulo eſt perſeverantia herba, nec ubique germinat.* Hinc etiam Pontificii diſparia hæc matrimonia non inneunt, niſi prævia Diſpenſatione Pontificis M. eademq; in Illuſtribus matrimoniis ſimul cautelis hiſce inſtructa. *I. Si publica utilitas Regni id exigat. II. Si ſpes Converſionis ad fidem Catholicam affulgeat. III. Si periculum abſit, ne Fides Catholica pervertatur. IV.* Eodem pertinet, *quod Conjugia cum Indigenis anteferri amentsis, quæ cum exteris contrahuntur*, ne animi in peregrinos mores inclinentur. Quæ ratio Reip. Iſraeliticæ ſtrictisſime injuncta fuit *Deut. VII.* 3. Et *Salomonis* exemplo confirmata *I. Reg. II.* Cujus iterum hæc ratio erat, qvia per connubia cum exteris non poterant aliæ fœminæ ab Iſraelitis duci, quam gentiles, eoque Idololatricæ; Idololatria vero erat contra LL. Fundamentales Reip. Iſraeliticæ, cui ne vel minima præberetur occaſio, omne cum exteris commercium prohiberi oportuit. Huc referenda *Leiceſtrii* ratiocinia, cum in Aula Anglicana conſilia de *Elizabetha* Reginæ Nuptiis cum *Carolo Archiduce* agitarentur. *Exterorum mores, mentem, & ingenium perſpici non poſſe, quæ in marito, qui individuo nexu ſit una caro, perſpici imprimis intereſt. Cum lingva, moribusque peregrinis aſſidue verſari, moleſtiſſimum eſſe & miſerandum. Liberis ex peregri-*

*regrino conjugio procreatis, inſolens, & peregrinum quiddam innaſci, exterorum conſortio novos mores, nova inſtituta in Rempub. invehi. Mulieres Principes externis nuptiis, non ſuum, ſed alienum regnum plerumque augere, ſe ſuosq; alieno imperio ſubjicere, nec non regni arcana exteris prodere. Exterum maritum, pro innata in patriam charitate, Anglos ſuis poſthabiturum. Angliæ externo auxilio nihil opus eſſe, quæ ad ſe ſuaque tuenda, & vim externam propulſandam ſatis habet in ſe præſidii, alterius regni acceſſione nihil niſi majores expenſas, curas, & ſolicitudinem accedere; utque corpora humana, ita & imperia mole ſua laborare. Illud autem in nobilitatis contumeliam à Regia dignitate detrahi, cum Regia Majeſtas, quæ ad tantam ſublimitatem viam ſibi virtute aperuit, à nobilitate ortum repetat, nobilesque familiæ, Regiæ ſtirpis quaſi radices exiſtant, indeque eſſe quod Reges Angliæ, Duces, Marchiones, Comites, & Vicecomites* Conſangvineorum *titulo in literis ſemper ſalutarunt.*

## XV.

De *Imperio maritali* breviſſimè. Deberi marito probavimus *Cap. VI. §. IV.* Dependere à Publico *ibid.* §. *XIV.* An fluxerit demum ex maledictione Divinâ ipſa Sacri Textus verba prodent *Gen. III. 16. Multiplicabo dolores tuos, etiam conceptus tui; In dolore paries liberos, Et appetitus tuus erit ad virum tuum, & præſto tibi.* Quam *Tremellii* interpretationem aliis anteferimus. Extendi non aliò qvam ad res Conjugii & familiæ inde

inde patet, quia Conjuges hoc reſpectu Societatem iniverunt, nec aliæ res Societate conjugali comprehenduntur. Non poſſe extendi ad Jus vitæ & necis in eo claret, quia Jus hoc ſolius Imperii Publici eſt, quod Maritus non habet. Inſt. *Quid marito in ſolitudine faciendum ſit, ſi uxor capitale ſupplicium meruerit?* Reſp. I. Rem Deo committendam. II. Maritum in *ejusmodi caſu Imperium* publicum unà cum privato poſſidere; Sed tamen uxorem interficere non poſſe, ne periclitetur nova Societas, qvam in ejuſmodi caſu initurus eſſe præſumitur. Quæ & ratio erat, cur *Cainus* mortis ſupplicio non puniretur, quia cum interitu ejus totum genus humanum periclitaturum fuiſſet. Imperium Maritale Reginis hereditariis nihil præjudicare dictum *Cap. VI. §. III.*

XVI.

*Oppoſita* Conjugii nemini ignota ſunt: Plane ſingulare eſt Imperatorem Turcicum nullam ducere Uxorē. Nec extitit à *Bajazetis* temporibus niſi unicum *Solimanni* cum *Roxolana* contrarium exemplum: cujus rationem allegat Autor *Stat. Turc. L. II. c. XXI.* Ut impenſis parcatur, quam maximas requiſitura eſſet, certe non minores quam Valedia ſeu mater Imperatoris, quæ 500000. Imperialium admodum in annuis reditibus numerat. Aliam reddit *Busbequius*: Bajazetem majorem, cum in Tamerlanis poteſtatem unà cum Uxore veniſſet, multa quidem intoleranda tuliſſe, ſed nihil viſum eſſe indignius, quam ludibria & con-

contumelias quibus in ejus oculis uxor affecta fuerit: *Cujus quidem rei memoria Imperatores, qui Bajazeti in Imperium ſucceſſerunt ad huncusque omnes à ducendis uxoribus ſe abſtinuerunt, ut quicunque caſus incidiſſet, ſimilem fortunam ne paterentur, tantumque liberos ex ſervilis conditionis mulieribus, in quas minus injuria cadere, quam in uxores legitimas videbatur, ſuſceperunt.* Epiſt. Turc. 1. p. 36.

# CAPUT IIX.

## De SOCIETATE PATERNA.

*Quid Generatio, Parentes, Liberi: Dignitas Societatis Paternæ: Orbitas felicisſimorum: Cur Liberis alimenta debeantur? An omnibus? An matres teneantur lactare fœtus ſuos? Mors à Philippo II. Hiſp. Rege Carolo unico filio intentata; An Jephte occiderit filiam ſuam? Honoris parentibus debiti partes: Poteſtas patria: Liberi ſequuntur conditionem parentum: Succeſſio Liberorum: utra præſtet Inæqualis an Æqualis: Controverſia inter nepotem & patruum: Apanagia, Paragia: Liberorum Naturalium conditio; An ſi matrimonium diſpenſatione egeat liberi ante illud ſuſcepti*

Digitized by Google

*pti pro legitimis per ſubſequens matrimonium haberi poſſunt.*

I.

EX *Societate Conjugali* fluit *Paterna*; Generatio enim ſequitur Conjugium. Generatio eſt *proceſſio viventis à Principio viventi ejusdem naturæ.* Hinc *Parentes & Liberi.* Parentes ſunt *perſonæ aliud naturæ ſuæ ſimile generantes*; Liberi *perſonæ ad ſimilitudinem generis ſui ab aliis generatæ.*

II.

Dignitatem hujus Societatis inde æſtimare eſt, quod conjugium ab omni ævo tanto honoratius habitum, quando pluribus liberis inſtructum fuit. Hinc Jus trium Liberorum apud Romanos, quo ii quibus tres pluresve Liberi erant ex publico ſubſidia accipiebant, donec pubeſcerent; Et ab oneribus publicis immunes erant. V. *Comm. ad princ. Inſt. de excuſat. Tutor. & l. 1. C. Qui num. Liber. ſe excuſ.* Confer. *l. 7. ff. de Bonis Damnat. §. ſi plures filios damnatus habeat.* Ac ſingulari ſanctione *Philippus IV.* Regno Hiſpaniæ prodeſſe conatus fuit emiſſo A. MDCXXII. Edicto: Ut omnes, qui uxorem ducerent quatuor à nuptiis Annis ab omni onere publico immunes eſſent, quiq; ſex mares haberet, qui ſimul in vivis eſſent, is toto Vitæ tempore hac immunitate gauderet. *V. Petr. Ferdin. Navaret. Tr. de Conſerv. Monarch. Hiſp. Joh. Laet. Deſcr. Hiſp. p. 483. & ſeqq.* Et in ſacris numeroſa proles Bendictionis loco habetur,

tur. *Pſalm. CXXVII. CXXIIX.* Eſt tamen, ubi incrementis familiarum obſtat; Et *Margarita* Comes Hennebergica indubio maledictionis exemplo circa A. MCCLXXVI. uno partu CCCLXV. liberos enixa fuit, in cujus memoriam & Luſduni prope Hagam Comitum ſuſpenſæ Tabulæ adhuc videntur; Quod tamen ſolidis argumentis compluribus refellit *Voët. Diſſ. Vol. 1. p. 790. & ſeq.* Ipſis feliciſſimis accidiſſe orbitatem in Alexandro M., Julio Cæſare, Trajano claruit: Qvæ ideo & in cumulum felicitatis verti poſſet, *cum ea demum felicitas completa videatur, in quam fortuna nihil amplius liceat, quod, ſi poſteri ſint, fieri non poteſt.* Verulam. in Memor. Elizab. p. 1315.

III.

Parentes quod attinet illorum partes explet *Generatio*, de cujus natura jam dictum. Gignit autem porro conſervationis debitum: Qvi enim aliud ſibi ſimile eſſe voluit, eundem ut illud perduraret voluiſſe probabile eſt, qvod ſine conſervatione fieri neqvit. Vid. pluribus *Grotium J. B. II. VII. 4.* Sed qui in debiti notione ſcrupuloſius hæret: In Diſputatione JCtorum *an alimenta à parentibus liberis debeantur*, qvosdam ſentire, eſſe qvidem naturali rationi ſatis conſentaneum, ut à parentibus alantur liberi, debitum tamen non eſſe; Ac proinde ſibi diſtingvendum videri in voce debiti, *quod ſtricte interdum ſumitur pro ea obligatione, quam inducit Jus expletorium, interdum laxius, ut ſignificet id, quod niſi inhoneſtè omitti non poteſt,*

*poteſt, etiamſi honeſtas illa non ex Juſtitia expletrice, ſed ex alio fonte naſcatur.* Reſp. Debiti naturam non aliud ſignificatum admittere quam laxius: Qvando enim debemus, obligamur, tenemur præſtare aliqvid, eoqve honeſte id omittere non poſſumus. Sicqve dum qværitur, an alimenta debeantur Liberis, neceſſario ſenſus hic ſeqvitur, an obligentur Parentes alimentis præſtandis ſ. è contrario, an in poteſtate parentum ſit alimenta liberis præſtare? Quod neg. ratione ſuperiùs data. Qvod autem aliqvando vocem Debiti ſtricte ſumi dicit, id non peculiari vi vocis accidit, ſed ideo, qvia Debitum, qvod ex Juſtitia Expletrice, qvam vocat, naſcitur, ſpecies obligationis eſt, æq; ac homo qvando animal dicitur, animali peculiare ſignificatum non conciliat, ſed nomen hoc fert, qvia ſpecies ſub animali contenta eſt. Sed ad propoſitum: Et qvia naturale eſt hoc debitum, ideo etiam vulgo qvæſitos mater alere debet. Et qvanqvam ex damnato LL. concubitu natis nihil relinqvi LL. Romanæ voluerunt, ſicut & naturalibus ne qvid relinqvere neceſſe eſſet caverat Lex Solonis, Canones tn. Chriſtianæ Pietatis hũc rigorem correxerunt, qvi docent, qvalibuscunqve liberis id recte relinqvi, immo ſi opus ſit relinqvendum etiam, qvod ad alimenta neceſſarium eſt. Nec aliter capiendum, qvod dici ſolet, *Legitimam humanis LL. tolli non poſſe*, *quatenus ſcil. in legitima inſunt alimenta neceſſaria, Idem Grot. l. c.* Præterea & ali debent non tantum liberi primi gradus, ſed

& ſecundi, ſi ita res ferat, & ulterioris, ſi pater materve deficiant, cujus ratio, qvia perſona horum in eos revolvitur, ut qvia cauſa fuerant, ut parentes exiſterent, etiam nepotibus olim extituris ſimul cauſa fuiſſe cenſeantur. Plura vid. ap. JCtos *ad tt. ff. & C. de agnoſc. & alend. Liberis.*

IV.

*An matres teneantur proprio lacte nutrire fœtum ſuum*, notorium problema eſt. Cujus Affirmativa communiter recepta eſt; Negativam proſeqvitur *Bartholinus Exerc. II. Qvæſt. I.* Sed perinde eſſe videtur, ſeu ipſæ id faciant, ſeu aliis id faciendum committant, cum neutrubi rationibus ſolidis agatur. Affirmantium rationes ſunt: I. *Naturam ita Lac & mammas matri fruſtra dediſſe.* Reſp. Bartholinus, Naturam in caſu neceſſitatis dediſſe, ut nihil deeſſet pauperibus vel aliis etiam auxilio nutricis vicariæ deſtitutis. II. *Bruta propriis fœtus lactare.* Reſp. Id fieri, qvia commoditatem majorem non ſentiant. III. *Nutrices plerumq; malis moribus imbutas eſſe.* Reſp. 1. Eligi poſſe piam & honeſtam. 2. Nutrimenta nihil conferre ad ingenia formanda, cum naturali facultati hominum tantum ſuccurrant. IV. *Exemplis conſtare pravitatem nutricum infantibus impreſſam.* Reſp. Pravitatem non lactatui, ſed ſecutæ converſationi tranſcribendam. V. *Nutrices minus curare infantulos.* Reſp. Adjungendam eſſe parentum curam. Nec Bartholini rationes majoris ponderis ſunt. I. *Primis poſt partum diebus*

*bus Lac eſſe aquoſius & tenuius; Humorem enim nondum ad mammas fluere ſuetum eſſe &c. Si e. præſtet primis diebus Infantulum uberibus vicariæ nutricis lactari, nec continuationem talis lactatus improbari poſſe, cum infantulus ex mutatione detrimenti quid ſenſurus eſſet.* Reſp. I. Iisdem incommodis laboraturos Brutorum fœtus, & hoſce nihilominus manere innoxios. 2. Fœtum in utero longe pluribus incommodis obnoxium eſſe, & tamen ſalvum manere. 3. Siqvid ejus eſſet, mutationem tamen fœtui noxiam haut futuram, cum nutriendi ratio & ipſum nutrimentum maneat idem. II. *Lac labe infectum iri ex detentis Lochiis &ſ. Indeque Infantulos ſæpe morboſos redditos.* Reſp. I. merito dubitari, an Lac ex ſangvine generetur? 2. Infantulos morboſos reddi non à lactis ſubſtantia, ſed ſi Lochia totum corpus maternum infecerit. 3. Infantulum iisdem incommodis in utero laboraturum. III. *Puerperam à partu infirmiorem eſſe.* Reſp. Lactatum tamen tamen ideo novos dolores aut infirmitatem non effecturum.

V.

*Oppoſita* conſervationi *Expoſitio Liberorum*, crimen à ſenſu humano alienum. *Novell. CLIII.* Et homicidii ſpecies; *Etenim necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, ſed & is qui abjicit, & alimenta denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet. l. 4. ff. de agnoſc. & alend. Lib.* Qvibus & alia conſervatio-



Digitized by Google

ni adverſa involvuntur. Ipſius necationis triſte ſpecimen poſuit maximus Hiſpaniarum Monarcha *Philippus* II. cum A. MDLXIIX. *Carolum* unicum filium ac heredem tot Regnorum Inquiſitorum judicio in cuſtodiam dari & morte ſeu naturali ſeu juſſu parentis procurata ſeu violenta, etiam perire ſineret, pervincente tunc *Martini ab Azplicueta* Navarri Doctoris ſententia: Non poſſe à Rege abſqve gravi animæ noxa negligi ſalutem Regni; Negligi autem ſi Carolum abire ſineret, qvippe qvi procul eoqve confidenter aperteq; diſſidens à Patre Regnum in ſtudia parteſqve diſtracturus eſſet; Sed alii id ob ſuſpicionē propenſi ejus in Religionem Evangelicam animi factum autumant. Memorabile utiqve quod ex *Ovid. I. Metamorph.* Opmerius Belga iſthuc traxit: *FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.* Qvo verſu Annus emortualis Caroli & imputatum ipſi facinus comprehendi non ſine admiratione animadverſum fuit. Vid. plur. *Fam. Strad. de Bell. Belg. Dec. I. L. VII. p. 378. Thuan. L. XLIII. ad A. MDLXIIX. Meteran. L. III.* Similis materiæ inter Theologos eſt Qvæſtio: *An Jephthe interfecerit filiam?* Qvod veroſimile non videtur. I. Qvia fides Jephthæ prædicatur *Hebr. XI. 32.* Ac proinde probabile non eſt, eum abominabile ejuſmodi ſacrificium, quale humanum eſt, immolaturum fuiſſe. II. Non potuit votum Jephthæ amplius extendi, quam ad animal holocauſti capax; Holocauſta enim per legem fieri non poterant,

rant,



[illegible]

VI.

[illegible] *Hobbes de Civ.* [illegible] *Leviath. c. XV.* [illegible] & rationem Præcepti de honorandis [illegible]

tant, niſi ex bobus, ovibus, capris, turture, columba: Itaqve ſi canis aut aſinus occurriſſet, non potuiſſent immolari, ſed redimi debuiſſent, de hoc igitur idem ſentiendum. III. S. Codex diſertis verbis non indicat, eam immolatam fuiſſe, ſed tantummodo Jephtham feciſſe ſecundum votum ſuum, cujus verba conſecrationem quidem, ſed immolationem non neceſſario inferunt. *Erit Domino*, dicit, *& offeram illud in holocauſtum*; Particula ET vero apud Hebræos pariter ac Græcos non minus conjunctionem, qvam disjunctionem denotat, ut proinde ſenſus eſſe poſſit: Erit *Domino*, aut *offeram in holocauſtum*. Vid. pluribus hac de re verſiones Latin. *Junii & Tremelli, & Ludovici Capelli, ac Chriſtiani Schotani diſſertationes de voto Jephthæ.*

## VI.

Jus Parentum eſt *Honor* à Liberis ipſis præſtandus: Hoc eſt, ne deteriori conditione eſſe patiamur, qvi nobis ante benefecerunt; Clarius, ne *ipſis diſpliceamus*. Honorem enim fundat. I. Agnoſcere potentiam. II. Nolle diſplicere. Cauſa ex Lege Gratitudinis pendet, ne *parentes collati nobis beneficii pœniteat*: Qvod veluti fiduciam in genere humano tollit, ita ſpem mutuæ opis & gratiæ conciliandæ initia præcidit. Nemo enim dat, niſi qvia reſpicit Bonum in ſe redundaturum. De qvo vid. plur. *Hobbes de Civ. III. §. IIX. & c. IV. §. VI. Leviath. c. XV.* Qvo fundamento & rationem Præcepti de honorandis parentibus



Digitized by Google

niti autumamus: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra &c.* h. ne Deum collati talis Beneficii in nos pœniteat, ſi factis noſtris efficeremus, ut parentes collatorum nobis beneficiorum pœniteat. Et dicitur primum Præceptum eſſe, qvod promiſſionem habeat, qvia fundamentũ excitandæ inter homines fiduciæ & initia conciliandæ gratiæ continet. Hinc I. reveremur parentes iisque cedimus. II. Eosdem amamus & infirmitates ipſorum tegimus ac ferimus. III. Beneficia collata rependimus, quod ἀντιπελαργεῖν appellant, & in ſpecie alimentis ipſis præbendis applicant. Non tamen æqve ordinarium eſſe, atqve illud qvod parentes liberis præſtant; adnotat *Grotius loc. cit. §. V.* Qvo ſi intelligat qvid fiat, non male loqvitur; Si, quid fieri poſſit, minus bene: Cum Lex gratitudinis æqve ac Conſervatio fœtus dictamen Naturæ ſit. Ait I. *Liberos cum naſcuntur nihil afferre, unde vivant;* Reſp. Nec parentibus effœtis aliquid ſupereſſe, unde ſua ope vivere poſſint. II. *Ipſos diutius vivendum habere quam parentes.* R. Et vires majores ad acqvirendum habere quam parentes. III. *Sicut honor & obſequium parentibus debetur non liberis, ita educationem Liberis magis quam parentibus.* Reſp. Opponi quæ ſubordinentur ſibi invicem; Alimentorum præbitio n. exhonore fluit. IV. *Naturam magis jubere à parentibus liberos, quam à liberis parentes diligi.* Reſp. Naturam quidem utrumque perinde jubere, ſed con-

[illegible]

VII.

[illegible]



Digitized by Google

conſervationem liberorum inter dictamina ejus evidentius conſpici, quam Legem gratitudinis. V. *Papiniani effatum eſſe: Non ſic parentibus liberorum ut liberis parentum deberi hereditatem: Parentes ad bona liberorum rationem miſerationis admittere, liberos autem naturæ ſimul & parentum commune votum.* Reſp. Ipſum JCtum agnoſcere æqvale utrinque debitum, & eundem tantum utriusque modum non eſſe monere; Ac proinde licet parentes ſuccedant liberis præter vota ipſorum & ordinarium naturæ curſum, Legem gratitudinis tamen jus illorum non deficere. VI. *II. Cor. XII. 14. Non liberi parentibus, ſed parentes liberis rem congerere & ſervare debent.* Reſp. eadem: Id fieri juxta vota parentum & ordinarium naturæ fluxum; Non tamen parentum Jura in res Liberorum ideo minora reddi.

VII.

Imperium, quod veluti omnem Societatem, ſic hic Societatem Paternam ſequitur, communiter appellatur *Poteſtas Patria:* Poteſtatis nomen recte uſurpatur, omne enim Imperium eſt poteſtas in alium: Definiri poſſet, eſſe *Jus Parentum regendi liberos.* Cauſa ejus eadem, qvæ Imperii maritalis, nempe Imperium Publicum. Publicum enim ob multitudinem negociorum communiores rerum privatarum aliis committit, ſicq; curam regendorum liberorum Parentibus potiſſimum. Impulſiva hujus Generatio: Quicquid in contrarium ratiocinetur *Hobbeſius*, quem vid.

*de Civ. c. IX. §. 1.* Æqvum enim eſt, ut quod eſſentiam & conſervationem à nobis accepit, nobis cumprimis ſe accommodet. Cur, cum utrique parentum communis eſſe poſſet, Patri in ſpecie tribuatur, ratio eadem declarat; Imperium Publicum enim hunc ſelegit. Ratio ſelectus Imperium maritale: Qui enim Imperium in matrem habet, in ea quæ matris ſunt, etiam Imperium habere cenſendus eſt. Unde & ſi mater bello capta ſit, natus ex ea capientis eſt, propterea quod qui Dominium in perſonam habet, Dominium habet in omnia, quæ ſunt ejus eoque & in filium. Et ſi fœmina Imperium habens filios ex ſubdito ſuſceperit, ſuſcepti matris ſunt; Imperium maritale enim eminentiori alio abſorptum fuit. Vid. *Hobbes de Civ. IX. §. V.* Qualitatem ac modum Imperio huic LL. particulares adjecere: Quo reſpectu intelligendus Imperator §. *2. Inſt. de Patr. Poteſt. Jus Poteſtatis, quod in Liberos habemus, eſſe proprium Civium Romanorum.* Iisdemque Jus vitæ ac necis aliquando adjectum, ut apud Romanos antiquiores, item Japanenſes hodiernos *T. Varen. Deſcr. Japan.* Et apud Hebræos LL. Primogenitorum Deus etiam videtur tacite innuiſſe, ſe poteſtatem vitæ ac necis concedere Parentibus in Liberos & heris in ſervos, ſed quam ſacra capitis illorum devotione exercerent. Vid. *Num. IIX. collat. cum Levit. XXII.* In ſe enim & Natura ſua non poſſe eò extendi rationes eædem evincent, quas in ſimili argumento de Imperio maritali

maritali protulimus. *Cap. VII. §. XV.* Adde *Deut. XXI. 18. 19. 20.* Quam diu duret, dum explicant Politici, tria Liberorum tempora diſtinguunt. I. Tempus *imperfecti judicii*, quo omnes liberorum actiones Dominio parentum ſubjici volunt; Æqvum enim eſt, ut aliunde regantur, qui ſe ipſos regere nequeunt. II. Tempus *perfecti judicii, ſed Filio adhuc manente parte Familiæ*, quo iterum Parentibus ſubjiciunt, licet tantum ratione rerum ad Familiam pertinentium, quia dum partem Familiæ ſe eſſe agnoſcunt, ab eo qui totam Familiam regit, etiam regi oportebit. III. Tempus *perfecti judicii, poſtquam Familiâ exceſſit*, quo filium ſuo juri relinqvunt, quia non amplius à parentibus dependet, ſed ſeipſum regere poteſt. In Regibus aut abſolutis Principibus peculiare hoc, quod eorum filii ſe aliter habere non poſſint, quam ſubditi: *Quoniam ea eſt Regni Sanctitas, ut nemo præter Regem in Regno eſſe poſſit, aut debeat, qui non agnoſcat Regiam Majeſtatem ſive cui Rex non ſit Rex. Boecler. Ann. Tac. l. XV.* In Imperio noſtro Germanico tamen Pater Princeps extra res domeſticas nullam jurisdictionem in Filium habet, cum hi non minus ſint Principes Imperii, quam ille, nec Patri adeo naſcantur, quam Imperio. Vid. pluribus Muller. *Gamol. c. XXII.*

VIII.

Jura Liberorum ſunt. I. *Sequi Parentum conditionem*; Parentes enim illos tq. ſimiles ſibi generarunt; Et Filius eſt paterni corporis portio.



Digitized by Google

*l.22. C. de Agric. & Cenſ.* Hinc Patriciatus Dignitas apud veteres Romanos eorum erat, qui è Patribus conſcriptis ortum duxerant; Et Dignitas *Nobiliſſimatus* mediis Romani Imperii ſeculis eorum, qui ſangvine Imperatoribus juncti erant. Vid. *Panciroll. Not. Imp. Or. c. IV.* Et in Imperio noſtro Procerum Liberi ſtatim atq; nati ſunt Parentum Dignitate fruuntur, & perinde *Duces, Marchiones, Comites* vocantur ac ipſe Pater, quia ut antè diximus non Patri naſcuntur, ſed Imperio. *Alibi* tamen Jus hoc ſtrictius eſt, & Procerum Angliæ, niſi Principes Sangvinis ſint, *ſecundogeniti nullum Ducis, Comitis, Marchionis* nomen habent, quoad *Primogenitus* familiæ ſupereſt, niſi propriis meritis à Rege ad honorem ejusmodi evehantur; Et ne primogeniti quidem integra Parentis dignitate fruuntur, quoad Parens in vivis eſt, ſed vel Eqveſtrem tantum obtinent, vel minorem aliam, ut ſi parens Comes ſit, idemq; Vice-Comes aut Baro, ille pro indultu Parentis Vice-Comes vel Baro vocetur. *An Regis Filius Rex vocari debeat vivente Patre* ambigi ſolet. *Molina de Jur. Primog. III. V. 15.* de Principe Hiſpaniæ id aſſerit. Adde *Müller. Gamol. c. XX. §. II.* & quos ille allegat. Sed communi uſu *Principes* vocantur, veluti Primogenitus Regni Angliæ *Princeps Walliæ*, Primogenitus in Hiſpania *Princeps Auſtriarum*, idemq; tota proles Regia *Infantes*, Primogenitus Galliæ ſimpliciter *Delphinus*; In Abſtracto tamen nomine *Regiæ Excellentiæ*, quemadmodum & Fratres Regii

Regii honorari ſolent. Huc pertinet etiam Juris Civilis ſententia, *Partus ſequitur ventrem*, h. matris conditionem: Eaque non tantum ſervilem, ſed omnem vulgo conceptum partum æſtimant; Cauſa, quia matris ſolius ſunt, mater enim in tali ſtatu Imperio Maritali non ſubjacet, cujus vi veluti liberi patris fiunt, ita extra illud matris manent, quippe in cujus ſolius poteſtate ſunt, dum naſcuntur; Ac proinde veluti matris ſolius ſunt, ita & matris conditionem ſequi neceſſe eſt. Conf. *Bachov. ad ff. de Stat. Hom.*

IX.

Alterum Jus Liberorum eſt: *Succeſſio in Bona Parentum*: Quippe jure propinquitatis ipſis debita: Nam quoniam natura proximi ſunt, etiam benevolentia proximi eſſe cenſentur: Unde JCtus: *Ratio naturalis, quaſi Lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicit, velut ad Debitam ſucceſſionem eos vocando. L. cum ratio 7. ff. de Bon. Damn.* Et ratio iſta quoque obtinet, cur ſi liberi deſint ad fratres & ſorores tranſeat hereditas, quia benevolentiâ cenſentur eſſe proximi.

X.

Succeſſio hæc autem duplex: *Æqualis*, quando liberi in æquales portiones ſuccedunt, & *Inæqualis*, quando uni liberorum plus, quam alteri relinquitur. Q. *Utra præſtet?* Reſp. Inæqvalem. Quia perpetua partitio & familiæ & Reip. partes attenuat. *Quem potiſſimum reſpiciat?* Reſp. Pro primogenito militare I. Hodiernam praxin

Gen-

Gentium. II. Naturæ prærogativam, quia primum natus eſt. Digniſſimum olim elegit *Alexander*, cum amici qværerent, qvem Imperii faceret heredem? Et Ratio, quia Natura, quem majoribus dotibus inſtruxit, eundem & cæteris præferri voluiſſe probabile. Quod quidem licet negari nequeat, quia tamen nunquam deſunt, qvi dignitatem iſtam alteri ambiguam facturi ſunt, commodum haut fuerit, ſucceſſionem iſtam introduci, niſi omnium conſenſu de Succeſſoris eminentia conſtet. Unde & voce Alexandri veluti bellicum inter amicos miſſum adnotat *Juſtinus L. XII.* Ita omnes in æmulationem conſurrexiſſe & ambitione vulgi tacitum favorem militum quæſiviſſe. Cur *ſexus maſculinus* præferatur *fœminino* ratio eſſe poſſet. I. Quod ille rebus gerendis aptior habeatur. II. Poſtquam in conſvetudinem res abiit, quod conſuetudini non ſit contradictum. *Hobbes de Civ. IX. §. XVI.* Cui addimus, quia per filias prædia gentilitia diſtrahuntur, quippe quæ tranſeunt in familiam maritorum ſuorum. Nec ulla hic fere controverſia, niſi quod in Regnis littoris *Malabarici* mortuo Regi non filii aut fratres, ſed ex fœminino ſexu Sororis filius ſufficiatur, eo quod de illis incertum putent, quo ſangvine creti ſint, de his verò conſtet, ipſos è ſangvine Regio deſcendiſſe. V. C. *Balby Deſcr. Cochini in T. II. Navig. Belgic. n. XII. p. 10.*

XI.

In ipſis Familiis Illuſtribus *Succeſſio Inæqualis* præ-

Digitized by Google

præferri ſolet *æquali.* I. Quia facit ad conſervationem dignitatis & ſplendorem familiarum, quæ nimiis diviſionibus evileſcerent & præter nomen Dignitatis nihil retinerent. II. Neque è re ſubditorum eſt pluribus Dominis ſubjici. Et in Familiis Regiis ſtrictiſſime obſervatur; una quippe Corona duobus capitibus non convenit, & ut corona, ſic Regnum ſi dividatur vim ac nomen penitus amittit. *Arum. ad A. B. D. VI. n. 33.* Neq; procul hinc abeſt, quod in Succeſſione Æquali quoque, ubi adhuc ſupereſt, Politici fieri obſervant: Quod non tam ipſa Jura Regalia Ducatuum &ſſ. majorum feudorum, ſed potius adminiſtratio, fructus & commoda dividi cenſeantur: Unde & communi conſenſu omnium res expediri ſolent; Neque in Imperio noſtro Jus deliberandi in comitiis ex numero perſonarum creſcit, ſed ex Jure territorio inhærenti æſtimatur; Quod exemplo *Ducum Vinarienſium*, *Principum Anhaltinorum* &ſſ. patet.

## XII.

Nobile quæſitum eſt de Jure Nepotis & Patrui, ſeu quousq; ſe enxtendat *Jus Primogenituræ*, & ſi primogenitus ante tempus ſucceſſionis mortuus Fratrem ac Filium relinquat, utrum Fratrem an Filium præferri oporteat? Quæ quidem lis *A. MDLXXXV. & ſuperſtite adhuc Henrico III. Rege, Henrico IV. tunc Navarræ Regi* mota fuit, quem Cardinalis *Borbonius* patruus ejus gradu & ætatis prærogativa vincebat, illo interea in primoge-

mogeniti Linea conſtituto; Ediditque pro Carolo conſultationem *Matthæus Zampius Racanatenſis*; Sed quem *F. Hotomanus* contraria conſultatione itidem edita confutavit. Vid. *Thuan. L. LXXXI. init.* Facitq; pro *nepote*, quod veluti Jus naſcendi, ita Jus primum naſcendi immutabili ſerie ad deſcendentes propagetur & in iis continuetur; Ac proinde veluti pater, cui ſemel primogenitus natus eſt, alium ejusdem gradus & ordinis amplius habere nequit, ſic primogenitus ejusque poſteri perpetuo ordine eundem locum occupant; Ille Jure ſuo ſibi proprio, hi beneficio repræſentationis, quo in loco parentis ſui ſuccedunt, ejusque perſonam repræſentant, ac una eademque; perſona cum illo cenſentur. *Rumelin. ad A. B. p. I. D. VI. add. ad §. IV.* Quibus ne ſequior quidem ſexus præjudicat, quia non qualitas repræſentantis, ſed repræſentati reſpicitur. Unde & Reges Portugalliæ hodie non incommode Jus ſuum à *Catharina Brangantina* hauſerunt, quippe ab *Eduardo Emanuelis* Regis Sextogenito nata eoque beneficio Repræſentationis jura parentis poſſidente; Cum Regibus Hiſpaniæ beneficium melioris Sexus quidem faveat, ſed ex Filia Emanuelis Iſabella prognati ſint. Plura de hiſce talibus vid. ap. *Engelbrecht de Jur. Primogenituræ.*

XIII.

Speciem Succeſſionis Inæqualis gerit *Jus Devolutionis* in Belgio & alibi uſitatum; Quod eſt ſecuritas quædam liberorum habendi & fruendi Bonis

Digitized by Google

Bonis devolutis, ſi parenti ſuo ſuperſint: Aut pleniori deſcriptione; Vinculum quod per diſſolutionem matrimonii conſuetudo injicit Bonis immobilibus ſuperſtitis conjugis, ne ea ullo modo alienet, ſed integra conſervet ejusdem matrimonii liberis, ut in ea ſuccedere poſſint, ſi parenti ſuo ſuperfuerint, vel ipſi, vel qui ab ipſis nati fuerint, excluſis liberis ſecundi vel ulterioris matrimonii. Quid ejus cauſa ultimo Bello Hiſpano & Gallico geſtum fuerit, omnibus etiam nunc notum eſt. Vid. de eo *Tr. Petr. Stockmans de Jure Devolutionis.* Ex eadem Succeſſione Inæquali fluxerunt Perſonarum Illuſtrium *Apanagia* & *Paragia*, ambo reditus minores ſecundogenitis aſſignati, ſed cum diſcrimine: *Paragium* eſt titulus, quo Ditionum pars minor à fratribus natu minoribus eorumque poſteris ita poſſidetur, ut majori fratri majorem partem obtinenti eo nomine neq; fidelitatem neq; homagium debeant: quippe qui pari jure ſtirpis & pari titulo, paternæ avitæq; hereditatis id obtinent. *Apanagium* eſt aſſignatio alimoniæ proviſionalis Principibus poſtgenitis facta. Diſcrimen utriusque, quod *Paragium* conſtituat partem hereditatis, certæque debitæ partis proprietatem; *Apanagium* vero fiat per modum proviſionis & pars Domanii, unde plerumq; peti ſolet, maneat. Hinc & Quantitas Apanagiorum communiter nititur vel Lege pragmatica Regni, vel arbitrio etiam Principis, cum hoc tantum moderamine, ut fratrum eoque familiæ di-

gnitas

gnitas ſervetur, nec tenacitate nimia ſorditiei præbeatur occaſio. Vid. plur. de hac materie *G.H. Springsfeld de Apanagiis*. De Apanagiis Germaniæ vid. *Sprenger. Luc' Imp. c. II. p. 191.*

XIV.

*Liberorum Naturalium*, h. e. extra legitimum Matrimonium genitorum ſeqvior eſt conditio, neque enim nobilitate ac dignitate paternâ gaudent. *L. cum legitimæ ff. de ſtat. hom.* Ratio eſt, qvia naturales Liberi non cenſentur eſſe de familia Patris Nobilis *l. ſi Spurius ff. 4. unde cognati.* Nec poteſt habere hæreditatis conſortium, qui non habet originis privilegium. *Can. Dicat aliquis c. 32. q. 4.* Hinc & ne tunc qvidem ad hæreditatem admittuntur, cum nulli legitimi liberi amplius ſuperſtites ſunt ob eandem cauſam, qvia nec de agnatione neq; cognatione Patris eſſe cenſentur. Interim plerarumqve Gentium conſvetudine receptum eſt, *ut filii naturales perſonarum illuſtrium pro nobilibus habeantur.* Et *Burgundiæ* Ducum naturales honori ſibi duxerunt Baſtardos inſcribi, rati id non dedecoris ſed conditionis nomen eſſe: Qvæ dignitas, dignitatisqve privilegia niti ſolent *legitimationis* beneficio, licet incompletioris, qvæ peragitur agnitione Patris, ut profiteatur ipſum ſuum filium eſſe, permittatqve ei ferre nomen, arma & Inſignia ſua, ſemper tn. cum hac regula, qvod Jus filiationis qvidem, nunqvam vero Jus Succeſſionis acqvirat, cujus rationem iterum reddunt, qvia impoſſibile ſit omnem

omnem prorſus maculam illegitimorum natura-lium elidi, nec legitimi adeò fiant, quam fingan-tur, & imaginem rectius, quam Statum legalita-tis acquirant. Huic in communi addideris alios legitimationis modos per *Reſcriptum Principis*, per *Oblationem Curiæ* &c. *Completiſſima vero Le-gitimatio eſt*, quæ fiat per *ſubſequens matrimonium*, ideoque tali modo legitimati in omnibus & per omnia legitimè natis liberis æquiparantur: Præ-ſumitur enim virum ex ſubſecuto matrimonio, a-more honeſto & conjugali à primo usq; principio erga concubinam fuiſſe *l. Cum quis C. de Natural. liber.* quo quidem in caſu legitimati hi, ipſis etiam, qui in ſubſequenti matrimonio nati ſunt, præfe-runtur. (1.) Quia prius hoc Jus acquiſivere. (2.) Quia cauſæ ſunt, quare Pater concubinam, quam maritali affectione in conſortio habuerat, in uxo-rem duceret, & ex eâ alios filios ſuſciperet. Aliam tamen ſententiam tulit caſus in M. Judiciorum Camera Pariſienſi deciſus XI. Decembr. An. MDCLXVI. ubi quæſtio erat: *Utrum ſi Papa con-ſentiat in Diſpenſationem Matrimonii in ſecundo con-ſangvinitatis gradu, Legitimos eo ipſo efficere queat liberos ante initum matrimonium procreatos?* Cu-jus affirmativa nitebatur legitimationis beneficio, ſed pro negativâ decidebatur; Liberos enim non potuiſſe fieri legitimos propterea, quia tempore nativitatis adhæſerit ipſis impedimentum diri-mens, quod prohibuerit Parentes contrahere matrimonium. Hinc & Curia legitimationis eos

I   ſue-

ſucceſſionisve incapaces declaravit, **decretis ſolū** unicuique ducentis libris ad ſuſtentationem *V.T. I. Ephemer. Erudit. Vir. p. 19.*

---

# CAPUT IX.

## De

# FAMILIIS.

*Quo ſenſu Vir & Uxor dicantur affines? Conſangvinitas, Affinitas, Arbores utriusq;, Stipes, Linea, Gradus: Agnationis & Cognationis differentia: Familia: Communio Nominis Gentilitii, Honorum, Inſignium: Horum deſcriptio, Finis, Partes: Communio Damni in Familiis: Gradus amplitudinis Familiarum varii: Confraternitates perſonarum Illuſtrium.*

### I.

EX Conjugiis & Generatione fit *Propinquitas quædam moralis ſeu conjunctio*, qua continentur omnes perſonæ, quæ Jure Sangvinis aut nuptiarum ſe invicem attingunt: Adeo ut inter ipſos conjuges eam agnoſcant JCti ad *l. 5. C. de Hered. Inſtit. & l. 8. ff. de Condict. cauſ. dat.* Sed quod eo ſenſu admittendum videtur, quo unitas inter numeros collocatur, quæ tamen proprie non eſt numerus, ſed numerandi principium. Ejus duæ ſunt ſpecies, *Conſangvinitas & Affini-*

*Affinitas*; Hic potiſſimûm tractandæ tq. cõſequentia Societatis Conjugalis & Paternæ, non in loco de Conjugio, quod plerumque fieri ſolet, cum eo non niſi indirecte, ſeu phraſi ſcholaſtica materialiter & per applicationem pertineant. *Conſangvinitas eſt* vinculum perſonarum ab uno ſtipite deſcendentium, ſeu *communio Juris Sangvinis*; Alias & cognatio dicta ſenſu vocis ampliori. Ipſæ perſonæ communi jure Sangvinis gaudentes Conſangvinei, quaſi de uno ſeu communi Sangvine nati & propagati, & Cognati, quod initium commune naſcendi habuerunt. *Affinitas* eſt conjunctio diverſorum conſangvineorum per nuptias, ſeu diverſarum cognationum per nuptias copulatio. *Affines viri & uxoris cognati dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diverſa inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. l. 4. §. 3. ff. de Grad. & Aff.* Ambarum complexum vocant Arborem, *Arborem Conſangvinitatis* complexum omnium perſonarum à communi ſtipite ortarum; *Arborem Affinitatis* complexum Affinium &c. In utraque eſt *Stipes*, perſona à qua cæteræ, de quarum conjunctione quæritur, ducuntur; *Linea* ſeries perſonarum eundem neceſſitudinis Titulum ferentium; *Gradus* ipſarum perſonarum in Linea diſtantia. Porro *Linea Recta*, quæ generationem Stipitis in nos derivat, ac proinde *Aſcendentem* perſonarum, à quibus originem duximus, & *Deſcendentem* Perſonarum, quæ à nobis originem duxerunt; *Linea col-*

*lateralis* deinde, quæ aliam generationem Stipitis juxta nos collocat, ſeu Seriem eorum, qui nobis ex latere juncti ſunt, à quibus nos non duximus originem, nec illi à nobis, & tamen uno Sangvine prognati ſumus: Et hæc iterum *Æqvalis*, perſonarum pari intervallo à ſtipite diſtantium, & *Inæqvalis*, quorum intervalla non ſunt paria. Uſus Arboris conſangvinitatis ejusque partium in tutelis, Succeſſionibus ab inteſtato & cauſis matrimonialibus. Arboris Affinitatis in teſtimoniis atque itidem cauſis matrimonialibus. Quæ omnia à Theologis & Politicis prolixe tractata in Themate de Conjugio: A JCtis ad *Inſt. de Nupt. & de Grad. Cognat. Item ff. de Grad. & Affin. &c.*

II.

Conſangvinitas præterea duûm generum, *Agnatio & Cognatio*: *Agnatio* per mares ſeu virilis ſexus perſonas contingit; *Cognatio* à fœminis exoritur. *Illa* novo Vitam Socialem vinculo colligat, & Familias producit, quæ ſunt, *Corpora Agnatorum*, ſeu Societates multiplici vinculo perſonarum ab una Stirpe deſcendentium colligatæ: *Corpora* ſunt Societates majores; *Agnatio*, vinculum ab uno ſtipite deſcendentium.

III.

*Conſequens* Agnationis ac proinde Familiarum eſt *Communio Nominis Gentilitii & Honoris*: Cujus cauſa, quia Agnati retinent idem jus quod autor Familiæ habuerat: Quod in Fœminis ſecus eſt, quæ nomen Gentilitium quidem & Inſignia



IV.

ſignia in perſonis ſuis non plane abjiciunt, ſed tantum in teſtimonium ortus ſui; In prole tamen propagare nequeunt, quia jure ſuo per Imperium maritale exciderunt. *Confer. Cap. IIX. §. VI.* Unde & uxor dicitur eſſe de Familia mariti, h. non tantum è domo ejus, ſeu eorum numero, qui ſub eo quotidiani uſus gratia conjuncti ſunt, ſed etiam jurium Agnationis h. ejusdem cum Marito Nominis, Honoris ac Inſignium particeps. In perſonis Illuſtribus vi juris hujus fieri putamus, ut liberi Regii nomen Excellentiæ Regalis ferre ſoleant; Honore item & cultu Principali è Familia tributo, proinde afficiantur; Qualis erat in veteri Imperatorum Familia, ut ignem ipſis præferrent, Throno Imperatorio ſederent, Purpura amicirentur &c. Quorum & ſimilium exempla Vid. *Not. Dign. Ill. Diſſ. VI. paſſim.* Et in *Germania* noſtra omnes, qui ſunt unius Familiæ, etiam Apanagiati & Paragiati Titulum Regentis ſeu Primogeniti gerunt, niſi quod in filiis Electoralibus, ille qui non eſt Elector Electoris Titulo abſtineat, cujus ratio, quia Electoratus velut inſtar officii eſt: Quam ob cauſam nec Liberi Regii Reges vocântur, quia & Regis nomen aliquid officii involvere videtur.

IV.

Gerunt Familiæ & communionem *Inſignium* tq. ſymbolorum demonſtrandi communis juris: Quæ ea propter & noſtra hic facimus, quippe res nô ad Jus Publicum Imperii noſtri, quo à plerisq;

referuntur, ſed ad Jus Publicum univerſale h. Politicam pertinentes. Non neſcii interea eorum propriam ſedem vel juxta Dignitates eſſe, vel in generalioribus præceptis, ubi de Perſonis agendum eſſet, quarum hæc potiſſimum ſigna Diſcretiva ſunt, recumbere: Unde & alia *Familiarum*, alia *Officiorum*, facienda ſunt. In genere fuerint *Conſtantes Impreſiæ deſignando ſtatui adhibitæ. Impreſia* vox Italica, ſed ſignificantiſſima eſt, Figuram Symbolicam animo aliquid objicientem denotans, quam Græce *Φρενοσχῆμα* eodem ſenſu dixeris: Unde Inſignia ſunt Impreſiæ, h. Symbola ſtatum alterius animo imprimentia. *Conſtantes* vero diximus in diſcrimen ab Emblematibus & figuris certo negotio, ut nuptiali, funebri &ſſ. adhibitis. Antiquitas eorum in Columba Semiramidis, Eqvo Darii Hyſtaſpis, Noctuis Athenienſium claret. Finis non alius, quam Virtutem, Dignitatem, Fortunam aut ſimile quid oſtendendi intentio: Quamobrem & figuræ tales ſelectæ, quibus teſtarentur, res actionesve ſuas non minorem fortunam, robur, celeritatem, generoſitatem comitari, ac animalibus aut aliis rebus, quas præferrent, attribuatur. Exempla vide *Not, Dign. Ill. Diſſ. VI. III. Partes* Inſignium ſunt I. Scutum ſeu Campus, cui Inſignia inhærent. II. Emblemata, ſeu Figuræ atque colores ſcuto adhærentes. III. Galea eaque clauſa vel aperta. IV. Clinodia, qualia Apex Plumeus, Galli, corvi, ipſa cornua. V. Suſtentacula, aliàs Telamones, qualia in In-

Digitized by Google

in Inſignibus Anglicis Leo & Draco vel Unicornis, in Gallicis Angeli. Solent & Elogia aliquando adjici, ut Armis Anglicanis verba, *Hony ſoit, qui mal y penſe*; Inſignibus Principis Walliæ, ICH DIEN &c. Singularis ſcientia Inſignium hodie vocatur *Heraldica*, ab Heraldis, quorum hoc in aliis Regnis eſt Officium, ut curam Inſignium perſonarum Illuſtrium pariter ac inferioris notæ ſuſcipiant.

V.

Eſt etiam, ubi communio damni ipſarumqve pœnarum Familiis imponitur: ut ſi unus peccet, omnes patiantur: Qvemadmodum apud Japanenſes in omnibus delictis *gravioribus non ipſe delinquens tantum, ſed etiam Pater, filii, fratres & nepotes morte puniuntur. Mater vero, ſorores, filiæq;, modo non participes ſceleris ſint, vitam quidem ſervant, ſed pro mancipiis venduntur. Vid. Deſc. Japaniæ* paſſim & inter eos *Varen. Deſc. Japan. c. XIIX.* Cujus ratio haut dubie, ut unusqvisqve à delictis eo alienior ſit, qvo novit ea non ſibi tantum, ſed iis etiam qvos charos habet, imputatum iri. Qvo jure tamen id fieri poſſit, tractabitur ſeq. *Cap. XV. §. XII. & ſeqq.*

VI.

An *Antiquitas Familiis aliquid adjiciat*, Qvæſtio non ignota eſt & Nobiles potiſſimum concernens: In qva I. agnoſcendum qvidem, qvod è Seneca citari ſolet *Ep. XLIV. Omnibus nobis totidem ante nos ſunt, nullius non origo ultra memoriam*

*jacet.* Et Ovidianum iſtud: *Principiumq; ſui generis revolutaq; quærens Secula cognatos venit ad usq; Deos.* Sed de eo nemo Nobilium magnopere contenderit, cum Qvæſtio ſit non de Antiqvitate ſimpliciter, ſed de Antiquitate meritis clara, iisdemqve nota; Seu an majores habuerimus paribus meritis cognitos: De quibus nec Seneca nec Ovidius intelligi poſſunt. II. Nec diffitendum antiqvas Familias ſiniſtra curioſitate ſcriptorum ſæpe proſtitui, dum immemorabilem antiqvitatem indagant: Qvemadmodum *Hieron. Gebwilerus Familiam Auſtriacam* ad Noachum usqve deducit; Chronologi Danorum Reges ſuos ad Danum, neſcio qvo gradu Japeto vel Noacho propinqvum; Angliæ Reges *Galfridus Monmuthenſis* & ex eo *Pontius Virunnius* ac alii ad *Brutum Sylvii Filium, Æneæ nepotem,* aliusq; itidem ad Noachum, cujus Membranam antiqvam Oxonienſes Collegii Reginalis cuſtodiunt; Sicqve & magnam partem aliorum Principum veteri Romanorum vel Trojanorum Sangvine creatam Hiſtorici ſæpe produnt. Atqvi de Noacho qvod traditur, licet indubium ſit, acqvis continuitatem iſtam deſcendentium certam præſtabit? De Trojanis & Romanis vero dubium, an etiamſi conſtaret aliqvid ejus, Sereniſsimis Principibus noſtris applicandum ſit? Gothici Principes certe cum Roma potirentur, Cæſares vel Auguſti vocari renuerunt, ſubſtitutis *Cheldorum, Balthorum, Amalorum* nominibus, qvod qvisqve ſtirpem ſuam Cæſarea longe digniorem ſe habere autumaret, & fa-

miliæ

Digitized by Google

miliæ ſuæ dedecus eſſe duceret Regium avorum ſtemma & quod Diis genitum putabant, in Civis alicujus Romani, qvales Cæſar & Auguſtus, Familiam tranſcribere. V. pluribus hac de re *Goldaſtum præfat. in T. III. Conſtit. Imper.* Et *Henr. Bebelius* dum imprudentem iſtum à Romanis & Trojanis derivandi morem attingit, paulo liberius: *Nulla*, inquit, *familia eſt in tota Germania, quæ octingentos annos ſuam familiam duraſſe probare poſſit, ſcriptorum atque monumentorum inopia. Intra quos annos, & ultra etiam non ſolum nulla nobilitas Romæ fuit, verum etiam colluvies ex diverſis nationibus, ſine dignitate, autoritate, & nobilitate, & plus ſervi, quàm liberi dicendi, imò ſervo ſervorum ſubjecti. Atque hi, qui ex Romanis ad nos ducti ſunt, captivi fuerunt, nulloque honore dignati, eò, quod propter aliquod facinus pravum fuerunt relegati. Quare Italorum Illuſtriſſimæ etiam hodie & patrum noſtrorum memoria Familiæ, nobilitatem Germanorum ſcientes, omnes ferè nobilitatem ſuam trahere volunt ex Germanis. Aut ſi ad antiquiſſimos Romanos aſcenderis, invenies autores Romanorum latrones & prædones: ſi ulterius ad Æneam & Trojanos, invenies eos, qui incolumes à Trojano incendio ſuperfuerunt, fuiſſe proditores. Si vis igitur, Germane, tuos majores eſſe nobiliſſimos, non eos ad Romanos referas, ſed ad veteres Germanos, apud quos ſolos ſincera eſt nobilitas, & fuit etiam antiquiſſimis temporibus, à quibus ſi te propagatum eſſe declaraveris nobiliſſimum judicabo: De Laud. Veter.*



Digitized by Google

*Ger. c. XVI.* Interim ſi cacoethes ejuſmodi aut ſimilia abſint, non de nihilo eſt ſingulare quidpiam in Antiqvis Familiis notari. *Venerationem certe habet, videre Caſtellum aut ædificium antiquum, quod nulla ruina invaſit, aut etiam annoſam proceram arborem ſolidam & integram; Quanto plus igitur erit intueri antiquam nobilem proſapiam à fluctibus & procellis temporis illæſam? Et certe ſi NOBILITAS nova potentia publica opus eſt, antiqua potentia hujus & temporis ſimul filia erit.* Verulam. Serm. Fid. n. XIV. *Ad hæc ſi NOBILITAS ideo perpetua eſt, ut opera Publico navata memoria in poſteris conſervetur, jam illam operam, quæ ante aliquot Secula poſita fuit, tanto illuſtriorem fuiſſe præſumptio eſt, utpote per quam ea Reipublicæ firmitas adjecta fuit, ut in præſens uſque durare potuerit; Aut ſi tanti eſt, viri de Republica bene meriti effigiem venerari, quidni eundem in poſteris tanquam viva ejus imagine etiam veneremur?* Confer. Notic. Dign. Ill. Diſſ. XI. c. II. §. IX.

VII.

Gradus amplitudinis Familiarum efficiunt, ut aliquando in *Gentis* nomen migrent; Et Familiæ tunc in ſpecie appellantur ſingulæ ejusdem Gentis Lineæ. Veluti è Gente Domitia Familias Calvinorum & Ænobarborum introducit *Sueton. in Neron. Vid. plur. Gödd. de V. S. ad L. 53. n. 4.* Et in perſonis Illuſtribus eodem modo ſe habent Hauß und Linien/ qvorum prius Gentem, poſterius Familiam dixeris. Moris tamen eſt iſtam *Familiam*

*liam*

*liam*, hanc *Lineam* appellari. Sic in Sereniſſima Familia Brandenburgica eſt *Linea Electoralis*, *Culmbacenſis & Onolsbacenſis*: In Familia Saxonica *Linea Erneſtina & Albertina*, & ambæ iterum in varios Ramos diviſæ: In Familia Palatina *Linea Rudolphina & Wilhelmina*: Quarum & *Inſtr. Pac.* meminit *Artic. III.* Vid. de hiſce talibus Speneri accuratiſſimam *Syllogen Genealogicò - Hiſtoricam Principum Germaniæ.* In Rep. Iſraelitica pleniori diſcrimine utebantur; ut *Populi, ſeu Gentes, Tribus* dein, tum *Familiæ*, poſt *Domus*, deniqve *Patres familias*: Qvod ita obſervatum legimus in Sorte inqvirendi Sacrilegii cauſa projecta *Joſ. VII. 16. 17. 18. Surgens itaque Joſue mane applicuit Iſrael per tribus ſuas, & inventa eſt* tribus Judah: *Quæ cum juxta familias ſuas eſſet oblata, inventa eſt* Familia Zare. *Illam quoque* per domos offerens, *reperit Zabdi. Cujus domum* in ſingulos *dividens viros invenit Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Judah.* In eadem *Patriarchæ* dicebantur, qui conditores Gentis ac Tribuum erant, q. d. capita Patrum, ſeu uſitatis Hebræorum vocabulis, *Raſche Aboth*: Ut Abraham, Iſaac, Jacob & hujus XII. filii. Gens aut Populus, ſi unius Lingvæ commercio, aut ſaltim iisdem juribus utatur, dicitur *Natio*.

## IIX.

*Cognata* Familiis ſunt Pacta Succeſſoria perſonarum Illuſtrium communi *Confraternitatum* nomine aliàs nota; Lingva noſtra, Erbverbrüde-

rungen:

rungen: Qvalia nunc inter *Saxones, Haſſos*, *Brandenburgicos*, & olim inter *Saxones* & Comites *Hennebergicos* ratione *Coburgi*, inter Haſſos & Comites Cattimelibocenſes, item Auſtricas & Bohemiæ Reges, deniq; & Hungariæ Reges & Auſtriacos obtinuere; Suntqve nihil aliud, quam *Pacta de Jure Succeſſionis reciprocæ in caſu deficientium legitimorum heredum*: Eorundem Finis I. Conſervare Familiarum ſeneſcentium ſplendorem ac Dignitatem, II. Procurare ſtabili ſucceſione Tranquillitatem Subditorum, quorum intereſt, ne ignotis & alienis ſubjiciantur Dominis; Nec minus Imperii pacem, quæ incertitudine Succeſſoris ambigua redditur: E qvibus & Legalitas ipſorum petenda. Differunt à *Confœderationibus*, Erb-Vereinigungen/ quæ itidem hereditariæ qvidem, ſed tantum ad mutua auxilia, non ad ſucceſſionem extenduntur. Vid. plur. *Carpzov. Diſſert. de Pact. Confratern. Saxonico-Haſſiaca in Addi . ad Limn. Enucl. p. 1.*

# CAPUT X.
## De SOCIETATIBUS CIVILIBUS.

*Quid Societates civiles, Servitus. Dominiũ? Jus Gentium eſt cauſa Servitutis: Servus*

*quod*

*quod acquirit, Domini eſt: Jus vitæ & necis in Servos: Servitus perfecta, cur à Chriſtianis veteribus ſublata? Cur nunc reducatur? Servitus imperfecta: Jura Wildfangiatus: Manumiſſio, Galliæ ſingularia circa ſervos. Quid Familia inter Societates Civiles? Collegia, Convivia, Agapæ veteris Eccleſiæ; Collegiorum Opificum noſtrorum vitia.*

## I.

HActenus de Societatibus Naturalibus: *Societates Civiles* eorum ſunt, quas non natura, ſed propoſiti ſimilitudo conjunxit. Sed Numero Naturales longe ſuperant, ſi non infinitæ ſunt, cum non ſolum rebus gerendis, ſed etiam tempore, loco, &c. varient; In quibus omnibus ſatis erit, ſi alias *Minores*, alias *Majores* introduxerimus. *Minor* eſt *Societas Herilis*, h. inter Dominum & Servum, ſeu in præſtatione qvotidianæ operæ, h. qvâ unusqvisqve qvotidie indiget, occupata. *Servitus* ratione Vocis eſt *Naturalis vel Legalis*: *Naturalis* eorum, qvi ob defectum Judicii ſeipſos regere neqveunt; *Legalis* talium, qvi regere ſe neqveunt ob defunctum Fortunæ. Hinc ſæpè Domini Legales qui ſunt & Servis imperant, reverâ Servi Naturales exiſtunt, atqve ab ipſis Servis reguntur. De Legali hic intelligendum eſt, qvicqvid dicetur, & veluti Societatem hanc præſtatio qvotidianæ operæ diſtinet, ita *Servire* erit *quotidianam operam* præ-

*præſtare*; Dominari id exigere: *Servus perſona quotidianam operam alii præſtans*; *Dominus perſona quotidianam operam alii imperans*. Diſcrimen Subditorum à Servis ab hac ipſa differentia pendet; Subditi enim Mandata quidem perinde ac Servi accipiunt, ſed à publico & in negociis Univerſitatis, nõ autem ad præſtandam qvotidianam operam, qvod Servorum proprium eſt. Sic etiam Imperium Maritale & Paternum uxorem aut liberos licet obedientiæ aſtringat, eos tamen ideo Servos non facit, cum illud primario non directum ſit ad præſtationem qvotidianæ opere, ſed tantum ad conformitatem alicujus in Societate tali ordinis. Aliam rationem diſparitatis horum Imperiorum Vid *præced. Cap. VI. §. XIV.*

II.

*Cauſa Servitutis* à Jure Gentium pendet. *l. 4. ff. de J. & J. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C.* Licet enim natura omnes naſcamur liberi, uſu tamen exigente & humanis neceſſitatibus illam introduci oportuit, h. qvoniam alia conſervationis noſtræ ratio non ſuppetiit, hanc licet deteriorem maluimus, qvam vita prorſus carere. Ab Imperatore *contra naturam* eſſe dicitur ſenſu horum terminorum paulum ampliori; pro eo qvod eſt *præter* naturam, h. ut naturam intrinſecus moventem pro autore quidem non habeat, interim ſi fiat ab eadem propter accedentem neceſſitatem admittatur.

Ejus

Digitized by Google

III.

Ejus *proprium* eſt acquirere Domino ſuo quod acqvirit, præſtat enim Domino operam, ſuam, E. & iſtud, quod ex opera producitur; Nec opera amplius ejus eſt, ſed Domini, ac proinde, nullum Jus in eam habet. De *Jure vitæ ac necis* Dominorum in ſervos perfectos cenſemus, Dominos majorem in eos rigorem exercere poſſe, qvam in Conjuges aut liberos, qvia major & finium & perſonarum eſt inæqvalitas: Sed Jus Vitæ & Necis ipſum nimiam homicidiis licentiam parit, qvod in Veterum Romanorum exemplis liqvido claruit; Et Magiſtratus rerum graviorum, omnium arbiter hic facile munus ſuum explere, poterit. Extra Remp. ſi verſetur Dominus, Jus tale quidem habebit; Sed I. Qvia abſoluti Juris eſt, & perſonam Magiſtratus ſimul ſuſtinet. *II.* In Caſu, ſi Societas ipſius ex morte Servi non periclitetur.

IV.

Servitus eſt duplex *Perfecta vel Imperfecta*. *Servitus perfecta* perpetuas operas debet pro alimentis & aliis, qvæ vitæ neceſſitas exigit: *Cauſæ* ejus *Captivitas*, *nativitas & ſpontanea ſubjectio*. Servi perpetui *captivitate* redduntur, quia non tantum in Bona ejus, qui capitur plena poteſtas Victori datur, ſed ipſe etiam occidi poteſt: Cujus ratio in Principiis Bellicis ſita eſt, qvia omnis juris noſtri proſecutio alias inanis futura eſſet ſine hac licentia: Qvod mors igitur Servitute ſit deterior,

Capti-

Captivus hanc merito ſubit loco beneficii conceſſæ vitæ. *Nativitate* fiunt Servi, qui ex ancillis naſcuntur, cujus ratio pendet. I. Ex alimentorum & eorum qvæ vitæ neceſſaria ſunt præbitione: Quia enim diu alendi ſunt, antequam opera eorum Domino utilis eſſe poſſit, in compenſationem alimentorum merito Servi fiunt: Nam ſequentes operæ alimentis ſui temporis tantum reſpondent. II. Ex ipſo vitæ beneficio, quod à Dominis habent; Neqve enim naſcituri fuiſſent, ſi Domini abſoluto jure ſuo uti voluiſſent. *Spontaneæ Subjectionis* ſpecies eſt Venditio, cum liber homo juſtæ ætatis ſe venundari patitur participandi precii cauſa. Sed tota hæc Servitus perfecta in maxima parte orbis Chriſtiani ſuperioribus ſeculis fere in deſvetudinem abiit; Hoc enim inter præcipua augmenta naſcentis Chriſtianiſmi erat, ut mancipiis libertatem concederent, unde plerique Servi in Chriſtianiſmum propendebant. Exemplum vid. *in Ep. ad Philem.* ubi tum Paulus cauſam Oneſimi apud Philemonem agit: *Forſitan enim*, inquit, *ideo diſceſſit ad horam à Te, ut in æternum illum reciperes; Jam non ut Servum, ſed pro Servo Fratrem chariſſimum &c.* Neque quotidianis Martyriis Chriſtianorum facilè abſterreri poterant, quia jam ante arbitrio Vitæ ac Necis Dominorum ſuorum ſubjacebant: Probabile igitur illos maluiſſe qvalemcunqve libertatem arripere, eaque tunc ad mortem ferri, qvam in Servitute morari & nihilominus perpetuo mortis metu torqueri.

qveri. *Grotius* ratione captivorum ſpecialem hanc cauſam addit *L. III. VII. n. 9.* Quia Chriſtiani ab omnis charitatis commendatore rectius inſtituti ſint aut eſſe debeant, qvam ut à miſeris hominibus interficiendis non niſi minoris Servitii conditione abduci poſſent. Hodie tamen à Chriſtianis, qui extra Europam potentiam ſuam extendunt, Italis, Hiſpanis, Portugallis, Belgis, Anglis revocari cœpit, ſed in eos potiſſimum, qui extra Europam ſunt; Seu quod iis nihil iniqve accidere putent, cum propriis ingeniis ſuis in ſervitutem propendeant, qvod demonſtrabitur *Cap. XXIV. §. III.* ſeu qvod ipſam Servitutem perfectam vitæ Sociali non incommodam eſſe ſentiant: Neqve enim ſi vigeret vel res familiaris noſtra tam facile turbari poſſet, vel publico etiam tot ſuppliciis opus foret ad coërcendos eos, qui Libertatem & extrema egeſtate emere & ſceleribus quibuscunque ſuſtentare amant. *Bodinus* certe *L. I. cap. V. Carolum* V. Imper. imprudentiæ arguit, qui A. MDXL. omnes novi orbis ſervos liberos eſſe juſſerat, quorum poſtea, quia pauciſſimi eorum artes didicerant, quibus vitam exhiberent, pleroſq; fame, otio, inertia fractos perire vel in priſtinam ſervitutem relabi oportuit.

## V.

*Imperfecta Servitus* cõditione nititur certæ operæ præſtandæ: Qvalis erat Hebræorum Servitus tempore ſeptem annorum limitata; Apud Romanos *Libertorum, Statu Liberorum, Nexorum,*



Digitized by Google

ſeu *Addictorum* conditio, de qvibus vid. Comm. JCtorum ad *Inſt. de Libertis & L. 11. C. de Oblig. & Act.* Item *Adſcriptitiorum ſeu Glebæ Addictorum*, qui unà cũ agro ſerviebant Domino & cũ fundis mancipabantur & alienabentur. V. *Comm. ad C. de Agric. Cenſit. & Col.* Quibus ſimiles erãt apud Cretenſes *Periœci*, apud Theſſalos *Peneſtæ*, inter Saxones tempore Imperii Francici *Laſſi* q. die gelaſſene & quos alibi Cõſtitutiones Caroli M. *Aldiones vel Aldones*, forte ab All dienen/ & *Liddos* vocant. Noſtro tempore his comparari poſſent *Homines Proprii*, qvos pleræq; Regiones & Provinciæ habent, ſed pro earundem diverſitate, conditione varia. Tales qui in Polonia in ſpecie *Kmethones* dicuntur, de quibus Vid. *Stat. Polon, Herbut. f. 252.* Item *Agreſtes* Ruſſiæ, Lithuaniæ, Bohemiæ, tractuumqve Venedicorum; Sed quorum dura conditio perfectâ Romanorum ſervitute haut procul abeſt: Dani & Holſati ſuos *Bordons* appellant, Itali *Homines de Manſata*, Hiſpani *Solariegas*; Et in ſuperiori Germania ſunt *Wildfangii*, Homines Proprii Privilegio Cæſareo in ipſis vicinorum Principum ac Dominorum Territoriis Sereniſſimo Electori Palatino conceſſi: Quorum cauſa & paucis abhinc annis ad arma ventum eſt, vicinis iſtis cum Palatino hoc quicquid Juris eſt diſputantibus; ſed quæ interventu Sereniſſimorum Regum *Galliæ & Svediæ*, iterum compoſita fuêre, conditumq; eum in finem A. MDCLXVII. d. VII. Febr. *Laudum* ita dictum Heilbrunnenſe, cujus tenore

Jura

Digitized by Google

Jura Territorialia quidem Confœderatis relicta, Perſonalia vero Palatino adjudicata. *Quoad Jura in ejusmodi proprios homines, ut Wildfangios, exercenda, diſcrimen fieri debere inter perſonalia in perſonam ſeu corpus & territorialia ex Jure Territorii competentia; Illa cum proprietate in Corpora per Privilegium competere, atque ex veteri Jure atque Conſvetudine circa proprios homines de iis ſtatuendum: Inde facultatem iſtos adventicios atq; ex his deſcendentes in numerum propriorum hominum recipiendi & conſtituendi cenſum corporis in pecunia vel gallinis, operas præſtari ſolitas, ſed ita ut præſtantibus tolerabiles, nec debitis Subditorum impedimento ſint, moderatas, mortuarium, pecuniam pro introitu,* den Fahegülden / *pretia manumiſſionum, Jus ſuccedendi in Bona vacantia, Detractionem,* die Nachſteuer / *ubi Dominus Territorii hac ſpeciali Privilegio uſu nondum ceſſit, Juramentum Fidelitatis & Obedientiæ ſine præjudicio homagii Domino territoriali debiti, conſtitutionem Præfectorum vulgo* außfauthe / *qui iſta obſervent & exigant, jus mandandi & vetandi, quoad iſtorum debita, officia & præſtationes juxta conſvetudinem, qua hactenus talia in ſingulis locis exercita fuerunt, relinquenda eſſe. Cætera Territorialia jura &c. ex tenore Privilegii Wildfangiatus ſeu proprietatis Perſonalis in Territoriis Confœderatorum non competere, ſed ab iis impoſterum ex hoc Titulo abſtinendum eſſe &c.* Sunt verba ipſius *Laudi*, quæ citavimus ex *Append. ad Contin. XIII. Diar. Europ. p. 9.*



Digitized by Google

## VI.

*Manumiſſio* Servituti perfectæ oppoſita eſt, tribuiturque beneficii loco propter fidem & bene merita, vel aliam quoque cauſam quamcunqve. Vid. *Comment. JCtorum ad Inſt. de Libert. C. Pro quibus Cauſis Servi pro præmio libert. accip.* & alibi paſſim. In *Gallia* ſingulare hoc privilegium Mancipiorum, ut eo ipſo, qvo Terram Gallicam attingunt, libera fiant, cujus exempla & qvæ præterea huc pertinent, Vid. ap. *Bodin. L. I. cap. V. Lanſ. Orat. pro Gall. p. 201. 202. Orat. contr. Gall. p. 437. 438.*

## VII.

*Societates Civiles Majores* ſi uſus quotidiani gratia conjunguntur, iterum accipiunt nomen *Familia*, item *Domus* &ſſ.; Et perſonæ in ea nomina Patrum familias, Matrum familias &c. Uſum quotidianam dixeris verſari in rebus, quibus ad vitæ neceſſitates nos atq; noſtri quotidie utimur. Servos etiam comprehendi, vel exteros quoque, ſi uſus quotidiani gratia nobiſcum ſint, communis loquendi ratio infert. *An Servi tamen de Eſſentia* ſint, videtur ambigi poſſe: Quid enim ſi Familiares æque operæ ad uſus quotidianum neceſſariæ ſe accingant, maxime ſi res domeſtica tenuis ſit? Sed ſimiles ſcrupuli de aliis etiam perſonis hujus Societatis moveri poſſent. Sic enim Pater familias etiamſi ſine uxore aut liberis ſit, nihilominus Familiam alere poſſet; Et Mater familias licet marito & prole vidua. Satis nempe eſt,

eſt, ſi plures maneant uſus quotidiani gratia conjuncti; Nec propinquitatis naturalis videtur habenda eſſe ratio ex eodem capite, quia Familiæ ſatis eſt ob uſus neceſſitatesque quotidianas vitæ conjungi. Vid. plur. *Beſold. Diſſ. de Jur. Famil. c. I. & Comm. ad L. 195. & 196. ff. de V. S.*

IIX.

Hominum propoſiti ſimilitudine extra uſum quotidianum conjunctorum Societates, veluti infinitæ ſunt, ita nominibus etiam plus, quam recenſendo hic ſumus, variant: Communiora ſunt nomina *Corporum, Collegiorum. Hobbeſius Syſtemata* vocat & integro capite proſequitur de Civ. XXII. Ea non niſi autoritate Magiſtratus inſtitui Reip. intereſt, ne per coitiones privatorum arbitrarias, Seditiones excitentur & conſilia contra Remp. agitentur. Jura eorundem conſiſtunt in communicatione rerum, operarum, Juris & Conſiliorum: Ideo communi arca, Actore, Syndico &ſſ. utuntur, Pactiones item & LL. ſibi proficuas condere poſſunt: Quæ omnia dum inter limites & fines artis ſuæ manent merito probamus. I. Quia Magiſtratus omnia ſingularum artium momenta non poteſt expendere. II. Etiamſi intelligat, ob multitudinem negociorum ea non poteſt expedire. Cui adjicimus, ne mulctas quidem iis abjudicari poſſe, ſervatis artis ſuæ terminis, ut habeant, unde Societatem ſuam conſervare poſſint. Cui alia conſervandi ratio accedit, dum ſtata quotannis convivia celebrant fovendæ

Charitatis ac mutuæ benevolentiæ cauſa: Quæ cauſa & LL. Divinis fuit convivia *Sacra* quotannis ſumma cum lætitia colenda jubendi. *Deut. XVI. 11.14.15.* Ut Religione erga Deûm & amicitia inter ſe Cives conciliarentur; Veluti & primitiva Eccleſia ejuſmodi convivia habuit, quæ quod mutuis amplexibus & oſculis terminarentur, *Agapas* appellarunt. Vid. *Bodin. L. III. c. VII.* Et complures opificum multæ ad ipſa potulenta & eſculenta reſtricta ſunt, ut Conviviis tanto paratior materies eſſet: Quæ utinam nullo vel minori abuſu circumdarentur. In Collegiis opificum noſtrorum certe is tantus eſt, ut ipſum uſum ſuffocet: Ipſiq; opifices noſtri Collegia ſua non leves ob cauſas ſuſpecta reddunt: I. Quia in Jura Magiſtratus involant, dum ſæpe res decidunt, quas Magiſtratus autoritate expediri oporteret. II. Oneroſa ſunt Reip. ob ſervilem Conditionem, qua Juniores & tirones pene obruunt. III. Conventus & Convivia ejuſmodi agitant, quibus cum mulctæ veteres deſtinatæ eſſent, novarum ſemper litium mulctarumque materies ſuccreſcit.

# CAPUT XI.

## De REPUBLICA.

*Reip. Naturam conſiſtere in Sibi-Sufficientia: Remp. poſſe inter duos aut tres etiam conſervari:*

*ſervari: Primævus ſtatus Rerumpp. Priſci Patriarchæ* αὐτόνομοι; *Cur Reges dicti? An Reſpp. extituræ fuiſſent in ſtatu Innocentiæ? Societates minores non requiri ad Remp. Reip. Eccleſiaſticæ Catholicorum conſpectus: Quid Pagi, vici, Urbes: An muri urbibus neceſſarii? An è re ſit eas in immenſum augeri? Fortalitiorum neceſſitas, ſitus, forma, Citadella: Provinciæ, Shiræ, Hordæ, Circuli.*

# I.

VIdimus *Societates Privatas*; Sequitur *Publica*, Reipublicæ nomine aliàs nota, quam definimus *Societatem ſibi Sufficientem.* De genere non opus eſt, ut verba fiant. *Sibi ſufficientem* dicimus; quoniam univerſale & nuſpiam deficiens Solamen contra ſolitudinem, adjumentum in operis, & defenſionem contra injuriam qvamcunqve præſtat, qvod à Societatibus Privatis expectari nequit. Sicque ipſe priſcus *Ariſtoteles I. Pol. II. Perfecta autem Societas ex pluribus vicis conflata civitas eſt,* ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας. Quod *Interpretes reddunt: Quæ ad ſummum jam omnis copiæ bonis omnibus cumulatæ nihilque præterea requirentis, culmen pervaſit. Et mox demonſtraturus*, Civitatem finem Societatum minorum eſſe, ἡ δ᾽ αὐτάρκεια τέλος καὶ βέλτιστον: *Copia ipſa ſuis opibus pollens & contenta & nihil extra ſe deſiderans finis eſt & optimum:* Iterum civitatem priorem eſſe Singulis,



Digitized by Google

quia nemo ſingulorum eſt *αὐτάρκης*. *Αὐτάρκης*, *Αὐτάρκεια* eſt ſibi ſufficiens, ſibi ſufficientia. Ipſe ergo Remp. ſibi *S*ufficientem eſſe voluit. Quas alii ex eodem deſcriptiones formant ſuo loco relinquimus: Quod tamen Bodinum erroris poſtulent, dum Rempublicam *Multitudinem* civium dixit, quam *ordinem* dicere debuiſſet, præter rem factum videtur, cum ſine dubio ex ſubſtratâ materie mens Viri æſtimari debeat, quæ cum ſine ordine eſſe nequeat, etiam ordinem ab ipſo veluti tacite præſuppoſitum fuiſſe cenſendum erit, eoque non intellexiſſe confuſam multitudinem, ſed moderatam, quæ nihil aliud, quam ipſe ordo, h. non confuſus grex palantium hominum, ſed decenter cohabitantium cœtus. *Neq; Civitatem à Rep. differre autumamus*, ut Civitas ſit ſubjectũ Reip. & ſine ordine aut *I*mperio concipi debeat; Reſp. vero *I*mperium & ordinem adjiciat. Civitas enim vel ipſo nomine *S*ocietatem importat, eoque non poteſt carere vel Ordine vel *I*mperio; Aut ſi civitatem pro confuſâ multitudine accipiamus, ordine quidem carebit, ſed tunc & civitatis nomen amittit. Ac licet primo conceptu ſuo non ſtatim ordinem inferat, ſatis tamen eſt, ſi idem ex ea fluat. *S*ic *S*ocietatem conjugalem, Paternam, Familias, Corpora, ex natura ipſarum primo æſtimamus, inde quo ordine ſe reſpiciant, qvale *I*mperium habeant, cognoſcimus, non tamen quod aliæ eapropter fiant, quam ante erant, ſed quia imbecillitas noſtra talis eſt, ut non poſſimus

mus uno complexu ea quæ conjuncta ſunt apprehendere, eoque diſtinctis conceptibus opus habemus ad naturam eorum perfecte cognoſcendam. *S*imilis ratio Reipublicæ; Ea primo *S*ufficientiam importat, ex qua deinde manat Independentia, *I*mperium, Ordo partium ad ſe invicem &c. *I*deo vero ipſam Remp. veluti geminam fieri, & modò Remp. modo Civitatem vocari non opus erit. Qvantilla res enim dicere *I*mperium fluere ex ſufficientia, vel aliunde etiam? Cur integro capite id diducere laboramus, nec tamen revera niſi ea quæ Civitatis erant repetimus? Aut cur non potius *I*mperium tunc ſtatim tractamus, qvam ut iterum novã tractationem Majeſtatis moliamur? *Civitas* igitur proinde ac Reſp. eſt *Societas ſibi Sufficiens*: *I*mperium, Ordo Remp. ſequitur, ſed idem & Civitatem, & neutra eo carere poteſt, cum ipſa *S*ocietas in genere non poſſit eſſe ſine Ordine aut *I*mperio.

II.

*Cauſis* Reip. non immorabimur. Videantur quæ de Cauſis ipſius Societatis tradidimus *Cap. IV.* §. *III.* Quorum ſumma eſt: *Deſiderium propriorum commodorum & metum homines in ſocietatem animaſſe. Animarunt igitur & in Rempublicam:* Ut qvoniam nec à ſeipſis nec ab uno atqve altero ſolùm Sibi-Sufficientiam expectare potuerint, in corpus tale coaluerint, à quo ſinguli iſtud peterent, qvod ſibi ſeorſim præſtando non erant, h. ut poſſent ſecure vivere, nec haberẽt juſtam cauſam



Digitized by Google

ab aliis ſibi metuendi, qvamdiu ipſi alios injuria nulla affecerint. *Hobbes, de Civ. c. V. §. XII. & c. VI. §. III.*

## III.

Hinc nec eadem amplitudine ſemper conſtiterunt Reſpublicæ, ſed magnæ, parvæ, minimæ etiam fuerunt, prout homines incommodis omnibus magis minusve ſufficere viſi ſunt; Nec abſonum fuerit *Reſpublicas ipſi Statui Sociali coævas autumare.* Fuit utiqve cum ſola Adami & Evæ conſortio Reſp. concluderetur, qvia nec commoda ſua aliunde promovere, nec alios metuere habebant. Qvod à poſteriori tanto clarius eluceſcit, qvoniam à nemine dependerunt & de rebus omnibus integram diſponendi facultatem habuerunt, eoqve Imperium ſummum & univerſale ipſi habuerunt, qvod veluti ex Rep. manat, ita & remp. coluiſſe argumento eſt. Similis ratio hominum deſertas regiones, aut Inſulas habitantium, qvorum Societas licet duobus, tribus, aut numero haut multò majori conſtet, qvia tamen αὐτόνομοι ſunt, nec ſuperiorem agnoſcunt, aut alium à quo dependeant, ipſam Remp. conſtituunt: Nec alio in loco habendum, quod primis temporibus tot haberentur Reguli, h. non Principes aliqui ſplendori noſtrorum temporum reſpondentes, ſed ampliorum Familiarum Patres αὐτόνομοι. Quod vidit poſt alios *Juſtinus*, ideo *Abrahamum* & *Iſraelem* Regem Damaſci vocat *Hiſtor. L. XXXVI.* Et *Nicol. Damaſcenus* Abrahamum

mum *βασιλεῦσαι*, *Regnaſſe* dicit: *I*demque hodienum in incultis Africæ & Americæ tractibus ita obſervari *I*tineraria paſſim docent: Qvorum omnium cauſa, qvia ſibi poterant ſufficere nullius indigi aut timentes. Et *Bodinus* queritur quidem Patribus familias ademptum hoc imperium, idq; quia judices ejus partes ad ſe traxerint. *S*ed ratio noſtra eſt, quia Autonomia iſta particularis diutius ſubſiſtere non poterat, ob defectum ſufficientis ſecuritatis & deſiderium ampliorum commoditatum, quas homines ſenſim animadvertebant, ſed ſinguli ſibi ſolis præſtando non erant; Eoque ampliori *S*ocietate ac *I*mperio contineri requirebantur, ſuo autem hactenus habito *I*mperio cedere.

*IV.*

Primis itaque temporibus & cum homines pauciores eſſent, longe minor numerus conſtituere poterat Remp. quam nunc quidem valet, quia pauciores erant metuendi; Nunc vero quia major numerus minorem facile opprimeret, amplius extendi Sibi-Sufficientiam ſeu Remp. oportuit: Semper enim talis eſſe debet Reſp. ut cuivis aggreſſori ſe parem præſtari poſſit, idque vel *per ſe* vel *per alium*: Quo poſteriori modo Reſp. minores etiam perdurant, dum *Patronos & Protectores* ſibi ſeligunt, quorum ope cæterorum omnium ſecuræ ſint, pervincente hos mutua æmulatione, ne acceſſu earum ad alteram partem ipſi infirmiores reddantur. Sic Reſp. *Genevenſis* Pro-

Protectores habet Cantones Helveticos cõtra Gallũ & Sabaudũ, *Genuenſes Regem Hiſpaniæ* &c. Eæq; communiter perſiſtere ſolent, quia etiamſi Protectores aliquando deficiant, vicinis tamen defenſoribus nunquam carent, qvorum licet unus eas impeteret, reliqui tamen metu nimii incrementi ipſum facile in ordinem redigerent. *An ex protectione Superioritas aut pars Superioritatis ſequatur in rebus Imperium noſtrum concernentibus inquirit Doctiſſ. Böcler. Not. S. R. Imp. L. XVI. c. III. §. III.* In *Negativam* inclinari poſſe ea quæ modo diximus docebunt: Eſt enim munus Protectorium iſtud nihil aliud quam indubitati auxilii ferendi genus: Nam Auxilio ob metum potentioris egemus; Et vero Reſpp. iſtæ ob metum ſibi Protectores conſtituunt: E. Protectores hi non niſi auxiliares ſunt Rerumpp. Et conſequenter Imperio in Remp. carent: Qui enim auxilio ferendo in Rep. deſtinatur, partem Reip. gerit, non totum apparatum rerum in Rep. gerendarum, quod Imperantium eſt.

V.

*An Reſpublicæ in Statu Innocentiæ extituræ fuiſſent*, non abs re quæritur. Reſp. A. quia omnes Societates minores futuræ fuiſſent, eoque & in maximam facile conſentire potuiſſent. *Inſtantia: In Statu iſto nos futuros fuiſſe perfectos, in omni Societate vero atq; adeo & in Rep. eſſe imperfectionem:* Breviter Reſp. Satis futurum fuiſſe ſi perfectiones morales habuiſſemus; Naturalibus enim Imper-

fectio-

ſectionibus haut deſtituendos fuiſſe tum ipſa Natura noſtra, tum Dei vox de rebus hominis cum adhuc in ſtatu Innocentiæ eſſet, veluti conſultantis, infert: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Eſſe enim aliquid, quod non bonum ſit, Imperſectionem ſapit.

VI.

*Materies* Civitatum & Rerumpublicarum communiter ſtatuuntur eſſe *Societates minores* tum ſimplices, tum compoſitæ. Non male prorſus, nec tamen neceſſario, ac tanto minus ut eſſentiam Civitatis ingrediantur: Cui ſatis eſt, omnes qui in civitate præſidium & commoda qværunt, in iisq; qværendis cõſentiunt, poni, citra reſpectum ad Societatem aliqvam. Ratio fuerit, qvia licet fatendum ſit, minores ejuſmodi Societates in plerasqve Civitatum coiiſſe, fuit tamen & adhuc eſſe poterit, ubi nullæ vel Simplicium vel compoſitarum Societatem in Civitare reperiantur. Qvemadmodum initia *Reip. Romanæ* nec Servos, nec Fœminas, eoqve nec paternam Societatem habebant, licet illa nihilominus perfecta Reſp. eſſent: *Romulus* qvippe jam dudum Jura & Leges dederat, Sacra item & Majeſtatem exercuerat. Similis ratio eſt in *Rep. Eccleſiaſtica* Catholicorum, qvam licet Proteſtantes nos non agnoſcamus, dum tamen inter Catholicos admittitur, non plane pro nulla haberi poteſt. Hujus *caput* eſt Pontifex M. *Proceres* Cardinales, Archi-Epiſcopi; *Subditi* inferiores Clerici, magna pars Laicorum

etiam.

Digitized by Google

etiam. Præterea Jura Majeſtatis Pontifex M. qvam pleniſſime exercet; Ita enim habet *αὐτονομίαν*, unde errare non poſſe cenſetur; Deinde Jus interpretandi Leges, ideo Scripturam pro obſcura haberi vult, donec Senſum ille attulerit. Tum Jus Comitia indicendi in Conciliis Generalibus; Jus Judiciorum in Pœnis Eccleſiaſticis; Jus aggratiandi in confeſſionibus; Jus tributa imponendi in collationibus beneficiorum, Indulgentiis; Jus Dignitates conferendi in Sanctis creandis *&c.* Et tamen nullus hic Societati Paternæ aut Conjugali locus. Si dicas Remp. ſeu Civitatem ejuſmodi durabilem non eſſe. Reſp. Nihil tamen naturæ Civitatis eo derogari; Duratio enim non ut ſit, ſed ut bene ſit, Reip. confert.

VII.

*Formam* Reip. in *LL. Fundamentalibus* qværendam eſſe putamus: Inſolito forſan hic Termino, ſed rite explicando. Forma Reip. æqve ac omnium Societatum *Unio* eſt; Et vero LL. Fundamentales conſiſtunt in arctiſſima iſta Connexione, qva partes Reip. inter ſe invicem, & ipſum corpus cum partibus cohæret; Ab his enim Formam Reip. peti oportebit. Neqve enim proprie dictæ LL. eſſe cenſendæ ſunt, ſed aliud Legibus ſublimius, è qvo iſtæ fluant: Ratio in aperto eſt, qvia Leges qvæ ſunt, eæ jubendæ ſunt. LL. Fundamentales vero etiamſi nunquam jubeantur, nihilominus obſervari oportet, aut interitum Reip. expectare.

XII. Par-

IIX.

Partes integrantes Reip. ſunt *Vici*, *Pagi* & quas deinde in ſpecie modo Civitates, modo *urbes & oppida* appellant. *Vicum* vulgo vocant plurium familiarum conſociationem; *Pagum* ex pluribus Vicis conflatam Societatem: Quæ licet ſuo ſenſum admitti poſſint, à communi loquendi uſu tamen alieniſſima ſunt: Cujus intuitu autumamus *Pagum è Societate Rurali*, *Civitatem* è commoditatibus, quibus toti humanæ Vitæ conſulatur, æſtimari poſſe; *Vicum* vero mediæ cujuſdam naturæ eſſe, & Societate Rurali quidem majorem, minoribus commodis tamen, quam Civitates habent, inſtructum. In Qvaternionibus Imperii apud *Goldaſtum* etiam recenſentur qvatuor *Pagi Imperii*, *Bamberga*, *Schletſtadia*, *Hagenoa*, *Ulma*; Et qvatuor *Villa ſeu Vici*, *Amberga*, *Orlamunda*, *Lichtenavia*, *Ingelheimium*. Sed ſenſu tali qui nunc fere intercidit, veluti & totum illud, quod de Qvaternionibus iſtis traditur ſuſpicione non caret. Simili & huc non pertinenti ſenſu & *Haga Comitis* Pagus vocari ſolet, qua de re vid. prolixa Elogia in Script. Geographicis; Et Strabo Cteſiphontem veterē pagum in Aſſyria urbis potentia & magnitudine veniſſe, ibique Parthorum Reges hiemaſſe prædicat: Cujus cum Haga Com. comparationem vid. ap. *Ortbel. Theatr. ad Tab. XLIV.* Iu Veteri Rom. Imperio ad eſſentiam Civitatis *Epiſcopus* requirebatur, *Vid. l.36.C.de Epiſc. & Cler.* Sed & hæc conditio nunc exſpiravit, niſi

niſi quod in Anglia adhuc moris ſit, tot Civitates numerari, quot ſunt Epiſcopi. Civitatum in Provincia extantiſſima vocatur *Metropolis*, q. Mater Urbium: Unde & Archiepiſcopi dicti Metropolitani: Hi ſiquidem talibus alligabantur Urbibus, unde mandata ad omnes Provinciæ partes æqve perferri poſſent.

IX.

*Civitatis* ab *Urbe* diſcrimen notum eſt, quod Civitas ipſos *Cives*, Urbs *habitationes* Civium deſignet. In nominibus Propriis tamen hic ambiguitas; Et Romani cum Carthaginenſibus promiſiſſent liberam fore Carthaginem, Civitatem intelligebant, Carthaginenſibus id de Urbe accipientibus: Qvod & horum adeo movit iras, ut extrema maluerint. *Flor.* 2. *XV.* meritoque rei iniquitatem agnoſcit *Zevecotius*, quod captio, ubi bonâ fide agitur, ab omnibus pactis abeſſe debeat, *Not. in Flor. p.* 369. Civitates ſine Urbibus eſſe poſſe argumento ſunt veteres Germani apud quos receptum erat, *nullas urbes habitari, ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Tac. de mor. Germ.* Et Tencteri Ubiis urbes tq. ignaviæ partẽ exprobrabant: *Ut amicitia ſocietasq; noſtra in æternũ rata ſint, poſtulamus à vobis, muros Coloniæ, munimenta ſervitii detrahatis; Etiam fera animalia ſi clauſa teneas virtutis obliviſcuntur, liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus noſtris, quomodo lucem noctemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Id. Hiſtor. IV. LXIV.*

*LXIV.* Conf. *Conring. de Urb. Germ.* §. *XX. & ſeqq.* *Muros* urbibus non neceſſarios exempla Lutetiæ Pariſiorum, Londini & in univerſum omnium fere Angliæ Civitatum docent, qvæ mœnibus, vallis &c. plane deſtituuntur: Cujus ratio, in iſtis perpetuum eas amplificandi ſtudium; In his ne rebellionibus internis receptacula præbeant, cum aliàs ab invaſione externa ſatis tutæ ſint. *Q. An è re ſit Urbes in immenſum amplificari?* Reſp. Id fieri patere in Urbe Londinenſi ac Pariſienſi; Sed improbandi rationem reddunt, quia urbes ejusmodi ſemet ipſas vix ferendo ſunt, quod de Roma olim dictum fuit, vaſtusque Incolarum numerus ſubditos facile in rebellionē armare poteſt: Quod in Gallia Interregna *poſt Henricum III. & Ludovicum XIII.* docuerunt; Et *Carolus I.* Rex Angliæ ideo tam infelici mactabatur ſucceſſu, quia Londinum experiebatur ſibi contrarium. Sic de Lutetia *Gramond. Hiſt. L. II. p. 127. Creſcit & augetur in dies plus æquo urbs impatiens ſui, adeo ut periculum ſit ne mole ruat ſua, aut in ruinam agat aliquando, quam ſpoliat, Galliam.* Et de Londino Jacobus R. Angl. *Hic Lien eſt noſtri corporis: Eo creſcente cætera membra contabeſcere neceſſe eſt; Omnibus enim Londinum habitandi gratia confluentibus, quid aliud ruri relinquitur, quam ſolitudo? Nec levamentum urbi vel opes ferunt hæc nova ædificia, ſed urbi ſimul & Regno oneri ſunt. Caram oportet annonā eſſe ubi tot homines cibo & igne alendi ſunt, &c. Orat. in Camera Stellata habita d. XX. Junii Anno*

*MDCXVI, in Oper. ejus f. 559. 560.* Similiter *Maſſanielli* rebellionem A. MDCXLVII. maxime juvit numeroſa Plebs *Neapolitana*. Unde & Angliæ pariter ac Galliæ Reges talem urbium ſuarum amplificationem ſæpe prohibuerunt; Extatqve inter alia Lex *Ludovici XIII.* Regis Galliæ, ne nova ædificia extruerentur in Suburbiis Pariſienſibus. I. Ut arva & culta loca ſervarentur. II. Ne multiplicatis ædificiis aër fieret infectior, atque impeditior ſordium exportatio. III. Ut facilior eſſet mutua ſubditorum communicatio. *Mercur. Franc. ad A. MDCXXXIIX. p. 477.* Confer. *Sprenger. Ax. St. XIIX.*

X.

*Fortalitiorum* neceſſitatem facile agnoſcit, qvi impetum hoſtilem & latronum invaſiones vix aliter declinari poſſe cogitaverit *Vid. L. 4. C. de Magiſtr. Offic.* qua cura Clauſurarum & Caſtrorum Magiſtro Officiorum injungitur. *Anglorum* tamen Civitates ne mœnibus quidem claudi jam ante indicavimus; Nec *Poloni* adeo frequentia Caſtella habent, ſeu confidentia propriæ fortitudinis, ſeu diffidentia Regis ſui. In *limitibus* cum primis requiri ratio dictat, ut hoſtis ab ingreſſu Regionis arceatur, ipſi vero in hoſtile ſolum felicius involare poſſimus: Qvo reſpectu Cardinalis *Richelius* dicere ſolitus fuit, ſe Regi ſuo tres claves procuraſſe, *Pinarolum* verſus Italiam, *Perpinianum* verſus Hiſpaniam & *Briſacum* ad Germaniam. Totidemque Claves Regnorum ſuorum olim

*Carolus*

*Carolus V. Philippo* filio ſuo commendavit, *Golettam* in Africa pro Mari Mediterraneo, *Cadix* pro ingreſſu ejuſdem & dominio Maris Occidentalis, & *Vliſſingam* in Seelandia pro Oceano Germanico aliisque Maris Septentrionalis partibus. In *Forma* extruendorum Fortalitiorum recentem, qva ceſpite ac ſubſtratis ſarmentis muniuntur, commendat I. Qvia tormentis melius reſiſtit. II. Facilius reparari poteſt. III. Facilius etiam mutari poteſt, cum murus non niſi totus deſtructus aliam formam aſſumere poſſit. Huc pertinent *Citadella* q. d. Parvas Civitates, Principi in amplioribus urbibus neceſſariæ, ut à metu plebis liberior ſit. Qvemadmodum *Gandavi* poſt poſitam illic arcem omnis ſeditio quievit; *Ac Neapolis, Mediolanum, Antwerpia ab Hiſpano* ſimiliter compeſcuntur. Vid. *Spreng. Ax. St. VII. & XVII.* In Imperio *Turcico* inter ſingulares Rationes Status eſt Provincias remotiores deſolatas reddere, eoqve & Urbibus & Fortalitiis totas denudare. Cauſa videtur gemina eſſe. I. Ut à rebellionibus ſecuriores ſint, qvia enim non niſi vi & armis, quod habent obtinuere, ſe nulla inſigni ſubditorum benevolentia affici facile colligere poſſunt: Itaqve ne vi & armis obedientiam hi iterum exuant, occaſionem ipſis præcidunt, necubi ſedem figere poſſint. II. Ne Hoſti invaſuro adminicula præbeant ſuſtentandi exercitũ, qvi cum ibi habere non poſſit, unde commode vivat, invaſione Regionum ejusmodi abſtinet.

Apparentque evidentiſſima hujus rei ſpecimina per totam *Hungariam Ulteriorem*, *Wallachiam*, *Moldaviam*, ac omnes fere Tractus inter Hungariam & Conſtantinopolin ſitos. Vid. Itineraria paſſim ipſasqve rationes à nobis allegatas pluribus proſequitur Autor Status Turcici *L. I. c. XV.* Daß die Verheerung derer Provincien / welche den Türcken in Aſien und andern von dem Käyſerlichen Sitz entferneten Orten zugehören / eine Urſache ihrer Erhaltung ſey.

XI.

Ampliorum Reip. Partium nomine veniunt *Provinciæ*, h. Partes majores Reip. plures urbes comprehendere aptæ. In *Anglia Sbira* vocantur h. Comitatus ſeu Dominia, de qvo vid. *Not. Dign. Ill. P. I. Diſſ. IX.* In Hungaria Geſpanſchafften / ab *Iſpan*, Comes. Similes fuerunt apud Veteres Iſraelitas *Tribus duodecim*, h. totidem provinciæ, quibus Reſp. Iſraelitica conſtabat: Apud Tartaros ſunt *Horda* eodem ſignificatu. *Circuli* in Imperio noſtro ejuſdem notæ ſunt, qvos vocamus Societates Fœderatas vicinarum Provinciarum in Imperio; Videbaturq; partitionem talem magnitudo Imperii reqvirere, ut ad omnes æqve redundarent debita Imperii commoda, faciliusqve Juſtitiæ ac Paci publicæ ſatisfieret. Grotius *Pagos* vocat, haud dubie in imitationem XIII. Pagorum Helvetiæ, qvam nomenclaturam tamen minus aptam eſſe inde colligimus, qvia Pagi Helvetiorum ſunt totidem Reſpp. Circuli noſtri autem

tem

Digitized by Google

tem non Reſpp. ſunt, ſed in Rep. fœderatæ ſocietates. Similes hiſce in Gallia IV. Circuli Reformatæ Religionis Sociorum, ſed ad res Eccleſiaſticas nunc unice reſtricti. De qvibus vid. *Declarationem Regiam*, de A. MDCLXIX. Art.

# CAPUT XII.

## *De*

# MAJESTATE.

*Propria Reipublicæ: Principia Actionum Publicarum: Majeſtatis Deſcriptio: Unde Majeſtas ortum ſumat? Lex Regia: An populus facultatem conferendi Majeſtatem habeat? Utrum populus privative an cumulative Majeſtatem conferat? De ſubjecto Majeſtatis? An Reſpp: liberæ habeant Majeſtatem? An Rex ſit major ſingulis, & minor univerſis? Quomodo Majeſtas conſiſtat in indiviſibili? Majeſtas Infantum, Fœminarum, Hæreticorum, Infidelium, Dictatorum apud Romanos: Diſtinctiones Majeſtatis.*

I.

DIximus naturam Reip. verſari in *Sibi-Sufficientia*; Nec tamen omnia ejus diximus, niſi eandem in *Attributis* ſuis nunc porro conſideremus: Modus enim intelligendi noſter hic eſt, ut Naturam, ſeu adæqvatum con-

ceptum rei, reſolvere cogamur in inadæqvatos complures, ſi perfecta cognitione ejus imbui velimus. Atqve adeo in *Sibi-Sufficientia* qvoqve, h. *Natura*, ſeu Phraſi Scholaſtica *Formali Ratione* Reipublicæ, qvippe qva adæqvate concipitur & diſtinguitur, niſi Attributa qværamus, tq. inadæqvatos conceptus, qvibus ad pleniorem Reip. Cognitionem ducamur, communi rerum cognoſcendarum ordini vel imperfectioni intellectus noſtri conſuli aut ſatisfieri vix poterit.

II.

Efficit igitur *Sibi-Sufficientia Reipublicæ*, h. perfectio iſta, qva omnia habet, nullaque re extra ſe indiget, cum cætera cuncta eâ comprehenſa ſibi ipſis minime ſufficiant, eandem I. *Independentem*, ut nihil extra ipſam ſit, à qvo tum *eſſe* ſuum, tum *operationes* habeat: Quia enim Reſp. in ſe & à ſe ſibi membrisque ſuis ſatis habet, non erit, cui aliquid ſui tranſcribere poſſit: Unde & notiſſimum axioma, *Majeſtatem non agnoſcere ſupra ſe, niſi Deum ac Gladium*, & quæ huic ſimilia ſunt. II. *Indeterminatam ſeu immenſurabilem*, h. ne ullis circumſtantiis perſonarum, loci aut temporis, aut earum menſura inhiberi vel coerceri poſſit: Niſi enim omnia ita complecteretur, ſufficiens non foret, cum ſemper remanſura eſſent, qvæ aliqvid continerent, quod ipſa non haberet. III. *Univerſali Intellectu* donatam, ut Reſp. ſeipſam & extra ſe ſubditorum ſuorum omnia & ſingula cognoſcat ac judicet. Subditos enim quoniam a-

lieno

lieno Imperio ducuntur, etiam alieno Judicio ſtare oportet. *Confer. Cap. VI. §. IIX.* IV. *Præditam Univerſali poteſtate*, f. facultate libere agendi; Alias enim ab alio dependeret, cui facultas iſta tranſcribenda eſſet. Qvæ ſingula qvidem prolixo commentario egerent: Qvod tamen iis diducendis ſeqventia pleraqve impendenda ſint, hic tq. conſpectum rerum in poſterum tractandarum breviter propoſuiſſe ſuffecerit.

III.

Poſſent aliàs dici *Jura Reipublicæ*, vel potius *Principia Actionum Publicarum*, prout & humanarum Actionum Principia recenſeri ſolent in Ethicis. Ex his enim omnium Publicarum Actionum rationes ut nullo negocio fluunt, ita neceſſario derivandæ ſunt. Et eorundem deinde ſeu complexus proſecutio *Majeſtas*, veluti in univerſum Jurium noſtrorum proſecutio Imperium; Majeſtas enim eſt *Imperium Publicum*; Aut clarius: *Facultas exercendi univerſa jura Reipublicæ*: Qvæ ſua luce radiant. Ad nominis evolutionem pertinet Majeſtatem aliquando ſignificare non Imperium in Republica, ſed ſummam in Rep. dignitatem: Qvo ſenſu Reges limitatæ poteſtatis, Regiæ Majeſtatis appellatione excipiuntur, qui tamen ſumma poteſtate carent, & hoc tantum habent, ut ſublimiori dignitatis gradu Proceres Rerump. ſuarum antecellant. Plura de nomine *Vid. in Not. Dign. III, Diſſ. III. fin.*



Digitized by Google

IV.

Unde *Ortum* ſumat Majeſtas ſolicite inqviri ſolet. Autumamus I. ipſam immediate fluere ex *Sibi-Sufficientia* Reipublicæ ; Hæc enim nunquam Sibi-Sufficiens foret, niſi & imperaret; Tanto minus independens, indeterminata, ſumma foret niſi omnibus Imperium daret: Et ipſa Majeſtas ideo ſupremæ, independentis, indeterminatæ poteſtatis Titulis gaudet, quia arctiſſima unione Reipublicæ conjuncta eſt. II. Cauſam propinquam tamen cum Republica eandem agnoſcere. Indicante vel Scholarum Axiomate: Cauſam cauſæ eſſe etiam cauſam cauſati. Ac proinde homines, quia Jus ſuum ipſi proſequi, aut injurias aliorum propulſare non poterant, ſeſe Reipublicæ curæ commiſerunt ejusq; voluntati ſubjecerunt: Qvi enim ſibi ipſi par non eſt, ab aliis merito dependet; *Confer. Cap. XI. §. II. & Grot. J. B. I. III. 8.* III. Etiam Divinam Providentiam hic aliqua ſibi ſeorſim ſumere: Non tantum qua prima & Univerſalis cauſa rerum eſt; Hoc enim Majeſtati cum minimis qvibusque commune eſt : Sed etiam quoad peculiaria effecta hic conſpicua. Nam licet humana voluntas Majeſtatem introduxerit, ut tamen talis, non alia perſona, vel talis forma Regiminis exiſtat, ad nutum ſolius Divinæ Majeſtatis pertinet, & inter ea reponendum, quæ *Reſervata Dei* appellari amamus. Qvo ſenſu Divina ſapientia *Prov. IIX. 15. Per me Reges regnant & LL. Conditores juſta decernunt, per me Principes*

*impe-*

Digitized by Google

*imperant*; Et Iſraelitæ cum Regem voluiſſent, annuit Deus, & *cras hac hora*, inqvit ad Samuelem, *mittam ad Te virum de terra Benjamin, & unges eum ut ſit Dux populi mei. I. Sam. IX. 16.* Item ad Davidem: *Ego te unxi, ut eſſes Rex ſuper Iſraelem, & erui Te de manu Saulis, dedique Tibi domum Domini tui & uxores Domini Tui in Sinum tuum; Præterea tradidi Tibi domum Iſraelis & Juda, & ſi parum, traditurus eram tibi talia & talia II. Sam. XII. 7. 8.* Huc facit & *Grotii ſententia I. B. I. IV. 7.* Licet ſenſu paulum diſpari: Primo homines non Dei præcepto, ſed ſponte adductos experimento infirmitatis familiarum ſegregum adverſus violentiam, in Societatem civilem coiiſſe indeqve ortum habere poteſtatem civilem, quam ideo *humanam ordinationem* Petrus vocet *I. Epiſt. II. 13.* Quanquam alibi & *divina ordinatio* vocetur, quia hominum ſalubre inſtitutum Deus probaverit.

V.

Populi Jura transferentis manifeſtum exemplum eluxit in Rep. Romana, ubi cum ut *neceſſe eſſet Reip. per unum conſuli l. 2. §. 11. ff. de O. J.* ſeu ut *Tacitus* loqvitur *Ann. I. IX. non aliud diſcordantis patriæ remedium eſſet, quam ut ab uno regeretur*: Antiqva lege, *qua* Regia *nuncupabatur, omne Jus, omnisq; poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſunt poteſtatem: l. 1. §. Sed & hoc C. de Vet. Jur. enucl.* Confer. *§. 6. Inſt. de J. Nat. & l. 1. ff. de Conſtit. Princ.* Cui addimus, ne ſolis

hiſce locis, qvod alii faſtuoſe jactitant, commemorari videatur *Lex Regia, L.3. C. de Teſtam. & quemadm. Teſtam. cond.* ubi *Lex Imperii* vocatur & *L. 14. C. de Cad. toll.* ubi dicitur *Auguſtum Privilegium.* Eandem confirmat Dion Caſſ. *L. LIII.* & Epitomaſtes ejus *Xiphilinus*, ubi Principes Legibus ſolutos redditos ſcribunt, ὥςε τὰ λατῖνα ῥήματα λέγει, *ut ipſa latina verba dicant*: Quod non niſi de verbis alicujus Legis accipi poteſt. Et tempore Auguſti conditam fuiſſe circumſtantiæ & temporis ratio apud *Dionem* evincunt: Qvæ poſtea Veſpaſiani tempore renovari potuit. *Bachov. in Inſt. de J. N.* Qui pluribus hac de re conſulendus. Nec eſt qvod fuci poſtulemus *Dionem* vel *Dionis* Interpretes, quod occaſione rerum, qvæ Auguſto decreta erant, in locum q. communem excurrerit eorum, qvæ uſurpaverint Romani Principes, non autem voluiſſe id Auguſto applicari: Qvia antecedentia & conſequentia omnia, quibus honores Auguſto decreti recenſentur, de nullo alio qvam Auguſto loqvuntur. Tanto minus dixeris Dionem hiſtoriam ſuam ita ornare voluiſſe, ut domui Auguſtæ placeret, cum Conſul Romanus ſimul Alexandro Mammeæ F. fuerit. Ita enim univerſam Hiſtoriam veterem in dubium vocare poſſemus, ſi ſcribat, quæ ſcripta nollemus; Aut cur non ſimiliter ſuſpicaremur, Te dubia ejuſmodi movere, quia licentiæ majori, qvam quæ à Statu Monarchico permittitur, inhies? Qvi populi talem facultatem *in genere* in dubium vocant, ur-

gent I. *Omnes æqvali libertate natos eſſe.* Reſp. Statum iſtum Naturalem hominis non poſſe ſubſiſtere. Vid. *Cap. de Societate & de Rep.* ubi pluribus hæc demonſtravimus. II. *Ita fore ut Imperium aliquando ſinguli haberent.* Reſp. In ſtatu Naturali concedi; In Statu Sociali negari. Cauſam vid. in *Cap. de Imperio.* III. *Neminem pariturum, quia omnes imperent.* Reſp. Iterum confundi ſtatum Naturalem & Socialem hominis. IV. *Hac ratione ſingulos Jus Vitæ ac Necis in ſe habituros.* Reſp. Falſo præſupponi Majeſtatem ideo Jus Vitæ ac Necis in ſubditos habere, quia oportuerit illud à ſubditis accipi: Qvod demonſtrabitur ubi de Pœnis agetur. V. *Singulos non habere Imperium*; E. *Nec univerſos illud habere poſſe.* Reſp. In collectivis id perpetuò falſum eſſe: Qvemadmodum exercitus occupare poteſt urbem, qvod ſingulis militibus factu impoſſibile eſt.

VI.

De modo conferendi terminis non inuſitatis quæritur: *Utrum privative an cumulative ſubjiciamur Reipublicæ eoque Majeſtati?* h. utrum populus omni jure ſuo ſe abdicaverit, an partem ejus in caſum neceſſitatis ſibi reſervaverit? Reſp. *Cedere debere omni jure ſuo*; Nunquam enim Sufficientia Status publici ſibi conſtat, ſi ſinguli retinent, qvo ſibi ſufficere poſſint: Nec ullam tranqvillitatem ſibi promittere poteſt Reſpublica, in qua unicuique licet ex præſuppoſita neceſſitate Jus aliquod ſibi formare & contra Publicum pro-

Digitized by Google

proſeqvi. Confer. *§. prec. II. Inſt. I. Id faciendum eſſe, ſi Princeps male imperet. Reſp. Grotius:* Bonitatem aut malitiam actus aptas non eſſe ad partes diſtinguendas, cum obſcuram habeant diſceptationem; Et ipſum hoc neceſſario gignere ſummam confuſionem, ſi cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis obtentu actus boni malive hinc ad ſe Rex trahat, inde populus. *J. B. I. III. 9.* II. *Regimen omne eorum cauſa eſſe, qui reguntur, non qui regunt.* Reſp. idem: ſic & tutelam pupilli cauſa eſſe, & tamen tutelam jus eſſe ac poteſtatem in pupillum. III. *Tutores ſi male rem pupillarem adminiſtrent, amoveri poſſe.* Reſp. In Imperiis rem aliter ſe habere, & quia progreſſus in infinitum non datur, omnino in aliqva aut perſona aut cœtu conſiſtendum eſt: Qvorum peccata, qvia ſuperiorem ſe judicem non habent, Deus ſibi curæ peculiari eſſe teſtatur. IV. *Incommoda hinc ſequi, aut ſequi poſſe.* Reſp. Id tantum evincere, nullum vivendi genus in humanis incommodis carere, Et qualemcunque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis.

VII.

*Subjectum* Majeſtatis eſt tum Reſpublica, ſeu perſona Moralis quam Reſp. induit pro exercitio Jurium ſuorum; Tum perſona ſingularis, ſeu perſonæ ſingulares, quæ moralem iſtam repræſentant. *Grotius* hanc *Subjectum Proprium* vocat, iſtam *Subjectum commune*, quemadmodum

dum viſus Subjectum commune ſit corpus, proprium oculus, quæ nunc non examinabimus. Diſcrimen utriusque infert evidens ratio: Quia ſæpe accidit ut plurium populorum idem ſit caput, quorum ſinguli Remp. conſtituunt, eâdem perſona ſingulari tunc diverſas perſonas morales gerente: *Cujus rei certum indicium eſſe poteſt, quod extincta domo Regnatrice Imperium ad quemque populum ſeorſim revertitur, Grot. loc. cit.* Et iterum unius Reip. perſonam moralem aliquando plures uno gerunt, quod in Statu Democratico & Ariſtocratico claret, ubi ſinguli qvidem ſeorſim Majeſtatem non habent, conjuncti tamen eam ſuſtinent, quippe deſignatam à nobis perſonam moralem ſimul gerentes. Unde jam porro elicimus I. *Fruſtra eſſe, qui Ariſtocratia & Democratia Majeſtatem denegant*, & populum in ejusmodi Rebuspublicis per ſpeciem pacti coaluiſſe, non autem agere ſub uno Imperio: Eo quod Majeſtas indiviſa ſit, in Ariſtocratia vero & Democratia inter plures dividenda veniat. Reſp. Majeſtatem in his etiam formis indiviſam manere, hærereque in una perſona Morali, quam omnes ſimul gerunt; Neque cogitandum eſt, hunc partem aliquam Majeſtatis habere, illum iterum partem, & iſtum etiam aliquam; Singuli enim plane nihil Majeſtatis habent, ſuntque nihil aliud, quam mera membra neceſſaria ad conſtituendam Majeſtatem requiſita, plane ad eum modum, quo cor, cerebrũ, hepar noſtrum ratiocinari non poſſumus dicere,

sed

ſed tamen membra eſſe homini ratiocinanti neceſſaria. II. Ex iisdem arceſſimus quoque, non ſatis conſtare ſibi receptum axioma: *Regem eſſe majorem ſingulis, ſed minorem univerſis.* Qvia enim Princeps univerſos ſeu Remp. repræſentat, eâdem non minor erit, ſed ipſi æqvalis: Veluti imago quam ſpeculum repræſentat, prorſus æqvalis eſt faciei extra ſpeculum repræſentatæ. Confer. *Hobbes de Civ.*

## IIX.

*Infantes*, *Furioſos*, *Fœminas* Majeſtatis capaces eſſe, non negaverit qui Imperii in genere capaces eſſe agnoſcet, quod demonſtratum *Cap. VI. §. II. & III.* Incommodis tamen gravioribus ſæpe urgeri ejuſmodi Imperia non diffitemur; Et populus cur iis ſeſe objici patiatur, rationem non aliam habet, quam quia Jus repræſentandi univerſos ſeu Rempublicam, non certæ perſonæ, ſed univerſæ familiæ Regnatrici commiſit. Qveritur certe graviſſima *Ludovici XIII.* minorennis adhuc tempora prudentiſſimus *Gramondus Hiſtor. Gall. L. II. p. 22*, *Et Ipſi Reges*, ait, *neceſſitati parent, & tempori quandoque inſerviunt; Ab exceſſu Henrici IV. ad eam diem annis ſex continuis patuit per Bella Civilia, ut interdum Reges infra ſubditos ſunt & ponuntur. Quid repetam diſſidia inteſtina per ea tempora toties mota, quoties è primorum re fuit? Quid expletas & auctas in immenſum hirudines populi ſanguine? Quid deſolatas ferro flammaque provincias perduellium facto? Quid dictas Regi Leges impuberi*

*Prin-*

*Principes exoranti, ut pacem ferre vellent?* Et Eccleſiaſtes c. X. 13. *Hei tibi regio cujus Rex puer eſt*; Item *Jeſ. III. 12. Populum meum opprimentium quisque eſt parvulus & fœminæ Dominium exercent in eum.*

IX.

*Hæreticos & Infideles Majeſtate & ſummo in nos Imperio indignos eſſe*, juſto ſæpius in ſcholis Catholicorum inculcatum; Indeque ſecuta, quæ noſtro tempori propiora ſunt, funeſta parricidia Henrici III. & Henrici IV. Regum Galliæ, item Conſpiratio pulveris tormentarii in Jacobum Angliæ Regem & Univerſos Angliæ proceres ideo ſuſcepta, quia Sedes Romana ipſos hæreſeos arguerat. Eodem fonte natæ acerrimæ Bullæ Pontificum, una *Pii* V. A. MDLXX. in Elizabetham Angliæ Reginam emiſſa, qva omni jure Regni ipſam privabat, ſubditosque à fidelitatis ac obſeqvii debito abſolvebat. Vid. *Annal. Camden. ad A. MDLXX. p. 97.* Altera *Sixti* V. A. MDLXXV. in Henricum IV. adhuc Navarræ Regem & Condæum eodem tenore vibrata: Henricum omni jure, quod in Navarræ Regnum ſibi competere contenderet, excidiſſe; Nec minus Condæum omni Principatus Jure indignum eſſe; Neutrum vero aptum, qui in Regnum Franciæ ſuccederet *Thuan. L. LXXXII.* Cui innumera exempla alia adjici poſſent. Sed Sacra Autoritate contrarium docemur, jubemurque cuivis humanæ ordinationi ſubjecti eſſe. *I. Pet. II, 13.* Qvod & veneranda Antiqvitas

Digitized by Google

tiqvitas tenuit, quæ *Conſtantium*, *Julianum*, *Valentem* & alios malos Principes ſponte toleravit, non quod viribus deſtituerentur; Neque enim credibile eſt exercitum Chriſtiánum ſub Juliano Apoſtata militantem ejus excidio ob virium imbecillitatem abſtinuiſſe, quod facile potuiſſent efficere & unius Apoſtatæ interitu totam Eccleſiam à maximis periculis liberare, ſed quod ſatius eſſe cenſerent juſtos à Cæſare pati, qvam Cæſaris autoritati prætextu juſticiæ vim inferre. Fuit certe hæc res Anno MDCXV. in Galliæ Comitiis Univerſalibus quam acerrime agitata, Tertio Ordine contra Clerum tunc conſtantiſſime urgente: *Nullis Sedis Apoſtolicæ interdictis ſubjacere Regna, ſubditosq́ nunquam ſacramento fidei exſolvi poſſe*: Qva de re vid. *Contin. Thuan. L. IX. & Gramond. L. I.* Ubi inter alia Delegatorum tertii ordinis verba: *Nullibi probatam primæ Sedis poteſtatem, adeo ut privatum in hæreſin, in idololatriam, in Judaicam ſuperſtitionem, in omne nefas prolapſum, patrimonio ſuo dejiciat: Cur Regem? Pluſne illi in publica juris, quam in privata? ſi eſſe contenditur, unde quæſo, annùm ex Chriſti reſponſo, qui à Pilato rogatus, Rexné foret, reſpondit:* Regnum meum non eſt de hoc mundo &c. *Si diffitetur ſe Chriſtus mundi Regem, hoc eſt, ſine poteſtate in mundum, ut Chriſtus eſt; quo jure arrogabit ſibi Vicarius juriſdictionem, quam ſibi Chriſtus ipſe indebitam dixit; Cæſares nemo negaverit Reipublicæ Romanæ tyrannice incubuiſſe: eos inter Tiberius, ſceleſtus, nequam,* prodi-

Digitized by Google

*proditor, inceſtuoſus, adulter, idolorum cultor, crudelis & ferox, per quæ adigebatur populus ſæpe in murmura imo & in rebellionem, quaſi indignus tributo foret, qui profligate deſolabat imperium, laniſta per continuas cædes magis quam Princeps; ideone minus reſpondit Chriſtus;* Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo? *Sacramento ſolvere noluit Chriſtus tyranni, ejusdemque pagani ſubditos: & volet Vicarius? Cæterum ſi fidei Orthodoxæ fundamenta res quatit, jubens ſubdito ut adoret ſculptilia, qui Deo primitus cultum debet; quid fieri martyrem vetat, qui Chriſtianus eſt? non usque adeò parendum Regi, ut fides abdicetur: moriendum conſtanter. Hoc modo fieri ſatis præcepto Chriſti, quo jubemur reddere Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Cultum reddi Deo cui debetur fides: vitam Regi, cui in ſubditos jus vitæ & necis eſt. Moſem, populumque Dei Iſraëlitas, abſtitiſſe Ægypto oppreſſos, fidemque Abrahæ ſalvam habuiſſe, tyranno contra obſtrepente: Partam illis fuga victoriam, quæſitam exilio ſalutem; brevior erat via per tyranni cædem, niſi obſtitiſſet lex Dei. Sanguine innocenti ſubſcripſiſſe Martyres huic doctrinæ, & quanquam opprimebantur, maluiſſe pœnam indebitè luere, quàm graſſari in Reges etiam Tyrannos. Docuiſſe Paulum exemplo & ſcripto, Regibus impreſſum eſſe deſuper characterem, quo ſuprema in ſubditos poteſtate jus dicant: exemplo, cum verberibus cæſus, obmutuit in exemplum Chriſti: cujus item morte admonemur, principibus etiam tyrannis, Eccleſiæ*

M perſe-

*perſecutoribus obedire: ſcripto docuiſſe patet, ex vulgata Epiſtola, qua principibus etiam diſcolis deberi obſequium clamat, in hæc verba*: Omnis poteſtas à Deo eſt: qvi poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit.

X.

Q. Qvo in loco hacenda ſit ſumma poteſtas veterum *Romanorum Dictatorum*? Reſp. Fuiſſe veram Majeſtatem; Populum enim repræſentabat exactiſſime, & omnes actus intra tempus ſuum eodem jure exercebat, qvo Rex qvi eſt optimo jure, neqve ejus actus ab alio reddi poterant irriti. Nihil eſt univerſalem poteſtatem Majeſtatis ipſis obtendere: Univerſalis poteſtas enim non perpetuitatem temporis, ſed actuum conformitatem continuam infert, nec alios excludit, qvam actus continuitatem iſtam interrumpentes; *Ipſa Duraratio enim naturam rei non immutat. Grot. l. c. n. XI.* Qvi idem dictum vult *de his, qui antequam Reges ad ſuam tutelam pervenerint, aut dum furore aut captivitate impediuntur, Curatores Regni ita conſtituuntur, ut populo non ſubſint, neque ante legitimum tempus poteſtas eorum ſit revocabilis.* Sed enim hac in re ille fruſtra eſt, cum hi velut inſtar ſupremorum miniſtrorum ſe ſolùm habeant, qvales ſupremi Præſides, Legati &ſſ. in qvos exercitium Majeſtatis ſuæ Princeps ſubinde transfundit: Neqve enim in ejusmodi caſu repræſentant Rempublicam, ſed ipſam perſonam Remp. repræſentantem, ſuntqve velut imago imaginis, quæ nunqvam

qvam tam perfecta eſt, qvam ea, qvæ à vivo corpore ſumitur.

XI.

Qvod ad Diſtinctiones Majeſtatis, ea qva in *Abſolutam & Limitatam* diſtinguitur, nulla eſt; Limitata Majeſtas enim ſuperiorem agnoſcit, à qvo Limites accipiat, eoqve independens non eſt, qvod naturam Majeſtatis evertit. *Majeſtatem Realem & Perſonalem* admittimus, ſi Reali intelligatur iſta qvam gerit, Perſonali vero eadem, dum à certis perſonis in Rep. repræſentatur; Nec tamen ideo duplex Majeſtas fit, ſed eadem manet, niſi eo modo diſtinguenda, qvo Repræſentans & Repræſentatum diſcernuntur.

XII.

Majeſtati adverſatur Crimen læſæ Majeſtatis, h. e. *Fraudulenta adverſus ſtatum Reipubl. aut illius qui eam repræſentat, machinatio.* Species duæ ſunt, *Crimen perduellionis & Crimen læſæ Majeſtatis* in ſpecie ſic dictum. *Illud* eſt hoſtilitas Reip. aut Principi intentata, ut ſi ad partes hoſtium tranſeas, ſeditionem in Rempublicam concites & ſimil. *Hoc* peragitur, ſi ea, qvæ Majeſtatis ſunt, violes, tibiqve arroges, ut ſi adulterinia moneta cudatur &c. *Pœnæ* huic crimini aſſignantur graviſſimæ, cujus ratio, qvia cum homine tali non tq. Subdito, ſed hoſte agendum, in qvem qvidvis licet; Eædem ad *liberos* & totam familiam, licet non eodem gradu, extenduntur, I. qvia in iis hereditarii criminis exempla metuuntur. II. Ut

omnis facinoris ejus memoria deleatur. Unde & lucem fœneramur verbis Decalogi, qvibus Deus minatur ſe idololatriam in tertiam & qvartã generationem vindicaturum, cum aliàs filios delictorum Paternorum teneri nolit. Idololatria enim crimen læſæ Majeſtatis divinæ in poſteris tq. heredibus talis Criminis æqve metuenda.

---

# CAPUT XII.

## De

# LEGIBUS.

*Definitio Legis: Leges dependere à voluntate Legislatoris: Cur minima ſæpe graviſſime puniantur: Quomodo ratio ſit anima Legis? An LL. Divinæ nos hodienum obligent? Quibus LL. ferantur? Majeſtatem non ſubjici Legibus: Legum vis obligandi: An obligent in conſcientiâ? An injuſtæ obligent? An Contradictoriæ? Legum vis directiva & coactiva: LL. Executio, Promulgatio, Brevitas, Scriptio, Interpretatio, Æqvitas, Diſpenſatio: Leges morales non eſſe LL. proprie dictas; Nec LL. fundamentales: Mandata, Reſcripta, Conſvetudo: Exemplis æqve ac Legibus pugnari: Anomia.*

I.

IMperii exercitium eſt *Uſus*, & in perſonis [illegible]: Poteſtatem ſuam enim qvi imperat dum in

actum

actum deducit, *rebus* utitur, perſonis mandat. *Vid. Cap. VI. §. V.* *Hæc* in Republica eſt Poteſtas Legislatoria, qva jubemur, qvid factu opus ſit. *Legem* breviſſime definimus eſſe *Juſſum Univerſale*, ſeu qvomodo *Papinianus* vocat, *Præceptum Commune*: Cui alia qvidem annectit: Ut. *Lex eſt Commune Præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum, quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio, Communis Reip. ſponſio.* Sed non niſi plenioris intellectus gratia adjecta. Lex *Juſſum* eſt I. In Diſcrimen *à Conſilio*: Nam Juſſum & Conſilium univerſali hoc conceptu qvidem conveniunt, quod ambo ſint formulæ vivendi, ſeu orationes actus noſtros dirigentes; In eo tamen differunt 1. qvod Conſilii ratio petatur à reipſa, qvæ præciptur; Juſti ratio autem ſumatur à voluntate præcipientis; Jubere enim eſt factum velle, ſeu præſtandum exigere aliqvid. 2. Qvod Juſſum obliget perſonam parentem; Conſilium autem parenti libertatem faciendi relinqvat. II. In diſcrimen à *Pacto*, qvod itidem formula vivendi eſt, ſed cujus ratio etiam non ſita in voluntate jubentis, ſed in conſenſu communi plurium. *Univerſale*, h. nulla limitatione perſonarum, loci aut temporis circumſcriptum, adeo ut omnes ſubditos vel in univerſum obliget, vel omnes ſaltim, qvi aliqvo ſtatu aut conditione conveniunt, ut milites, viros, fœminas. In diſcrimen I. *A Reſcriptis*, qvæ Subditos concernunt ratione particularis Actionis. II. *Ab Ordinationibus præcepti-*



Digitized by Google

*ceptivis*, uti vocant: Ut ſi Princeps juſſerit ſubditos certa die armatos eſſe, juſſum qvidem eſt, à Majeſtate profectum, præceptum æqvum etiam, qvod ad agendum obligat, qvomodo communiter Legem definiunt, ſed Lex non eſt, qvippe certum tempus reſpiciens, qvo exſpirante ipſa qvoq; juſſio expirat.

II.

*Cauſa* LL. Voluntas Legislatoris: Leges enim Juſſa ſunt; Juſſa autem declarationes voluntatis. E. dum Lex eſt, declaratio voluntatis eſt. *Hobbes de Civ.* Hinc apud Gallos in fine LL. omnium ac Edictorum ſubjecta eſt Clauſula: *Quia ſic nobis placuit*: Ut ab omnibus intelligatur Leges tametſi juſtas ab unius Regis voluntate dependere. Hæcqve ratio eſt, cur ſæpe res parvæ eadem ſeveritate coerceantur, qva magnæ alias, qvia ratio faciendæ rei non eſt objecti magnitudo, ſed Legislatoris voluntas, qva minima etiam maxima fieri poſſunt. Sic in militia vel pomum carpſiſſe, vel veſtigium unum extra viam poſuiſſe capitali ſupplicio non ſemel vindicatur. Et eſus Pomi Paradiſiaci res exigua erat, ſed qvod divinitus prohiberetur, eo ipſo rex maximi momenti fiebat non propter pomum in ſe, ſed propter accedentem voluntatem prohibentis Dei. Similiter novi Principes Anteceſſorum ſuorum Decreta, Privilegia & ſſ. denuo confirmare ſolent, in teſtimonium iſthæc omnia à ſola Regentis Voluntate dependere, ipſosqve novam qvandam formam ex ani-

ex animi alias corpori denuo infundere, ut vitam amplius trahant, qvæ ſine ea expiraſſent.

*III.*

Impulſiva eſt *Ratio*, quam JCtus ideo *animam* Legis vocat; Semper nimirum eſſe aut præſumi fuiſſe cauſam, quæ Legislatorem ad Sanctionem Legis permoverit: Quæ tamen ut ſubdito innoteſcat, non ſemper opus eſt; Subdito enim ſola parendi, non judicandi facultas relicta eſt. Ratio hæc vero nihil aliud qvam *Convenientia cum Statu* Reip. Unde veteres LL. quæque alibi & ab aliis ſancitæ ſunt, ſæpe rejiciuntur, quod à Statu Reip. diſcrepent; Subinde de novo ratihabentur, dum præſenti ſtatui cenſentur conformes eſſe. Ipſumque Jus Civile alicubi minori valore eſt, quia ingeniis omnibus haut æqve videtur congruere, eoque tot novis juribus ferendis occaſio data fuit, quot Regna fere numerantur, qvalia Jus Saxonicum, Jus Waldemarianum, Lex Salica in Gallia & hodie Codex Ludovicianus. Quorum una hæc ratio, quia Statui publico magis congruunt. Vid. plur. de hac re *Arth. Duck de Uſ. & Aut. Jur. Civ.* Dd LL. Divinis ſcrupulus eſt: *An illæ Hebræis olim latæ nos hodienum obligent?* Reſp. Leges Divinas eſſe I. *Morales*, illasque nos obligare, tamen non ideo, quia Leges ſunt, aut divinitus juſſæ, ſed quoniam actus naturæ rationali conformes ſunt; Nam etiamſi Deus eas nunquam juſſiſſet, nihilominus obſervari debuiſſent; Talesque ſunt omnes Decalogi Leges, & quæ per Conſe-



Digitized by Google

quentiam eo referuntur: Neque aliud quam confirmationem divina ſanctione accepiſſe videntur. II. Leges Divinæ ſunt *Poſitivæ*, h. ad Remp. vel Religionem Iſraelitarum in ſpecie pertinentes, quas nos non obligare ratione ſuperius data probamus, quia non omnes Statui noſtro conformes ſunt: Sic emancipatio ſervorum, Conjugium cum fratris cognatique vidua &c. in Chriſtianis Rebuspublicis nunquam obſervata fuerunt, quod iis non congruere Legislatores animadverterint. Ne dicamus, Deum alicubi voluiſſe, ne alii quam Iſraelitæ iis tenerentur, veluti cum Iſraelitis non liceret veſci carne beſtiæ, quæ fato ſuo periret, peregrinis tamen inter ipſos viventibus id licebat. *Deut. XIX. 24. Inſt. LL. divinis meliores dari non poſſe.* E. potius retinendas eſſe. Reſp. I. Concedi, ſed manentibus iisdem ſubditis; Hi autem ſi varient, ingeniisque divertant, nec eædem LL. manere poſſunt. II. Poſſe manere, ſed ratione materialis, h. per modum conſilii alicujus, non juſſi inſtar, quemadmodum Arreſta Curiæ Pariſienſis, Deciſiones Rotæ Romanæ non LL. ſed monitorum vice nobis eſſe poſsũt, qvatenus moribus & ſtatui noſtro præ aliis conformes eſſe judicantur: Quibus plane ſimilis LL. Divinarum ratio, quæ formaliter & in genere Legis nos non obligant: Neque vero Deus poſitive magis præſcripſit Reip. noſtræ jura ſua, qvam jus alterius cujuſpiam Reip. Sed materialis ratione cum primis ſuſpiciendæ ſunt, in genere nimirum

mirum Doctrinæ, aut diſciplinæ & conſequenter in genere moduli & exempli, ad quod tanquam rem ſummæ perfectionis LL. noſtræ condi poſſint. Confer. *Grot. J. B. l. I. 16. 17.*

IV.

*Perſonæ quibus LL.* ferendæ ſunt, requiruntur eſſe *Subditi*: Leges enim ſicuti ab Imperio proficiſcuntur, ſic à Superiori in Inferiores, eoq; in Subditos, quippe qui Majeſtatem tq. ſuperiorem agnoſcunt. *Infantibus aut furioſis* non dantur, quia non aſſeqvuntur quid Legislator jubeat: Quæ ratio & in *Brutis* valet, quia intellectu & cognitione rerum faciendarum & omittendarum carent, ac proinde uti transgreſſioni & pœnæ, ita & LL. non ſubjacent. Et licet percutiantur à nobis, ut ad res ſuas adigantur, aut ab iis retrahantur, id tamē nō pœnæ loco eſt, aut ideo fit, quia Legem ferunt, ſed eſt tantum Juris noſtri executio, & uſus Dominii humani in beſtiam. Perimuntur etiam boves cornipetæ, & bruta quæ cum hominibus conſveverunt; Sed itidem non ideo quod Legem ferant, ſed in deteſtationem criminis aut ad abolendam nefandæ rei memoriam, quemadmodum *Joſ. VII. 25.* cum Achane ejusque liberis & jumentis ipſum etiam tabernaculum dirutum & combuſtum fuit, non quia peccaverat, ſed ut omnis Achanis memoria deleretur. Dn. *nec ipſum Legislatorem LL. attinent*: Quod prob. à poſteriori, quia vis coactiva Legum in ipſum nulla eſt; Nemo enim præſumitur ſeipſum coacturus

 eſſe;

Digitized by Google

eſſe; A priori, quia nulla re eget, ſed à ſe & in ſe ſibi membriſque ſuis ſatis habet: Legibus igitur regi opus non habet, quia ob defectum propriæ facultatis & judicii ſubditis latæ ſunt. Scrupulis de LL. Moralibus, Fundamentalibus, Divinis facile ſatisfieri poſſe remur: Quia Theſis noſtra accipienda in Terminis habilibus, h. de *LL.* I. Proprie ſic dictis. II. LL. Reipublicæ. Jam vero LL. *Morales & Fundamentales*, proprie dictæ Leges non ſunt, quia juſſa non ſunt; Et LL. Divinæ veræ LL. quidem ſunt, ſed non Reip. verum amplioris iſtius corporis, quod univerſi homines, quacunque conditione ſint, conſtituunt, dum æternæ ac ſibi-Sufficientiſſimæ Divinæ Majeſtati ſubordinantur. Confer. ſeq. §. IX.

V.

*Conſequens LL.* eſt ut obligent, h. neceſſitatem faciendi Subditis imponant: Quia convenientiam cum ſtatu Publico alunt: Quod tamen cum pleriſque rerum moralium commune habent, quæ dum convenientiam aliquam fovent, obligationem gignnnt; Primus enim omnium obligationum fons eſt convenientia cum natura rei; Et obligamur virtutibus ſequendis etiam ſine Lege lata, quia Naturæ Rationali earum ſtudium congruit. Ariſtoteles obligationem hanc *δύναμιν ἀναγκαστικήν* vocat *X. Eth. X.* quod vulgo *vim cogendi* reddunt, nos *vim obligandi vel neceſſitandi*; Nam licet, quæ lege jubentur, neceſſariò facienda ſint, non tamen opus eſt, ut ad ea facienda cogamur:

gamur:

gamur: Quemadmodum angeli neceſſariò laudant Deum, non tamen coacti. *Q. An obligent in conſcientia*, ut ſi violentur aliqua proprio judicio cõvincamur nos peccaſſe & pœnam promeruiſſe? Reſp. Res in terminis claret: Nam obligari in conſcientia eſt cognoſcere admiſſam tranſgreſſionem & promeritam pœnam: Jam vero ſi ab Obedientia, quam nos debere ſcimus, recedamus, transgreſſionem, peccatum, pœnam diffiteri non poſſumus. *An LL. injuſta obligent*? Reſp. Non obligare quidem, cum, ſeu civilem injuſticiam intelligamus, à ſtatu Publico diſcrepent, quo cum convenire debebant; Seu ita dictam Moralem injuſticiam velimus, eam jubere in poteſtate noſtra non ſit, quippe quæ Naturam Socialem & Rationalem evertit. Difficillimum tamen eas, quæ vere injuſtæ ſint, niſi manifeſtò Jus Naturæ, Gentium, aut Divinum evertant, dignoſcere, cum pro Legum æquitate potius, quam contra illam præſumi oporteat; Et Subditus non poſſit judicare de iis, quæ Princeps juſſit; Neq; etiam, ſi quid peccetur hic, ille peccat peccato proprio, ſed alieno, h. non Subditus adeo, quam Princeps in ſubdito. Unde tutius ſemper rei faciendæ ſe accommodare, quã inobedientia ſua & aliis offendiculo, & publico moleſtiæ eſſe; Aut ſi conſcientia prorſus reluctetur, acerbi quidpiam potius in ſe admittere, quam Legislatori ſe opponere. Huc pertinet Senatus Pariſienſis exemplum tempore Ludovici XI. Cui cum iniqua Rex injunxiſſet, Præſes Lanacrius Regem adiit corona



Digitized by Google

judicum ſtipatus, mortemque precaturus, quam dicebat ſe Collegasque ſuos malle, quam LL. propoſitarum promulgationem pati; Unde & factum, ut Rex conſtantia ipſorum perterritus cœpto abſiſteret, ac Reſcriptum præſentibus ipſis lacerari juberet. Vid. *Bodin. L. III. c. IV.* Quod tamen ab aliis promiſcue in imitationem trahi nequit; Hi enim ſpecioſiorem reluctandi cauſam habebant, quod Princeps partem Legislatoriam in eos transtulerat, unde non adeo obſiſtebant Legi latæ, ſed Legi ferendæ, quod in aliis ſe ſecus habet, quibus nuda parendi facultas relicta eſt. Vulgo diſtingvunt inter *Obligationem ad Obedientiam & Obligationem ad Pœnam*; Et huic ſubjiciendum, illi eximendum cenſent Subditum; Sed dubii vix quicquam ita tollitur: Nam ideo obligationi ad pœnam locus eſt, quia ad obedientiam obligabamur, ut quia hanc non præſtamus, illam præſtolari oporteat; Si igitur ſubditus ad Obedientiam non obligetur, nec pœnam aliquam metuere habet, quia pœna ob receſſum ab obedientia infligitur. *Q. Si contradictoria jubeantur, quid faciendum?* Reſp. Non eſſe Legem, quia nulla præceſſit cognitio; In contradictoriis enim quid res vel ſit vel non ſit ignoratur. *E.* quia Lex non eſt, nec obligatio locum habet.

VI.

Partes obligationis *Vis Directiva & Coactiva*, Illa quid faciendum ſit, dictitat, *Hæc* recuſantes violenter compellit. Clarius: *Vis Directiva* proponit

ponit, quid faciendum vel omittendum ſit; *Vis Coactiva*, quæ pœnæ ſumi debeant de iis qui Legem violant. Ambarum hæc conditio, ut inſeparabiliter cohæreant, non tamen ubivis æque applicentur: Unde probis vim Directivam applicari ſatis eſt, improbis vero utramque admoveri oportet. *Hobbeſius* hoc de negocio ita ratiocinatur: Quod licet Lex dicat tuum eſſe, quod in agro tuo habes, id tamen ideo invaſorem non abſterreat, cum licet id eripiat, nihil impediat tamen, quo minus adhuc tuum maneat, quia in ſtatu naturali omnia ſint omnium. Ac proinde nihil agere Legem, niſi ita intelligatur, ut ſic tuum ſit, ut omnes alii prohibeantur, ne impediant, quo minus omni tempore eos poſſis pro arbitratu tuo uti; Id vero ad ſolam vim coactivam pertinere. Quæ vera quidem ſunt, ſed veremur ne Doctiſs. Scriptor Facultatis Coactivæ nomine vim prohibendi tantum intelligat; Ideo namque vult Lege alteri aliquid non tantum aſſignari, ſed alios ſimul ab eadem re arceri. Atqui prius nihil quam præcipere, poſterius prohibere: Qui actus quidem etiam ad LL. pertinent, & inſeparabiliter cohærent, ſed unice tq. partes Facultatis Directivæ, interim Vi cogendi manente prorſus alia, quæ non tantum prohiberi vel præcipi rem vult, ſed etiam ſi ſponte nolimus regi, præter voluntatem noſtram id à nobis faciendum eſſe adjicit. Exercitium harum Facultatum vocatur *Executio*, LL. ideo neceſſaria, ne fruſtrà datæ videantur: Fruſtra

ſtra enim eſt potentia quæ non deducitur in actu. Naſciturque exinde novum q. nomen LL. ut *Sanctiones Pragmaticæ* vocentur, qui Terminus in Jure Publico viſu frequens eſt, h. Lex quæ Executionem & præſtationem futurorum continet: Quo quidem differt à Tranſactione, quæ in compoſitione antegreſſorum conſiſtit.

VII.

Porro Legem, *quia Juſſum eſt, promulgari* oportet, h. ut voce vel ſigno quodam alii innoteſcat. Ratio, quia Lex præſtari exigitur. E. cognoſci debet; Facere enim rem, quam non cognoſcas, erit ſine intellectu & voluntate rem gerere, quod bruti eſt, non hominis. *Scriptio Legum* minus neceſſaria eſt, commoditatis cauſa tamen & ad recordationem adhibenda. Leges etiam requiruntur breves eſſe, ut ab omnibus æque facile teneri poſſint; Nec prologos earum Politici perinde approbant, qvod LL. diſputantes potius, quam jubentes introducant: Quanquam hodie moris ſit eos adhiberi inſtar ſvaſionis ad perferendas LL. in comitiis & ad ſatisfaciendum populo. *Verulam. Serm. Fid. n. LXI. Aph. 19.*

IIX.

*Interpretatio LL.* conſiſtit in intellectus earum declaratione: Cujus cauſa eadem perſona, quæ autor Legis erat, Legislator nempe, qui velut unusquisque alius, optimus voluntatis ſuæ interpres eſſe præſumitur. Hinc & Interpretationem, quam *Authenticam* vocant, Ipſi ſoli relinqvunt,

qvunt, præter quam duo alia genera ſunt, ſed minoris valoris, niſi quatenus ad Authenticam referuntur: *Doctrinalis*, quam abſolvunt perſcriptio judiciorum, conſulta prudentum & libri auxiliares; Et *Uſualis*, quæ fit proceſſu ad ſimilia, ut videatur, quo Jure Reſp. in ejuſmodi caſibus retro uſa fuerit. Huc pertinent etiam *Æqvitas & Diſpenſatio*, ambæ Interpretationis quædam ſpecies, ſed in eo diverſæ, quod illa Legum vim inhibeat, hæc plane tollat. *Æqvitas* rem de qua quæritur Legi ſubjicit, ſed factam eſſe negat: Unde & *correctionum Legum* vocant, communiterque cenſetur conſiſtere in agnitione erroris circa ſingularem quæſtionem: Non quod ideo Leges male latæ ſint, ſed quia nulla in univerſum tam accurate ferri poteſt, quin caſus aliquis emergat, cui ſecundum omnes circumſtantias applicari nequeat. *Diſpenſatio* contra rem factam eſſe agnoſcit, ſed Lege comprehendi negat: Itidem non ut Legi derogetur aliquid, ſed Lege integra manente, factum aliquod ad Legem non pertinere ſtatuat. Sic Iſraelitæ divinitus jubebantur vaſa Ægyptiorum auferre, non ut contra Legem furti id fieret, ſed ut ita declararetur, factum hoc Iſraelitarum ad Legem non pertinere. Diſpenſationes perſonis applicatæ, h. declarationes perſonas aliquas non comprehendi Legibus vocantur *Privilegia*. Neque enim illa alio titulo veniunt, quam quod beneficia Majeſtatis ſint, quibus bene meriti communi Juris obſervantia eximuntur. Eademque

ſoli

ſoli Majeſtati vindicantur, quia Diſpenſationum genus ſunt; Diſpenſare autem & in univerſum Legem interpretari ſolius Majeſtatis eſt.

IX.

*Species LL.* quod attinet, autumamus I. *Leges Morales* vere leges non eſſe: Nam licet omnes æque obligent, & faciendi neceſſitatem nobis imponant, juſſa tamen non ſunt, nec à voluntate alicujus dependent, cum licet nunquam juſſæ fuiſſent, neceſſario tamen obſervari debuiſſent: Veluti homicidium Caini, irreverentia Chami, ſtuprum Dinæ vera delicta erant, licet Scripto nondum prohibita, quod cum Decalogo demum ſecutum fuit, ſiquidem ſatis erat ipſa à natura rationali diſcrepare. II. Nec *Leges Fundamentales* ad propriæ dictarum Legum ſeriem referendas, cum itidem juſſa non ſint, ſed tantum conſpectus neceſſariæ connexionis rerum ad ſtatum Publicum facientium: Qvales licet itidem neceſſitas exigat, Legem tamen ideo non gignunt, ſed immutabilem rerum faciendarum cum Publico conformitatem tantum declarant. Valetque hic ratio eadem, quæ ſuperius data, quia licet nunquam vel jubeantur, vel ſcripto comprehendantur, nihilo ſecius perpetuo obſervari debent. Repet. Cap. XI. & VII. Poſſent autem diſtingui LL. in *Univerſales*, quæ univerſos Subditos dirigunt, quid ratione rerum, perſonarum & actionum ſuarum facere debeant, & *Particulares*, quæ ad certam Reip. partem faciunt, cujusmodi ſunt *Leges Provinciales*,

*h. non*

Digitized by Google

*bi non univerſam* Remp. ſed certas ejus partes concernentes; Item *Statuta*, qvæ à Collegiis & Corporibus de negociis eorum obſervantur.

X.

*Cognata Legum ſunt* Mandata, Reſcripta, Conſvetudo. Mandata *jubentur ad certum tempus citra ſtabilitatem; ut ſi jubearis hoc tempore in armis præſto eſſe*. Reſcripta *ſunt placita ſuperiorum ad ſupplicationem partis vel dubitationem Judicis prodeuntia*. Conſvetudo *eſt Jus ſine ſanctione tacito utentium conſenſu genitum*: Ejus requiſitum neceſſarium eſt tenax ſeu uniformis actuum freqventia. Vis ipſius tamen itidem in Voluntate ejus, qvi ſummam poteſtatem habet. ſita eſt, ſed illa non verbis propoſita; Voluntatis ſignum enim aliquando etiam eſt ſilentium. Ad Conſvetudinem *Exempla* referimus; Revera enim conſvetudo nihil aliud quam complexus exemplorum; Et exempla quoque non valent, niſi quatenus ad LL. componuntur, vel conſvetudinem gignunt: *Quo ſenſu etiam putamus Exemplis aqve ac Legibus pugnari poſſe*. Oportebitq; exempla tunc eſſe. 1. *A temporibus moderatis & bonis petita*, non tyrannicis, factioſis & diſſolutis; Hæc enim partus ſpurii ſunt, & magis noxii, quam proficui. 2. *Integra*, non exemplorum fragmenta aut compendia: Si enim iniqvum eſt, non perſpectâ totâ lege, de parte ejus judicare, multo magis id valere debet in exemplis, quæ ancipitis ſunt uſus, niſi valde qvadrent. 3. *Per manus Superiorum tranſacta*,

N qvalia,

qvalia, quæ apud Senatores, Judices & Curias Principales occurrunt: Quæ publicâ approbatione muniuntur. Nam exemplis ineſſe debet autoritas h. opinio perfectionis, qva inferiores hominum carent. 4. *Publicata*, non quæ in ſcriniis ſepulta manſere; Exempla enim ſicut aqvæ in profluente ſunt ſanisſima. 5. *In præſens congrua*, Hinc recentiora vetuſtis prævalent, quod enim paulo ante factum eſt, unde nullum incommodum ſecutum ſit, quidni iterum repetatur? Vetuſta autem decurſu temporum mutata eſſe præſumuntur. Confer. *Verulam. de Augm. Scient. Lib. XII.* 1.

XI.

*Oppoſita Legi eſt* Anomia *ſeu* Delictum, *h. transgreſſio Legis civilis; veluti* Peccatum *eſt transgreſſio Legis divinæ*: Vitium *receſſus à Jure naturæ ſeu virtute. Cauſa Anomias eſt* Contemptus Legislatoris: Unde fit, ut non ſolum facta & dicta, ſed etiam transgrediendi intentio puniatur, ſi in actus externos h. cognitionem erumpat. Et in rebus divinis omnia cogitata peccata ſunt, quia non minus contemptum Legislatoris Dei involvunt, quam facta vel dicta eoque & Pœnis ſubjacent, quia divinitus perinde cognoſcuntur. Actus circa delicta verſantes ſunt *Extenuatio* & *Excuſatio*.

Extenuatione *Delictum, quod videbatur magnum, efficimus minus*;

Excuſatione id, *quod delictum videbatur, recte factum oſtendimus*.

CAP.

# CAPUT XIV.

## De JUDICIIS.

*Judicorum ſuperiorum & inferiorum Syllabus: Eorum objecta: Quid accuſare, defendere, advocare? Quid Teſtes, Juramentum præſtent? Purgationes Canonicæ; Vulgares: Cruentatio cadaverum: Tortura: Utrum Judici ſecundum acta & probata, an ſecundum conſcientiam judicandum ſit? Jus extremæ provocationis: Jus delegandi alteri cauſam remota appellatione: An à Principe male informato ad melius informandum appellari poſſit? De extrema provocatione ad tribunal Chriſti.*

I.

LEgum *applicationem* præſtant *Judicia*: *Judicare* enim eſt *Leges ſingulis caſibus applicare.* Cauſa eadem, quæ LL. Princeps enim fruſtra Leges dediſſet, niſi adminiculis hiſce eas cuſtodire poſſet. Privati non poſſunt eſſe judices, quia executione carent. Tanto minus ipſi diſſidentes, uterque enim à ſtudio æqvalitatis recederet cum damno alterius. Inſtrumenta ſunt Judices Principi ſubordinati, h. ii quibus cauſarum Cognitionem & Deciſionem Princeps commiſit: Nam quia ſolus rerum omnium arbi-

ter eſſe nequit, alios in adminiculum requirit. Sic in Rep. Judaica collegium LXXII. Seniorum admiſſum, *Sanhedrin* aliàs dictum; In *Veteri Imperio Romano* Præfecti Prætorio, Præſides, Magiſtratus Provinciales conſtituti: In *Gallia* hodie tali munere funguntur *X. Parliamenta* h. Curiæ & Conſilia ſupremæ Juſtitiæ, quibus lites controverſæ ducũtur & finiuntur, quibus *Ludovicus XIV. A. MDCLVII.* Undecimum *Enſisheimenſe* adjecit pro Landgraviatu utriusque Alſatiæ & Suntgoviæ; *Romæ* eſt *Rota* è XII. Prælatis, quos Auditores Rotæ vocant conflata; In Anglia *Banci* duo, *Bancus Regius & Bancus communium Placitorum*; In Imperio Camera *Imperialis Spirenſis & Judicium Aulicum*, & ratione aliquarum Germaniæ ſuperioris partium *Judic. Rotwilenſe*, à quo tamen ad Cameram & Judicium Aulicum appellare licet. Reliqvi ſub ſupremis iſtis Tribunalibus collocati varios *Magiſtratus oppidani, Prætorum, Conſulum, Judicum Titulos* ferunt & ignobilioris Jurisdictionis exercitium habent. In Anglia ſingulis Dominiis præſunt *Vicecomites*, illisq; adjuncti è Nobilitate *Irenarchæ* ſeu Juſticiarii Pacis; In Urbibus ſunt Majores, & Seniores, *Maire and Altermen*: Quibus ſemeſtri quoquo ſuccurrunt *Juſticiarii Errantes ſeu Itinerantes* à Rege in ſingulas *Shiras* miſſi ad decidendos medio tempore enatas controverſias majores.

II.

Judiciis ſubjacent omnes cauſæ controverſæ,

omnes

omnes item perſonæ quæ ſubditorum nomen ferunt, & res ab aliis poſſeſſæ. Cum diſcrimine tamen; Aliqvorum actuum cognitionem enim Principes ſibi ſolis ſervant, qvalis cognitio criminis læſæ Majeſtatis: Quia enim res eſt quæ ſolum Principem concernit, nec ſubditi ſatis judicii de eo habere præſumuntur. Inter perſonas ordinariis judiciis eximuntur in *Gallia* Principes Sangvinis, quorum cauſæ à Ducibus & Paribus Franciæ cognoſcuntur; In *Anglia* univerſorum Procerum hoc Privilegium eſt, ut à membris Parliamenti ſuperioris & Magno Seneſchallo Angliæ judicentur, quod *Veredictum Parium* vocant *Cowel. Inſt. J. A. de Judiciis. Imperii noſtri* Immediati cives plerique Jus Auſtregarum habent, cujus ſpecimen ante paucos annos eluxit in Wildfangiatus controverſia, licet à ſolito Auſtregarum proceſſu paulum difforme. Vid. *Burgold. P. II. Diſc. XIX. §. 4. & 19.* Judicia de capite & fortunis Principum Imperii à Cæſaribus quidem ſæpe adminiſtrata, ſed non ſine Ordinum contradictione; Et Electorum conſenſum requiri patet *ex Capit. Leop. Art. XXIIX.*

III.

Partes controverſiarum ſunt *Accuſatio*, *Defenſio*: *Accuſare* eſt alterum rei commiſſæ vel omiſſæ reum peragere; *Defendere* vim alienam amoliri. Utraque audienda Judici opus eſt, ut ſciat, cui *Legem* ſuam applicare debeat: Perſona accuſans eſt *Actor*, accuſata *Reus*; Qui agunt,

agunt vel proprio nomine, vel alieno; Hoc modo ſi res gerantur vocant *Advocare*, *Procurare*. *Procuratores*, ſc. Judiciales ſeu Advocati; qui pro alio lites in judicio curant & perſeqvuntur. In *Anglia* ſingulare eſt Regem ipſum in omnibus Actionibus Criminalibus Actorem eſſe. Accuſationis & defenſionis evidentior dilucidatio eſt *probatio*, quæ nititur vel argumentis intrinſecis & in natura rerum ſitis, vel extrinſecis Teſtium, Juramenti. *Teſtibus* locus eſt, quia Judicem oportet ambobus litigantibus ſeſe æqvalem præbere, atque adeo dum utrique credit, neutri credere; Unde tertio quarto vel pluribus opus eſt, quibus demum fidem habeat. *Hobbes de Civ. c. III.* *Juramento* denique, ut ſi aliud argumentum vel teſtimonium deſit, Divino teſtimonio confirmemur. V. *Cap. V. §. IX.*

IV.

Sequioribus ævis & creſcente ſuperſtitione homines alia Probationum genera adjecerunt, *Purgationes*, h. declarationes Innocentiæ dicta, & in duo capite diſtributa: *Purgationes Canonicas & Vulgares*. Purgationes Canonicæ fiebant *Juramento*, de quo nulla controverſia, vel *perceptione Euchariſtiæ*, cujus Formula erat: *Corpus Domini ſit Tibi in probationem hodie*. Prolixiorem V. apud *Sigonium in examine cauſæ Lotharii ab Adriano* P. M. facta *de Regn. Ital. L. V. ad A. DCCCCLXIX*. *Purgationibus Vulgaribus* Veritas culpæ aut innocentiæ eventui præternaturali committebatur:

Illas-

Illaſque alias *Judicia Dei, & Ordalia* ab Orbeel ſeu Urtheil item *Legem Paribilem* vocabant. Erantq; talia Judicia ſeu *Ordalia Ignis, Ferri Candentis, Aqva Ferventis, Aqva Frigida, Judicium Crucis, Offa Judicialis, Duella*: Eventu ubique ſimili, ut ſiquid præternaturale admitterent, & illæſa præſtaretur perſona ipſis ſubjecta, illa ulteriori disquiſitione nulla amplius facta innocens pronunciaretur. Apud Hebræos tale erat *Judicium Aqvæ Amaræ*, quod *Lex* Sacra cauſis Adulterii alligat. Vid. *Num. V. 12. 13. 14.* Indeq; ſine dubio occaſio cætera comminiſcendi ſumpta, quæ fiduciam tanto majorem hominibus imprimebant, quo frequentius miracula fieri ſentiebant. Quis enim credat aut ferrum candens aut aquam fervidam citra miraculum non uſturam? Et jam ſi Digito Dei regebantur iſtæ probationes, cur aliquando abolitæ ſunt? Sin minus, cur usqve adeo in Eccleſia toleratæ; Quod *Spelmanni* eſt ratiocinium *Gloßar. V. Judicium Dei.* Sed facta hæc nunqvam ſine præſumptione & Deum tentandi propoſito, eventus ſine ſcrupulo eſſe poſſunt, qvo demum ſpiritu ducantur? *Habent Moſem & Prophetas*, edicit Abraham ex ore Dei, cum Dives in inferno ſimiliter miraculum pro convertendis fratribus ſuis expoſceret. *Luc. XVI. 21. Et Paulus ad Galat. I. 8. Etiãſi nos ipſi aut angelus aliud Evangeliũ annunciaverit, ac noſtrũ eſt, maledictus eſto.* In hoc igitur acqvieſcendũ. Pro Judicio Aqvæ Frigidæ, qvod hodienũ nõ nullibi ſupereſt, ſeorſim allegari ſolet A-

qvam ſinu ſuo eos nõ recipere, qvi fidem in Aqvæ Baptiſmo datã abnegarint. Sed Aqvæ hoc propriũ non eſt, nec ratione aut καρδιογνωσία prædita dici poterit, ut dignoſcere poſſit, an ſacroſanctũ Baptiſmi pactum violatum ſit, nec ne? Aut ſi præternaturali virtute Divina id fecerit, iterum haberemus immenſum novorum miraculorum numerum, qvæ nulla neceſſitate exigente patrarentur, qvod in Ignominiam Divinæ Majeſtatis cederet: Qvæ omnia fuſius diduximus peculiari *Diſſ. de Judiciis Dei*, ad qvam B. Lectorem remittimus. Hujus loci quoque *Cruentatio Cadaverum*, qvæ inter ſigna Homicidii reponi ſolet, ut qvi homicidii poſtulatur ſi præſens ſit, cadavera ſangvine manent; Ejusque ratio reddi ſolet, qvia ſangvis innocens clamet è terra & vindictam expoſcat, ut *Gen. IV. 10.* Sed dubia adhuc eſt hypotheſis obſervationum, an adeo freqventes & certæ ſint, ut concluſio univerſalis inde formari poſſit. Præterea docuit experientia, hæmorrhagiam cadaverum aliis quoque ex cauſis accidiſſe, nec tantum in cadaveribus occiſorum, ſed etiam communi fato extinctorum. Notumque omnia fere cadavera humana ad motum violentiorem ſangvinis aliquid emittere. Qvæ pluribus diducta ante *cit. Diſſ. de Judic. Dei c. ult.*

V

Sequitur demum *eruta veritas*; Eaq; agnitione tum *partium litigantium*, tum *Judicis*. Partes, ut legum executione ſibi nihil injuriæ inferri ſen-

Digitized by Google

ſentiant. Unde ipſi atrociſſimorum criminum rei ante ſupplicium jubentur culpam palàm declarare. Vid. Specimen ejus in ſententia de ſupplicio Ravaillaci Henrici IV. R. G. parricidæ apud *Gramond. Hiſt. L. I.* Qvo fine & *Tormenta* introducta, non in teſtimonium & ad eruendam adeo quam *agnoſcendam & confirmandam* veritatem: Neqve enim iis ſubjici ſolent, niſi qvorum facinora jam in aliis indiciis claruerunt; Idqve neqvis condemnetur, niſi ipſe qvoqve agnoſcat, ſibi non fieri injuriam. Vid. *Puffend. El. J. L. I. Def. XII. §. 33.* In qvo quidem & fontes ſolutionis eorum, qvæ contra Torturam afferri ſolent, ſitos putamus: Servile aliquid ſapere, nec Reip. prodeſſe poſſe, cujus membra adeo exhauſta & detorta fuerint; Etſi tamen inſontem eſſe contingat, quæ par eſſe poſſit compenſatio, ut illi de injuria ſatisfiat? Aut ſi mori oporteat, cur prius excarnificari debeant? Et ipſæ Reſp. à tormentis aliàs alienæ analogum quidplam plerumqve excogitarunt, ut reus, licet convictus alias propriam confeſſionem delicto adjiciat. Qvemadmodum Angli eum in finem *Pœnam fortem ac duram* ſuâ commenti ſunt, quam prolixius deſcripſimus. *Hiſt. Orb. Terr. p. II. c. VI. §. XXV.*

## VI.

Judex quod agnoſcit prolata ſententia exprimit, *quod decidere* vocant, idque vel *ſecundum acta & probata*, ſi rei veritatem evidenter docuerint, vel *ſecundum conſcientiam Judicis*, ſi probata



Digitized by Google

quidem plauſibilia, & contra quæ alter nihil excipere poſſit, exiſtant, talia tamen ſint, quæ ille aliter ſe habere ſciat. Cujus rationem reddimus, quia probationes eo fine tantum inſtituuntur, ut Judicem veritate rei informent, qui ſi rem geſtam jam ante novit, probationis opus non habet: Deinde quia Judicis ſententia debet veritatem rei aut jus dicere, id jam ſi Judex ſciat, etiam contra probata facere poterit.

VII.

*Conſequens Deciſionis eſt vel Appellatio à prolata Sententiâ, vel ejusdem executio. Illa* ſuperior imploratur in præſidium Innocentiæ, habetque locum in Judiciis intermediis ac ſubordinatis, à quibus ad ſummum in Republ. Legislatorem excurritur: Unde *Jus ultimæ provocationis* Majeſtati tributum, quippe ſuperiorem non agnoſcenti. Quod tamen ex ſpeciali conceſſione aliis etiam tribui poteſt, veluti à Præfectorum Prætorio ſententiâ appellare fas non fuit. *L. 17. ff. de Minor. 25. Ann.* Creduntur enim ii, quibus ob ſingularem induſtriam exploratâ eorum fide & gravitate officii hujus magnitudo committitur, non aliter pro ſapientiâ ſuâ judicaturi eſſe, quam ſi Princeps ipſe judicaret. *l. un. ff. de Præf. Præt.* In *Imperio Turcico* ſimili jure pollet *Supremus Vezirius*, excepto puncto denegatæ Juſtitiæ, vel ſi pars innocens ſe enormiter læſam ſentiat. Quo in caſu perſona appellans igni capiti impoſito ad Imperatorem accurrit, cauſamque ſuam ipſi exponit, nec cuiquam

quam licet accurrentem ſiſtere. In *Perſia* qui ad Principem appellant, veſte papiracea eum accedunt, teſtaturi, injurias ſibi illatas majores eſſe, quam quæ papyro iſti inſcribi poſſint. *Autor Deſcr. St. Turc. L. I. c. XI. in Diar. Eur. Cont. XXI. Referendumq; huc fuerit* Jus Majeſtatis delegandi alicui cauſam remotâ appellatione. *Q. An à Principe malè informato ad melius informandum appellare liceat?* Reſp. N. Quia omnis Appellatio debet fieri ab Inferiore ad Superiorem, ac proinde ab uno ad alterum, non ab eodem ad eundem; Neq; probabile eſt, Principem tot prudentibus Viris ſtipatum ſententiam inconſultò prolaturum. Monent tamen aliquid ejus fieri poſſe ſi extrajudicialiter ad Relationem alterius partis reſcriptum aut judicatum fuerit, idque non tam ex Jure ſcripto & Ordinario, quam per interpretationem æquitati & humanitati congruentem; Neq; Principis perſonam hic negligentiæ aut Socordiæ argui, ſed potius exceptionem Sub- & Obreptionis proponi.

IIX.

Quæritur porrò, quo in loco habenda ſit *Extrema Provocatio ad Vallem Joſaphat ſeu ad Tribunal Jeſu Chriſti?* Reſp. *Negativa* non levibus argument innititur. I. Candore, qui erga omnes æque adhiberi debet, & ſigillatim erga Superiores. II. Difficultate explorandi cauſas & fontes negotiorum publicorum. III. Moderatione illâ, quâ leves infirmitates & offenſiones tolerare, & tran-

tranquillitati communi condonare debemus. IV. Quia Magiſtratus Authoritatem ita cum ſcandalo proculcamus, Subditorumque animos adverſus Jus dicentes excitamus. Quia tamen provocationibus hiſce aliquando eventus reſpondit, eoq; divinæ Juſtitiæ ſpecimina deſideriis Provocantium reſpondiſſe deprebenſa ſunt, res non ſemper de nihilo eſſe credita fuit; Ac proinde diſtingvendum autumamus *Provocationem ſuper causâ & Provocationem ſuper perſonâ* Adverſarii. *Cauſa* ipſa ſi reus humano judicio & potenti executione illius injuſtè opprimatur, à parte innocenti ad Dei Judicium deferri poteſt, ita ut innocens ad Deum confugiat, & coram illo de innocentiâ ſuâ proteſtetur. Confer. *II. ad Cor. I. 2. 3. Rom. IX. v. 1. & 2.* Non tamen in particularibus quibusque injuriis, quas per injuſtam hominum Sententiā patimur, ne obliviſcamur illius *Matth. V. 44. Jac. V. 7. 8.* Provocationem *ſuper perſona* Adverſarii quod attinet, eam difficiliorem eſſe arbitramur: Nam Imprecationes, Maledictiones & Denunciationes, quæ in S. Codice occurrunt *Pſal. XXXV. LXIX. CIX.* Spiritu Prophètico regebantur, ac proindè in imitationem trahi aptæ non ſunt; Neque etiam omni vindicta privatæ liberam provocationem ejusmodi facile præſtare poſſumus. Tanto minus ea definitè h. quoad ſpeciem, modum, locum, tempus, inſtitui poterit, quia properationem, tardationem omnesqve Terminos & Periodos Judiciorum Dei in terris obſer-

obſervare poſſumus, non tamen præfinire aut prædicere, quod juſtæ Dei Providentiæ relinqvendum eſt. Minime omnium ad ſpiritualia mala extendi oportebit. Neſcimus enim an Deus adverſarium velit convertere. Vid. *II. Tim. II. 25.*

# CAPUT XV.

## *De* POENIS.

*Poena Damni & Senſus: Pœna quid ſit: Jus puniendi ſolius Magiſtratus eſſe: Nos ipſi nec autores nec inſtrumenta Pœnarum noſtrarum eſſe poſſumus: Pœnæ invitis inferuntur: Vitia quædam, Actus interni, Cogitationes, Religio in pœnas non incurrunt: Cur Athei puniendi? De Pœnis Martyrum, Cadaverum, Poſterorum: Æqvivalens Pœnarum qvale? Pœna Talionis: Ad qvam Juſticiæ ſpeciem Pœnæ pertineant? Pœnarum finis: Jus aggratiandi: Aſyla.*

### I.

Judicia excipiunt *Pœnæ* vel *Præmia*: *Pœna* accipi poteſt *negative* pro defectu oppoſiti, ſeu fruitionis rei alicujus bonæ, vel *poſitive* pro eo, quod ob delictum ab alio patimur: Qvam Diſtinctionem Theologi Scholaſtici in materie de cruciatibus inferni ſuam fecere, & prius

Pœnæ

Pœnæ genus *Pœnam Damni*, poſterius *Pœnam Senſus* vocarunt: Et *Pœnam Senſus* ex dolore ab igni & ſimilibus inflicto, *Pœnam Damni* tantum ex privatione viſionis Dei æſtimant. Similiter incommoda, quæ patiuntur aliqui ob morbum contagioſum, aut corpus mutilum, aut alias impuritates, qvales multæ extant in Lege Hebræa, ut arceri cœtibus, aut functionibus, licet proprie *Pœna* non ſint, tamen ob ſimilitudinem qvandam & per abuſionem eo vocabulo nunnunquam appellantur, *Grot. J. B. II. XX. 1.*

II.

*Pœna eſt Paſſio ob Delictum. Paſſio* h. mali alicujus præſentis receptio, ſ. à Malo Moleſto facta impreſſio: Malum moleſtum eſt, qvod hominem dolore afficit, ſeu opinionem damni per præſentiam ſuam ipſi imprimit. *Ob Delictum*, in diſcrimen à paſſionibus Innocentum, Martyrum &ſſ. qvi patiuntur qvidem, ſed non puniuntur, cum nullius delicti rei ſunt. *Grotii* Definitio, qvod Pœna *ſit malum Paſſionis, qvod infligitur ob malum actionis*, verbis tantum à noſtra divertit. Malum Actionis enim eſt Delictum, Malum Paſſionis iſtud ipſum qvod paſſionem vocavimus, & hanc qvidem infligi oportet, juxta generalem naturam paſſionum omnium, qvæ ut tales fiant, reqviruntur proficiſci ab agentibus.

III.

*Pœna* qvia paſſio eſt, Agentem reqvirit, unde procedat: Pati enim non poſſumus niſi ſit, qvi

in

in nos agat. *Solum Magiſtratum* id eſſe in eo clarum eſt, qvod arbiter Publici ſit; Clarius adhuc, qvia Delicta Leges tantummodo violant, eoqve qvi LL. autor eſt, idem violatarum vindex erit. Dn. ſolus Magiſtratus ſecuritatem ſocietati ſuæ præſtare poteſt, h. non tantum præſcribere, qvid cuiqve ſit tribuendum & qvomodo damnum alterius culpa datum compenſandum ſit, ſed etiam unicuiqve qvantum fieri poteſt, de injuriis & damnis non accipiendis cavere: Qvod privatus facere neqvit. *Noſmet ipſi* punire nos non poſſumus; Pœna enim inviti eſt: Qvod autem nobis ipſis voluntario inferimus, invitis accidere non poteſt: Nec amoris qvem nobis debemus teneritudo permittit, ut moleſtum aliqvod in proprium corpus decernamus, cum Moleſtum averſemur & fugiamus, Pœnam vero ſi nobis infligeremus non fugeremus, ſed vellemus & appeteremus; Appetaremus ergo rem, qvam averſaremur, qvod contradictionem implicat. *Nec inſtrumenta Pœnarum propriarum eſſe poſſumus*, qvia ne tum qvidem omnis voluntas in nobis deficit, vel Amori proprio ſatis conſulitur; Videnturqve improbandi eſſe mores populorum qvorundam, qvibus reis injungitur ut ſibi ipſis mortem conſciſcant, veluti in Japania freqventiſſimum & honeſtiſſimum ſupplicium capitale Ventris ſectio non niſi propriis reorum manibus adminiſtrari ſolet. Vid. *Varen. Deſcr. Japan. c. XIIX.* Rei enim ſic inſtrumenta nimis activa ſe præbent ad propriæ naturæ

everſi-

everſionem. Similis ratio qvoqve, ſeu Pœnam ipſam ſibi accerſat aliquis, ſeu acceleret eam, ipſamqve juvet: Manet enim Inſtrumentum Pœnæ ſuæ & malum moleſtum ſibi ſi non creat, ut tamen citius accederet qvam par erat promovet. Sic peccant, qui ſuſpendii damnati ipſi deſiliunt non expectata manu carnificis, qvia circumſtantiæ inſerviunt, quæ mortem neceſſario attrahit, quam tq. moleſtorum moleſtiſſimum expectare non optare deberent. Secus tamen eſt, ſi inſtruſtrumenta *mere paſſiva* ſint & in omnibus circumſtantiis cogantur; Coactio enim ſicuti contra voluntatem noſtram eſt, ſic reprehenſioni nulli nos ſubjicere poteſt: Quo pertinet ſi capitis damnati ſcalas ſponte aſcendant, capillos ſub mitris abſcondant &c. Hæ Circumſtantiæ enim ejusmodi ſunt, quas mors ipſa non neceſſario ſequitur, & deinde id faciunt ad evitandam majorem moleſtiam, quæ metuenda erat, ſi talia non fierent, ut ne, ad ſcalas dum per vim rapiuntur, dolorem patiantur, aut in decollatione geminum ictum experiri opus habeant &c. Eoque partes amoris proprii in eo adhuc explent, ut dum malum ipſum ineluctabile ſentiunt, leniorem ſaltim ejus gradum ſibi procurent. *Q. An licita ſit Pœnarum optio?* R. A. Quia optio non rei ipſius eſt admittendæ vel declinandæ; Malum moleſtum enim reo certò ſubeundum eſt, quod proinde non eligit, ſed invitus patitur; Id vero quod eligit, eſt tantum *metus* Pœnæ, & apparens mali moleſti

*gradus*

*gradus* inferior, eoque per electionem non Pœnam ipſam qværit, ſed quæ neceſſario ſubeunda eſt, leniorem fieri cupit.

IV.

*Inſtrumenta Pœnarum* ſunt *Perſonæ*, qvarum opera *Pœnæ* à Reis ſumuntur. Magiſtratus enim quia ipſe non poteſt omnia effectuare, aſſumit, qui miniſterium ſuum ipſi præbeant: Accedit exiſtimationem ejus læſum iri, ſi omnibus rebus promiſcue manum admoturus eſſet. In Veteri Rep. Iſraelitica Strangulationis miniſtri erant ipſi Teſtes. *Tr. Sanhedrin. cap. VII.* Lapidationis iidem primo, ac poſt eos totus Populus *Sanhedr. eod. l.* Confer. *Levit. XXIV. 14. Joh. IIX. 7.* Ratio in eo videtur ſita fuiſſe, quod ita teſtatum facere debuerint, ſe ſolius Juſtitiæ amore nec ulla alia re inductos teſtimonia ſua poſuiſſe. Sed noſtris temporibus munus hoc certis tantummodo perſonis, *Lictoribus*, *Carnificibus* &c. commiſſum fuit: Ut hominum manſvetudini tanto magis conſuleretur, quæ ſatius eſt, ſi à paucis ac vilioribus abſit, quam ſi ab omnibus æque abeſſe requiratur. Hincque communiter iſtiusmodi homines abominationi ſunt, quia in præſtatione miniſterii ſui nihil præter dolorem in eo qui punitur ſpectare præſumuntur, quod humanæ naturæ manſvetudini repugnat: Cujus quidem iterum Ratio fuerit, quia homines ejusmodi è fece vulgi ſunt, neque quid humanitatis officia reqvirant, adeo ſciunt, vel præſtare didicerunt. Eandemq;

demq; ob cauſam ſubinde infamia notati ſunt, quia non ſine crudelitate eſſe eoque humanam naturam exuiſſe concipiuntur: Quod tamen non tam *Officio* ipſorum, quam *Perſonis* tranſcribetur.

V.

Porro *Pœna* quia paſſio eſt, malum moleſtum involvit, ac proinde non *niſi invitis* infertur. Malum moleſtum enim Dolorem infert; Dolorem vero tq. rem inimicam nobis averſamur. Unde patet, quare quando in eodm vallo extruendo idem opus faciunt ruſticus & maleficus ad id condemnatus, malefico id pœna ſit, ruſtico vero neutiquam: Quia ille ex obligatione tantum eoque ſponte id facere intelligitur, alteri vero tq. aliquid ab ipſius voluntate abhorrens iſtud imponitur. Vid. *Puffend. L. 1. Def. XXI.* Similiter hinc ratio pendet cur Pœnæ aliquando contemnantur, quia Rei moleſtiam quam Judex conceperat non experiuntur. Hinc nec averſandi cauſam ſentiunt, eoque rem, quæ moleſta eſſe debebat, contemnunt. *Contemnere* dicimus res illas, quas neque cupimus neque odimus; *Viles* res, quas contemnimus. Et *Contemptus* nihil aliud eſt, quam *Cordis Actionibus quarundam rerum reſiſtentis Immobilitas quædam ſeu Contumacia*, orta vel ab eo, quod Cor ab aliis Objectis fortioribus occupatum ſit, vel ab eo, quod qualia ſint illa, quæ contemnimus, experti non ſimus. *Pœnæ* igitur ſi contemnantur eas non cupimus quidem, ſed ta-

men

men nec odimus, idque vel quia moleſtiam earum ignoramus, vel quia ob aliud Bonum præponderans ad ſenſum earum occalluimus. Ex eodem ſequitur, *cur creſcentibus Delictis etiam Pœnæ creſcere debeant*: Quia creſcentia Delicta indicio ſunt, ſenſum ordinariæ *Pœnæ* nullum eſſe: Ut itaq; ejus aliquis ſit, & *Pœna* reipſa Malum Moleſtum fiat, eam creſcere oportebit.

VI.

Pœnis ſubjacent *Delicta*, h. Legum transgreſſiones, unde LL. læſas eſſe oportet, ſi Pœnæ ſequi debeant. Et è contrario quæ Legi curæ non ſunt, nec Pœnas habent. E qvo ſequitur *non omnes actus vitioſos puniri poſſe, ſed eos tantum, qui directe vel indirecte Societatem humanam lædunt*: Ratio, quia Leges propter Societatem humanam datæ ſunt; Hæc igitur ſi læſa non eſt, nec Leges læſæ dici & per conſequens nec *Pœnæ* expectari poſſunt. Sic itaque vitiorum Moralium internorum, ut *Puſillanimitatis, Avaritiæ*, &c. ſ *Pœnæ* non ſunt, quamdiu Societatem humanam non lædunt: Quia Legislatores virtutum & vitiorum curam non habent, niſi quatenus ex iis Actiones profluunt ſalutem Civitatis vel conſervantes vel deſtruentes. Similiter *Cogitationum Pœnam* nemo patitur, eandem ob cauſam, quia Actus mere interni ſunt, eoque Societas humana iis non læditur. Et præterea ratio nulla eſt, cur non talia peccata relinquantur Deo punienda, qui & ad ea noſcenda eſt ſapientiſſimus, & ad ex-

 penden-

pendenda æquiſſimus, & ad vindicanda potentiſſimus, quæ verba ſunt *Grotii.* Interim ſi limites ſuos egrediantur & in Actus externos influant, ratio iſta expirat, & *Pœnis* ſubjiciuntur, quia non amplius interni manent, ſed actibus externis Meriti qualitatem adjiciunt.

VII.

An in *Cauſa Religionis Inquiſitiones fieri & Pœnæ ſtatui debeant* famoſa & praxi omnium Seculorum aſſerta eſt Quæſtio. Nos ex iis, quæ modo diximus Rmus I. Religionem, quamdiu Actibus Internis continetur, violentiam nullam admittere: Quia nemo cogitationum aut conſcientiæ alterius Dominus eſt; Nec ullum ex iis civitati aut alii cuicunque Societati naſcitur incommodum. Quia vero in tanta Religionum diverſitate cancelli tales internis Actibus poni non poſſunt, quin in aliquos Externos Actus erumpant, de Actibus hiſce Externis Rmus II. Eos modum accipere à læſione, vel metu ſaltim probabili læſionis aut turbarum in Republica: Ratio eſt, quia dum in ſenſus incurrunt, non poſſunt non Actibus Socialibus accenſeri, eoque à conformitate cum Societate, in qua fiunt, determinari: Unde fit, ut in aliquibus Rebuspp. diverſæ Religionis cujusvis Exercitium rejiciatur, quia periculum ſibi undecunque imminere obſervant Legiſlatores; In aliis vero duæ, plures aut omnes etiam exerceri permittuntur, ob metum periculi minorem: Qui tamen quia non plane abeſt, ideo

nun-

nunquam ſine limitibus ſuis ſunt diverſa ſentientes, nec alia Externa ipſis permittuntur, niſi quæ innoxia ſigna ſint fidei ipſorum citra læſionem Religionis prædominantis. Alia prorſus *Atheorum* & *Blaſphemorum* ratio eſt, quos ob violationem obligationis naturalis puniri oportet, & dum diſſidentium transgreſſio eſt particularis quarundam Legum, horum eſt univerſalis LL. omnium læſio: Unde nec puniuntur ut ſubditi, qui LL. non obſervaverint, ſed ut rebelles ac hoſtes, qui eas accipere noluerint.

IIX.

Eximuntur quoque à Pœnis *Actus humanæ naturæ inevitabiles*, ſeu quos homo ob imbecillitatem effugere nequit. Quia Leges uti feruntur de rebus, quæ in poteſtate noſtra ſitæ ſunt, ſic delicta verſantur circa res easdem: Inevitabilia vero in poteſtate noſtra non ſunt, ac proinde puniri non poſſunt. Secus tamen eſt, ſi Actus ſint non ſimpliciter humanæ naturæ inevitabiles, ſed per adultam conſvetudinem, aut ſ. attracti, quia hi non proficiſcuntur ab imbecillitate naturæ noſtræ, ſed à culpa præcedenti, quia aut neglecta ſunt remedia, aut morbi ultro in animum admiſſi.

IX.

Tanto minus vero Pœnis ſubjacent *Actus innoxii*, his enim nihil delinquitur; Aut ſiquid intentetur ipſis non Pœna eſt, ſed Paſſio. *Angli* ideo in declarationem Innocentiæ injuſte occiſi

Regis ſui ipſum hodie Martyrem vocare ſolent & XXX. Januarii utpote diem parricidii ejus, *Martyrium Caroli*, qvod & peculiari inſcriptione adjecta Statuæ ipſius inter Statuas Regias in Burſa Regia Londinenſi expreſſerunt: *Carolus Primus Monarcharum Magnæ Britanniæ Secundus, Franciæ & Hiberniæ Rex, Martyr ad Cælum miſſus penultimo Januarii 1648.* Et proſtat peculiaris Liber, qvo cõmuni nomine Martyres vocantur omnes, quotquot ob cauſam Regiam paſſi fuerant: *The Loyal* Martyrolegy *and the Chamcteres of thoſe Regicides by William Winſtanley Lond. MDCLXV. 8o.* Similem ob cauſam in Eccleſia Nomen Martyrum receptum eſt, ïisqve tributum, qvi innocenter ac ſolummodo ob præbitum veritati Divinæ Teſtimonium morerentur, qvod ea propter etiam maximi habuere Vid. *Tertullian. Scorpiacum ſ. de Laude Martyrii, Cyprian. Epiſt. IX.* qua continentur laudes Martyrum, qvi ipſo in Seceſſu adhuc conſtituto coronam ſumſerant. Adde *Fl. Joſeph. de Maccabæis*, qvo toto libro Martyria fortiter perferenda commendat. Hos tamen an an ſemper Cauſæ Bonitas commendaverit, Chriſtianus Amor vetat rigoroſe inqvirere: Ut ſi ſponte ſeſe Martyrio obtulerint, aut alieno Cultui, à qvo abeſſe & poterant & debebant, ſe immiſcuerint, aut per Actus ejusmodi, vel non reqviſitam Confeſſionem, Eccleſiæ & Veritati nihil acceſſerit, aut ſedem & tuto & commode migrare potuerint &ſſ. Qvæ certe non una vice aut uno in loco conti-

Digitized by Google

contigiſſe in Martyrologiis multoties obſervare eſt, & ab omni imprudentiæ, ἀλλοτριοεπισκοπίας, Zeli abſque ſcientia, aut præſumptionis ſuſpicione liberari vix poterunt: Quemadmodum primis Chriſtianiſmi ſeculis Impp. *Diocletiano* & *Maximiano Johannes Nicomedienſis* Pœnas dedit, qvod Nicomediæ Edicta adverſus Chriſtianos detraxiſſet ac diſcerpiſſet præſentibus in Urbe ipſis Imperatoribus Vid. *Euſeb. Hiſt. Eccl. L. IIX. c. V. Baron. Martyrol. ad d. VII. Sept.* *Audas Epiſcopus* Perſicus Templum, in quo Ignis à Perſis colebatur, evertit, cumqve juſſus à Rege Varane id inſtaurare renuiſſet, cauſa extitit crudeliſſimæ adverſus Chriſtianos perſecutionis. *Theodoret. Hiſt. Eccl. L. V. c. XXXIIX.* ſed qvi ipſe hoc factum οὐκ εἰς δέον, οὐκ εἰς καιρὸν fuiſſe judicat. Et inter recentiores *Wilhelmus Gardiner* Anglus An. MDLII. Cardinali miſſam coram Rege ac Proceribus magnaq; populi freqventia Lisbonæ celebranti, altera manu hoſtiam eripuit & pedibus calcavit, altera calicem effudit. Vid. *Fox. Comment. Rerum Ecclеſ. geſtar. p. 203. & Martyrolog. Germ. in 8. p. 278.* Item *Johannes Aventroot* Civis Ultrajectinus, Ultrajecto ubi aliquandiu vixerat in Hiſpaniam ſe contulit, ut Regi oſtenderet Papæ Antichriſtianiſmum, eumqve ad deſtructionem ejus hortaretur, qvo nomine etiam combuſtus fuit A. Ætatis LXXXIV. Nos ἐπέχομεν in hiſce talibus, & ſiquidem Actus ejusmodi peculiares & heroici Zeli ad deſtruendam Idololatriam ejusque adminicula

dicendi ſint, eos admirari malumus, qvam imitandos aliis proponere. Confer. *Voët. vol. II. Diſſ. de Signis & Mirac. p. 1124. Et vol. III. Diſſ. de Idololatr. Indirecta p. 309. & ſeqq.*

X.

*Principes* pœnis non ſubjacent, qvia ſupra Leges ſunt, qvod liqvido demonſtratum *Cap. XIII. §. IV.* Nec *Bruta*, cum infra LL. ſint. Vid. *dict. Cap. & §. Cadaveribus* qvando intentantur id fit I. In criminis ſeu veri ſeu intentati deteſtationem: Sic αὐτοχείρων cadavera ordinarie Pœnis ſubjacent in deteſtationem criminis, qvod vivus in ſeipſum commiſerat. II. In declarationem corpus iſtud dum vivum eſſet Pœna tali dignum fuiſſe: Qvo qvidem ſenſu æqvivalet iſti Pœnarum generi qvod in effigie peragitur, qvippe eodem fine ſuſcepto, in declarationem nempe, perſonam cujus iſta effigies ſit ſupplicio tali dignam eſſe & per actum ejuſmodi infamem reddi. Dn. nec *Infantum* & *Furioſorum* Pœnæ aliqvæ ſunt, qvia delicta ſua inſcii ac proinde & inviti committunt: Hinc etiam *Pregnantes* ordinarie non puniuntur, neqvid innocuo fœtui inferatur, qvod ſolius matris erat ut lueret. Qvod ſi tamen Rationis veſtigia interveniant, ex gradu eorum & Delicti conditio & Pœnarum Arbitrium oportebit ſtatui: Sicqve communiter Infantes tunc non abſolvunt, ſi malitia præſumatur ætatem ſuppleviſſe, h. ſi ſufficienti ſupra ætatem Rationis Exercitio præditi eſſe illudqve in abuſum vertiſſe deprehen-

Digitized by Google

prehenduntur. Pariterqve nec Furioſos, ſi ex malitiâ defectum Rationis ſimulent, ſive ſi Rationem ideo celent, ut malitiam in uſum ſuum vertere qveant: Tunc enim Ratione non carent, ſed ſe carere tantum ſimulant.

XI.

*Pœnas Poſterorum* qvod attinet, de iis certum eſt qvod reipſa non poſſint delinqvere, qvia non exiſtunt; Et Non Entis nulla eſſe Accidentia, plus ſatis in Scholis notum Axioma eſt. Hinc itaqve rurſus ſeqvitur, nec eos Pœnis proprie ac per ſe ſubjectos eſſe. Qvod tamen liberi aliqvando Parentibus in ſervitutem redactis ipſi ſervi fiant, vel Poſteri Privilegiis aut commodis aliqvibus careant, qvia majores eorum ipſis digne exciderant, id rationes has habet. I. Afflictiones ejusmodi proprie Pœnæ non ſunt, ſed Infortunia tantum; Qvemadmodum enim qvi ex Imaginatione Matris nævoſus, mutilus aut ſimiliter naſcitur, id nulla ſui culpa fert, ſed mera Naturæ inclementia, unde etiam nihil aliud in eo agnoſci poteſt, qvam merum Infortunium, qvo alii homines non involvuntur: Aut ſi cujusvis privatorum noſtrum ſortem cogitemus comparatam cum alia alterius ſorte meliori, nempe nos tenuiori nota, humiliores, debiliores eſſe qvam alterum aliqvem, non alia ratio eſt qvam qvia ita nati ſumus, h. infortunium noſtrum id ita tuliſſe, qvod nos cum naſceremur mutando non eramus. Ita jam de defectibus civilibus eodem modo dicendum erit, eos liberis

 beris

Digitized by Google

beris adhærere, qvia dum à Parentibus ſervis, agreſtib9 &c. prodeunt, nó poſſunt non incómodis ſtatum talem comitantibus onerari, ac proinde Infortunium ferre, qvod mutando non erant. Idem docet *Cl. Puffendorf. L. I. Def. XXI. §. VII.* verbis hiſce: *Proprie non puniuntur liberi, quando pater ob ſuum delictum pecunia aut amiſſione feudi multatur præſertim cum iſthac ratione liberis non directe damnum datur ablato eo ad quod jus proprium habeant, ſed duntaxat per conſequentiam damnum illud veniat, nempe dum non habent, quod habituri alioquin fuiſſent, ceſſante nimirum conditione, ſine qvo jus non habebant, quæ erat, ut ea bona parentibus ad mortem usque eſſent conſervata: Sic quando parentibus ob delictum in ſervitutem redactis liberi ex illis poſt nati ſervi quoque fiunt, in his nequaqum pœna rationem habet ſervitus, ſed infortunii duntaxat, præſertim cum nemo antequam ſit jus habere poſſit, ut tali & non alia conditione naſceretur.* Sed in iſto minus accuratus videtur qvod Liberos etiam damnum pati doceat: Damnum enim proprie patimur in iis rebus, in qvas nobis Jus perfectum competit, h. ſi lædamur in eo, quod jam habemus, vel non accipimus, qvod ex pacto aut Lege Civili debebatur. Hic vero nullum Jus præceſſit, qvia enim non ſunt, nec jus habere dici poſſunt & per conſeqvens nec in Jure ſuo lædi. Verum lis hæc forſan in Voce erit, & potuit Damnum ſenſu latiori pro incommodo qvocunqve accepiſſe: Nobis ſatis eſt indicaſſe Liberorum



Digitized by Google

rorum incommoda, qvibus per Nativitatem onerantur, non Damnum proprie dictum eſſe, ſed merum Infortunium.

XII.

II. Poterit in Poſteros proprie ſic dicta *Pœna* cadere, ſi præſumantur idem facturi eſſe, quod majores ipſorum ante deſignaverant. Sic *Adami* peccatum in nos tranſit & una cum eo *Pœnis* divinis addicimur, idem enim facturi fuiſſemus, ſi extitiſſemus: Quanquam alia inſuper hic intervenenіant, verum qvæ Reverendo Theologorum Ordini committenda ſunt. Similiter *Familiæ*, *Collegia*, *Civitates* oneribus, ac moleſtiis nonnullis in perpetuum addicuntur, quia Poſteri Anteceſſoribus ſuccedunt, eos repræſentant, ſicqve tacite q. approbare præſumuntur, quæ iſti deliquerant. Et in Crimine Læſæ Majeſtatis olim *Pœna* ex parte in Liberos redundarunt, quia in iis Paterni h. hereditarii Criminis exempla metuuntur, veluti Imp. loqvitur. *L. 5. C. ad L. Jul. de Maj.* Unde tales reddi jubentur, ut perpetua egeſtate ſordentibus ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium *l. ead.* Et *Japanenſes* eandem ob cauſam id in tota Familia morte vindicant, qvemadmodum & noſtro tempore placito Curiæ Pariſienſis in Ravaillacum cautum fuit, *ut Parentes ſceleſti hominis ditione abſtinerent Gallica, ſub Pœna Capitis, non ſecus ac agnati, Ravalliacao Nomine infami in omne ævum futuro. Gramond. L. 1. p. 8.* Alibi tamen in Chriſtiano orbe id ſola nominis muta-

mutatione ferme expiatur, qvanqvam ne illam quidem attenderit Sereniſſimus Angliæ Rex *Carolus II.* ſed univerſali gratia omnes donatos reddidit, qui Glorioſiſs. Parenti ipſius mortis cauſa extiterant, ſoliis iis exceptis qvos Parliamentum peculiari denominatione excluſurum eſſet. Unde ipſi *Cromwelliano* & Nomini & Familiæ pepercerunt, qvæ hodienum non plane extra Angliam eſt; Et ſolis illis, qvi primarii Regicidii autores fuerant, gratia iſta Statuto Parliamentario denegata fuit, ut Concionatoribus aliqvibus, Judicibus Regiis, *Wilbelmo Huletto*, qvi putabatur fuiſſe Executor Regius, & paucis aliis. Sicq; de ipſa Lege ſupra dicta judicat *Alciatus*: Sibi videri eam magis factam ad terrorem, quàm ad futuram obſervantiam.

XIII.

Ex dictis hiſce videtur lucem ſibi fœnerari ἐναντιοφανὲς iſtud Sacri Codicis, Quod Deus verbis Decalogi minitetur, Se Peccata Parentum vindicaturum in tertiam & quartam generationem, alibi vero Filios Delictorum Parentum teneri nolit. Poſterius declaratur *Ezech XIIX.* 2, 3. & ſeqq. Prioris rationem ultimis verbis 5. *ſeq. Tertullianus* ap. Grotium addet. Limitari verò ſolet, videlicet Deum vindicare Peccata in liberis, ſi liberi ac nepotes parentum impiorum inſiſtant veſtigiis. Qvod qvidem non plane improbandum eſt, qvia tunc Delicto eodem communicant. Veruntamen id ſimul conſiderari merebitur,

Digitized by Google

tur, Delictum tunc non amplius eſſe Parentum, aut alienum, ſed proprium & filiorum ipſorum; Et filios non puniri, qvia talibus Parentibus nati ſint, ſed qvia facti complices & ejusdem facinoris rei habentur. Nos in *Pœna* hac ad Liberos & Nepotes extendenda agnoſcimus I. Comminationem iſtam ſeorſim ad *Idololatriæ Crimen* dirigi. *Non adorabis ea: Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans &c. Exod. XX. 5.* Idololatria vero unum è Criminibus Læſæ Majeſtatis Divinæ eſt: Eſt enim facinus, qvo homo declarat ſibi non amplius eſſe voluntatem Deo obediendi: Unde veluti Crimen Læſæ Majeſtatis Humanæ ideo gravius eſt aliis Delictis, qvia Subditus Pacto generali obedientiæ eoqve omnibus ſimul Legibus renunciavit; Sic etiam Idololatriam graviorem eſſe oportet Delictis aliis, cum non ſpecialem Legem ſed generale Obedientiæ pactum violet. Atque jam velut inter homines Crimen Læſæ Majeſtatis ad ſobolem & univerſam Familiam extendi poteſt, ſic tanto magis in Crimine Læſæ Majeſtatis Divinæ id fiet, punienturque tunc Liberi, quippe in Cauſa parili conſtituti, & in quibus paterni ac hereditarii criminis exempla metuuntur. Confer. *Grot. J. B. II. XXI. XIV.* II. Dei verbis non tam *Pœnam* indigitari, qvam *Infortunium* per Delicta & Pœnas majorum attractum, qua de re præc. §. XI. fuſius. Hocque ſenſu mitiſſime omnium putamus accipi poſſe, quæ de Maledictionibus, ſeu Infortuniis Familiarum aut Nationum

earum.

earumque cauſis vulgo circumferunt, vel ſuſpicantur, comminiſcuntur etiam aliquando: Quales ſunt, quos in Vaſconia Galliæ Provincia Capotos, *les Capots*, ſeu *Gabets* vocant: Item *Sciapotes* in litore Malabarico; Nec diſſimile eſt quod jactitant ſtelliones hodierni Cingarorum & Zigeunonorum nomine paſſim noti: De quibus Vid. *Hiſt. Orb. Tripart. P. I. c. IX.*

XIV.

Qvid in caſu, ſi liberi ſuperſtitibus adhuc Parentibus patiantur, ſentiendum ſit, explanat idem *Grot. l. proxime cit.* nempe Deum in eos agere non *Pœna* ſed pleniſſimi *Dominii* jure; Et Parentes interea ſpectaculo tali, vel metu ſaltim ejus tanto gravius puniri. Unde id, qvod modo diximus, ſponte ſeqvitur, Liberos tunc non *Pœnas* ſed *infortunium* pati. *Ipſe Jus Dominii pleniſſimum habet ut in res noſtras, ita & in vitam noſtram, ut munus ſuum, quod ſine ulla cauſa & quovis tempore auferre cuivis quando vult poteſt. Igitur ſi morte immatura ac violenta rapit liberos Achanis, Saulis, Jeroboami, actuali in ipſos jure Dominii non Pœna utitur, ſed eodem facto gravius punit Parentes. Nam ſi ſuperſtites ſunt, (quod maxime ſpectavit Lex Divina, atque ideo Lex minas iſtas ultra abnepotes non extendit. Ex. XX. quia ad eorum conſpectum pertingere poteſt humana ætas) certum eſt Parentes puniri tali ſpectaculo, gravius enim id illis, quam quod ipſi ferunt, ut à Chryſoſtomo recte dicitur, qui cum conſentit Plutarchus: Nullum durius ſupplicium, quam*

eos,

*eos, qui ex ſe ſunt, ob ſe miſeros ſpectare: Sive non eo usq; provivunt, tamen cum eo metu occidere magnum eſt ſupplicium: Duritia populi,* inqvit Tertullinus, *ad talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis proſpicientes legi Divinæ obedirent.*

XV.

*An aliquis teneatur Delictorum alterius,* generalior Qvæſtio eſt, ſed ex eodem fundamento aſſerenda, ſi ſc. præſumatur id facturus fuiſſe quod alter fecerat, vel generalius, ſi communio qvædam circa eadem Delicta inter ipſos interveniat; Unde *qui factum vitioſum jubent, qui conſenſum requiſitum adbibent, qui adjuvant, qui receptum præſtant, aliove modo in ipſo crimine participant, qui conſilium dant, laudant, aſſentantur, qui cum ex jure proprie dicto teneantur vetare, non vetant, aut cum teneantur ex ſimili jure opem ferre injuriam patienti non ferunt opem, non diſſvadent, cum diſſvadere debeant, qui factum reticent quod notum facere ex jure aliquo tenebantur, hi omnes puniri poſſunt, ſi in ipſis talis ſit malitia, quæ ad meritum pœnæ ſufficiat,* concludit iterum & fuſe diducit Grot. II. XXI. §. 1. & ſeqq. Et Ratio univerſalis omnium eſt, qvia Delicti communio in iis interceſſit. Sic Rectores tenentur delictorum Civium ſuorum, ſi ea committi paſſi fuerint, h. ſciverint ea, & cum potuiſſent non prohibuerint. Parentes liberorum, Domini ſervorum culpam ferunt in ſimilibus Circumſtantiis: Sed in Hypotheſi ad perſonas Prudentia & applicantis & judicantis opus eſt, tanto

magis

Digitized by Google

magis ſi judicium de *Pœnis Divinis* in partes veniat. *Sæpe ex occultis cauſis Dei ultio in Reges eſt, ſæpe pro Populo Reges, pro Regibus ſæpe plectuntur populi, ut viſum Divinæ providentiæ, cui ſubjacent Reges & populi, quamque Hominum ſecuritas & ultio æque movent*, inqvit *Gramondus*, ubi pediculare morbum *Philippi* II. Regis Hiſpan. deſcribit *L. IV. p. 262.* Poterit tamen dici in hiſce talibus delinquentem ſolummodo puniri, alterum vero Infortunio tantum affici, idque ex jure Dei in homines pleniſſimo. Sic Principem Pium dum adimit Populo impio, illum quidem ex placito ſuo vita privat, ſed Populo id ipſum *Pœnæ* loco eſt, dum ſpes affuturæ in poſterum ſecuritatis & tranquillitatis ſuæ ipſis adimitur: Contra ob Davidis peccatum Populus innocens peſte conficiebatur, iterum ratione Populi ex jure abſoluto Dei in homines: *Pœna* vero Davidis erat: *Acerbiſſimum enim eſt delinquentibus Regibus ſupplicium id quod populis infligitur. Chryſoſt. Qv. ad orth. CXXXIIX.* *Q. An Pœna ad heredes tranſeat* Reſp. A. ſed præſuppoſitis quæ hactenus ſæpe diximus. Extra ejusmodi caſum ſi ſit, Heres, qua heres Pœnæ non tenetur *l. ſi Pœna ff. de Pœn. Inſt. I. Heredem repræſentare defunctum.* Reſp. Sed non in Perſonalibus, qualia ſunt Merita propter quæ Pœnæ infliguntur. II. *Heredem teneri debitis defuncti.* Reſp. Debita adhærere Bonis, non defuncti perſonæ. Vid. iterum *Grot. §. XIX.*

XVI. Pro-

XVI.

Propter quod Pœnæ infligantur eſt *Meritum*, de cujus natura jam dictum præc. *Cap. V. §. XI.* Eſſe nimirum Jus accipiendi ab altero rem factis ſuis æqvivalentem. Rem Æqvivalentem iſtam vero arbitramur conſiſtere in re ſimili illi malo, qvo læſa pars affecta eſt. In quo quidem ſeorſim notari oportebit I. *Simile*. II. *Læſam Partem*, & ex iis erui, qvæ Propoſito noſtro inſerviunt. I. Simile quia eſt, non requiretur eſſe idem, eoque non neceſſario aliquis idem patitur, quod alteri intulit. Cauſa in eo, quia ejusmodi Pœnæ genus non qvadrat ſemper. Pœnæ vero ſicut ex merito infliguntur, ita jus dicunt & per conſequens applicationem debitam ſeu congruam: Jam autem quæ non qvadrant, congrua non ſunt, quod in Terminis claret. Prob. ulterius, quia hoc modo adulteria, ſtupra, fœdi concubitus &ſſ. commode puniri non poſſunt: Et in pleriſque aliis criminibus Pœna juſto eſſet levior; Nec ſatis attingeret finem Pœnarum, qui eſt cautio de ſecuritate ſingulorum; Præterea Audaciæ conditio hac ratione longe melior eſſet, quam Innocentiæ, ſiquidem illi nihil plus metus à Legibus, quam huic à facinoroſorum malitia foret, ſuperſtite adhuc ſpe fallendi, aut per fugam, vel alia ratione Pœnam declinandi: Quæ enotavimus ex ſæpius laudato *Puffendorff. L. I. Def. XXI. §. X.*

XVII.

*Similitudo* itaque in *Pœnis* reqviritur, h. non

identitas, ſed convenientia cum damno illato. Quæ unde peti debeat ſi qværatur, Rmus, petendam eſſe *à fine* omnium Actionum Civiliũ, nempe *Bono Publico*, à quo prout damnum illatum parum vel longe diſtare videbitur, ſic pœna hæc, illa, iſta eſſe reqviretur: Unde mirum non eſt, ſi delicta etiam leviſſima aliquando morte puniantur, quia licet in ſe parva ſint, Publicum tamen enormiter lædere judicantur, eoq; intuitu ipſius magna fiunt. Sicque ipſe Deus exiguam Pomi morſiunculam (qvantilla res!) in Adamo & nobis omnib9 poſteris ej9 æterna morte vindicavit, non quod in ſe res magna eſſet, ſed quod enormi læſione Majeſtatis Divinæ magna fieret. Et in militia vel pomum carpſiſſe, vel veſtigium unum extra metam poſuiſſe, ſæpenumero capitali ſupplicio vindicatur, non ob rei magnitudinem, ſed uſu militaris Societatis ita poſcente: Contra gravibus delictis aliquando mitiores Pœnæ irrogantur, quippe temporibus & uſui Reip. accommodatæ: Ut ſi vitium aliquod in mores abiit, ut propter delinqventium multitudinem Pœnæ exigendæ locus non reſtet, niſi per ſupplicia Civitatem prorſus exhaurire velis, Reip. neceſſitas Pœnas remittere jubet; Aut ſi ingruente bello alii idonei deſint, qvis dubitat Duci ſtrenuo exilium aut capitis ſupplicium merito, Pœnam eſſe remittendam, ideo qvod opera ipſius Reſp. iſto tempore carere neqveat? *Puffendorff.* §. *IIX.*

XIIX. Ev-

XIIX.

Exinde ſimul paret, *cur eadem delicta in omnibus Rebuspp. non eadem Pœnæ maneant*, & *cur Pœnæ, quæ in una Rep. Capitales ſunt, in alia non Capitales habeantur?* Videlicet quia pro Ingeniorum uniuscujusque Populi tractabilitate, duritie, aſperitate Bonum Publicum non ubivis eadem efflagitat. Quam rem, ſi in Hypotheſi applicetur ad Qvæſtionem de *Furtis*, utrum Pœna Capitali afficienda ſint, necne, eodem reſponſo facile expediemus: Capitalem eſſe poſſe pro Regionum & Ingeniorum varietate, ſi nempe ſecuritati Publicæ aliter caveri neqveat. Unde licet in Rep. Hebræorum Furta pro capitalibus non habita fuerint, noſtris tamen Rebuspp. quæ aliud ſtatuunt, id nihil præjudicat, cum neceſſitas publica hic alios & graviores obices poni reqvirat, quemadmodum ipſis LL. Hebræorum gravius punita fuerunt Furta de paſcuo, quam de domo vid. *Exod. XXII. 1. & 9.* Quia major pro paſcuis neceſſitas militabat. Quod in contrarium afferunt, *Proportionem debere eſſe inter Pœnam & Delictum, Furtum vero aliquot Imperialium cum Vita Hominis nullam proportionem habere*; Ei Rmus Proportionem manere integram, ſed quæ non ex rerum levitate, ſed Reip. neceſſitate æſtimanda ſit.

XIX.

Hinc etiam deducimus, cur in Rebuspp. noſtris tam varia mortis genera recepta ſint ſontibus infligenda, ſeu potius, cur tot cruciatus morti ſon-

tium præmittantur, cum alias mors ubivis eadem ſit, & morte ipſa gravius ſupplicium non poſſit inveniri: Nimirum quia neceſſitas Publica frequentiam delictorũ ita coerceri reqvirit: Quamvis, ſiquidem privato licet de rebus publicis aliqua cogitare, dubitari poſſit, an fine ſuo ita potiantur ſapientiſſimi Legislatores? Cum non obſtante totuplici acerbitate delicta nihilominus frequentia ſint, & aliæ Reſp. quæ minorem cruciatuum varietatem habent, ideo frequentiora delicta non videant. Agnoſcit hoc de Angſia ſua diligens Status Anglicani Scriptor *Th. Smith. Rep. Angl. L. II. c. XXVII.* & ita loquitur: *Genus Supplicii aliud in homicidas, graſſatores, ſicarios, raptores, cæteraq; ejusmodi facinora, quæ majeſtatem non imminuunt*, præter ſuſpendium *non habemus decretum, defunctorum corpora ſepeliendi cuique conceditur facultas: Caput amputare, eqvuleo ſubjicere, in fruſta ſecare, in rotam confrigendum aliquem exponere, nobis inuſitata ſunt*, nec alibi tamen infreqventiora ſunt homicidia.

XX.

Denique & Qvæſtionem huc referimus, *ad quam ſpeciem Juſtitiæ, Commutativamne an Diſtributivam, Pœnæ pertineant?* Nos ut *Juſtitiam* in genere ex conſtanti & perpetua voluntate ſuum cuique tribuendi ſatis æſtimari poſſe putamus, ita Commutativam fieri arbitramur, ſi inter privatos occupetur; *Diſtributivam* ſi à publico in privatum tendat: Seu brevius: *Juſtitia diſtributiva* ver-

*va* verſatur circa Actus Sociales, *Commutativa* circa Actus ſingulares. *Hæc* exercebitur in mutua Juris translatione; *Illa* in Juris noſtri in alium proſecutione. Inſtantias quæ in contrarium adduci poſſint, diluendas præſens pagina non capit, veluti & quæ *H. Grotius* de ipſis Nominibus diſputat. Ex iſtis vero ita poſitis Pœnas ad Juſticiam Diſtributivam referimus; Et ratio eſt quia à Publico in ſingulos proficiſcuntur. Ad Commutativam non poſſunt pertinere I. Quia in Pœnarum irrogatione Publicum ſpectatur, Privatus autem non niſi ſecundario ac propter Publicum. II. Quia nulla inter Perſonam privatam læſam & lædentem intervenit mutua Jurium translatio: Quam de eſſentia Juſtitiæ Commutativæ eſſe autumamus. *Puffendorfius* cur Juſticiam Vindicativam induci & ad eam Pœnas referri velit, penetrando non ſumus; Neque enim videmus cur non poſita ea & quarta ſpecies, quæ Præmiorum collatrix ſit vel plures etiam adjici debeant; Vel qvid deſit Pœnis, quo minus in illis obveniat recta applicatio eorum, quæ ex pacto ſocietatis cum membro aut membri cum Societate debentur, quam tamen Diſtributivæ naturam eſſe prodit *L.I. Def. XVII. §. 11.*

## XXI.

*Grotius Pœnas* ad *Commutativam* ſeu prout ipſe vocat *Expletricem* Juſtitiam refert: Videri n. delinqventem ſe delicto ſuo Pœnæ obligaſſe & qvaſi ex contractu ad eam ferendam teneri; Quia



Digitized by Google

ſicut qvi vendit etiamſi nihil peculiare dicat, obligaſſe ſe cenſetur ad ea omnia quæ venditionis ſunt naturalia: Ita qui delinquit ſua voluntate ſe videri obligaſſe Pœnæ, cum crimen grave non poſſit non eſſe punibile, adeo ut qui directe voluerit peccare, per conſequentiam & Pœnam mereri voluerit. Sic Imperatores cuidam dicere, Ipſe Te huic Pœnæ ſubdidiſti; & qui ſceleratum capiunt conſilium ſuo merito jam tum puniri, i. ſua voluntate Pœnæ meritum contraxiſſe dici; Et *Tacito* mulierem quæ ſe ſervo conjunxiſſet, in ſervitutem ſui conſenſiſſe dici, quia id Pœnæ in tales erat conſtitutum. Sed enim in Pœnis Contractui locum non eſſe ante diximus, quia in omni Contractu eſt mutua juris translatio, quæ in Pœnis non eſt: Pœnas vero non niſi invitis inferri patuit.

§. *V*. Hos ſaltim per conſequentiam eas velle hic urgetur, quod negamus I. Quia hoc modo nulla Legis transgreſſio Delictum foret: ſed quam ſuo quisque periculo libertatem emeret, eam jure haberet. Ratio, quia dum Pœnam aliquis velle poteſt, Libertatem habere cenſebitur aut Delicto abſtinendi, aut Pœnam ſubeundi, eoque Delicto non neceſſario abſtinere dicendus erit. II. Non deliqviſſe dici poſſent, qui ſuo Damno delinqvunt, Ratio eadē, quia Lex cenſenda foret Libertatem propoſuiſſe aut facinore vacandi, aut pœnam ferendi. III. Pœna precii loco proponeretur, quo licentia faciendi ea, quæ Legi prohibentur, venundaretur. *Hobbes C. XIV. §. XXIII.*

XXII.

XXII.

Reſtat *Finis* Pœnarum, qui eſt Securitas Publica, ut univerſis & ſingulis caveatur de damnis accipiendis. Ex quo deinde alter fluit, *Terror ſingulorum*, quo Voluntates eorum ad obedientiam confirmantur: Hoc eſt ne quid in poſterum ſimili modo deſignetur, quo alius quis in Publico lædatur: Idque fiet, ſi qui deliquit vel tollatur, vel vires nocendi ipſi auferantur, vel malo ſuo delinquere dediſcat. Hinc ſi malum infligatur, absque conſilio publico cavendi, aut Subditos reformandi Pœna non eſt, ſed factum hoſtile, quia Pœna ſine fine ſuo eſſe non poteſt. Et Privati vindicta ideo inutilis eſt, quia privatus Securitatem ſuam Publico præſtare non poteſt, vel terrore alios avocare: Unde & rationem petimus, cur Pœnæ publice fieri debeant? Quia cuique ita in memoriam vocatur, quam tenere ſecuritatem ſuam Reſpublica diligat, quamque ſevere ipſa ei cautum velit. His accedit particularis privatorum Finis, *Utilitas* ejus & qui deliqvit, & cujus intererat delictum non eſſe; ſed ſub univerſali iſto cõprehenſi, quia quicquid ab his exigitur vel obtinetur, id omne in communem locum Securitatis Publicæ confluit, & propter eam contingit. Utilitas ejus qui peccavit in emendatione conſiſtit; Alterius, cujus intererat delictum non eſſe, I. ne tale quid poſtea aut ab eodem aut ab alio patiatur. II. Ut damni, quod paſſus fuerat, cauſa ipſi ſatisfactio detur; De priori non adeo res dubia



Digitized by Google

eſt; Poſterioris fundamentum in Lege illa Sociali ſitum eſt, ne quis inferat alii, per quod Pax & Societas humana turbatur, cujus vigore lædens tenebitur ad compenſandum alteri damnum, quod ſua Culpa quoquo modo intulerat, & præterea ad cautionem de non offendendo in poſterum. *Q. In quo conſiſtat ſatisfactio?* R. Reduci ad priora & retributione æquivalentis à magiſtratu determinati abſolvi poſſe remur: Ut enim plane in eundem ſtatum redeamus, quo ante injuriam vel delictum nobis intentatum fueramus, impoſſibile eſt. Læſio enim ſemel facta nunquam deſinit eſſe Læſio, cum factum infectum non poſſit fieri. *Quid e. æquivalens præſtabit?* Rmus Solamen & rationem mulcendæ læſi moleſtiæ. Quemadmodum qui furto rem amiſit, & duplum aut triplum ejus recipit, nunquam ideo deſinit injuſta ablatione læſus eſſe, ſed iſtud quod accipit, in ſolamen paſſæ injuriæ nanciſcitur: Et qui ab homicida occiſus eſt, ideo non reviviſcit, quia alteri etiam moriendum eſt, ſed ex morte alterius ſuperſtites ſolamen viſæ injuriæ hauriunt. Sed determinatio ejus à Magiſtratu expectanda eſt; Ratio, quia ſibi ſoli non punitur, ſed prout conducit univerſaliori Fini, ſecuritati publicæ; Aut ſi Solamen eſſet, Publico fieret inutile: Unde & *Puffendorf.* bene judicat parum cum ratione congruere, quod apud nonnullas civitates in homicidio penes occiſi cogatos ſit, homicidæ pœnam condonare aut relinquere, quia non primario

mul-

mulcendo ipſorum luctui, ſed ob exemplum hominem jugulari è re eſt.

XXIII.

*Oppoſitum q. Pœnis eſt* Jus aggratiandi *ſeu veniam delictis dandi.* Diſcrimen ejus à *Diſpenſatione & Æqvitate*, quod cum *Æqvitas* rem de qua qværitur Legi ſubjiciat, ſed factam eſſe neget, & *Diſpenſatio* rem factam eſſe agnoſcat, ſed Lege comprehendi neget, *Venia* & Factum & Legem agnoſcat, ſed effectum Legis inhibeat, idq; ignoſcendo vel parcendo. *Ignoſcere* eſt effectum Legis plane tollere; *Parcere* eundem non tollere quidem, ſed ſuſpendere. Ex parendi actu *Aſyla* fluunt, quæ ſunt loca refugii immunitatem contra vim præſtantia, in quæ quidem ab omnibus fere nationibus conſenſum fuit. Selectus eorum vero iſte, ut loca eſſent, quibus jam ante reverentia aliqua competeret, qualia templa, ſigna in caſtris, ſtatuæ & imagines Cæſarum. Cauſa ut munimento eſſent propter vim injuſtam. Apud Chriſtianos ad quævis loca ſacra extenſa fuerunt, ſed nimia indulgentia graviſſimis delictis occaſionem præbuit, dum facinoroſos promiſcue omnes Eccleſiarum immunitatibus gaudere paſſi ſunt: Unde & plerisque in locis huic rei derogatum eſt libereq; facinoroſi iis extrahuntur: Cujus ratio non ut Deus ideo contemnatur, ſed quia Religione ad receptacula & irritamenta maleficiorum uti velle ejus peſſimus abuſus eſt. Vid. plur. *Müller. de Aſylis.*



Digitized by Google

# CAPUT XVI.
## De
# DIGNITATIBUS.

*Ratio ordinis: Dignitas nulla quin fluat è publica exiſtimatione: Quid ſentiendum de Nobilitate Virtutis? Jus Dign. conferendi etiam extra Civitatem extenditur: Dignitatum honorariarum Syllabus & notabilia: An è re ſit eas bonis donari? An juvet eas multiplicari? Dignitatum perſonalium index: Dignitates Officiariæ Imperii, Angliæ, Svediæ: De Conſiliariis, Primis miniſtris, Legatis.*

I.

Seqvitur ut de *Dignitatibus* agamus, ſed *Publicis*: Generalis natura Dignitatis enim *Cap. VI.* jam expoſita. Ratio tractandi hic gemina, una, quia præmia ſunt Reipublicæ; Altera quia adminicula præbent Imperio Publico; Unde & duûm generum Dignitates conſtituendæ *Honorariæ & Officiariæ*: De quibus non niſi parciſſime ac veluti per Indicem agemus; Prolixius enim jam integro ſcripto plerasque earum proſecuti fuimus, & reſiduum earum quod eſt propediem nos adjuncturos recipimus.

II.

*Cauſa* Dignitatum *Agnitio Publica*, ſeu propius

plus ad propoſitum noſtrum, *Judicium Majeſtatis. Majeſtate enim jubente Dignitates ſuſtinentur l. 5. C. de Dign.* Unde nec aliqua eſt, quin cauſam hanc agnoſcat. Et Dignitas licet in ſe nihil aliud ſit, quam *eminentia ſuper alium*, cauſam tamen cur emineat ſemper præſupponit: Veluti ipſe Princeps ideo aliis eminet, quia cives illum præſtare poſſe, quod ipſi præſtando non erant, agnoſcunt; Sicque & Cives eminent, quia Publicum id ipſis deberi agnoſcit. Et è contrario ſæpe abjecti manent, quos virtus commendat, quia Publicum virtutem eorum non agnoſcit. Similis ratio eſt, cur ſola *Nobilitas Civilis* in numerum veniat, poſthabita *Nobilitate Virtutis*, vel Philoſophica, prout *Lanſius* eam vocat, quia Nobilitas eſt Præmium publicum, quod ſola Virtute non confertur, ſed tunc demum, ſi virtus à Rep. in æſtimationem trahatur; Ac licet Nobilitas nunquam ſine virtute eſſe poſſit, alias enim præmium non eſſet, non tamen ideo reciprocus nexus eſt, ut ubi Virtus eſt etiam ſit Nobilitas. Sed Nobilitas ubi eſt, ibi Virtus quidem eſſe requiritur, non autem vice verſa, ubi Virtus eſt, ibi Nobilitas etiam locum habet, niſi æſtimatio publica accedat. Qua de re pluribus actum *Not. Dign. Ill. Diſſ. XI. Cap I. §. II. & C. II. §. I. II. V.*

III.

In *Subjectis* Dignitatum notabile, ea etiam *extra Civitatem* extendi, pervincente id mutua hominum propenſione & ſtudio alios juvandi,

tum

tum etiam communi axiomate: *Omne Bonum eſt communicativum ſui.* Sic ab Imperatoribus noſtris ſæpe Principes, Nobiles &ſſ. extra Imperium creati, perſtantque hodienum *Radzivilii*, *Lubomirſcii*, Princeps *Tranſilvaniæ*, tq. Principes Imperii, Imperio tamen non comprehenſi. Eodem modo olim Reges *Poloniæ* creati, è quo alii collegerunt, Polonos Imperio tunc tributarios fuiſſe. Et in Ordinibus Eqvitum hodiernis Rex *Hiſpaniæ* Regem Poloniæ non ita pridem Eqvitem *Aurei Velleris* creavit; Item Rex *Angliæ* Regem Svediæ, Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum &c. Eqvites *Aureæ Periſcelidis*, ſed ſine omni ſubjectionis indicio.

## IV.

Dignitatem jam initio duûm generum conſtituimus *Honorarias & Officiarias.* *Honorariæ* ſunt ſine negociorum adminiſtratione; *Officiarias* qui gerunt, ſimul expediendis rebus admoventur. *Honorariæ* aliæ *Reales*, aliæ *Perſonales.* *Reales* ſunt Tituli Archiducum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, Baronum, Nobilium. *Archiduces* ſolum Imperium noſtrum habet in Sereniſſimis Archiducibus Auſtriæ. *Magnum Ducem Toſcaniæ* Italia habet præcedenti ſeculo demum à Pontifice M. creatum; Quo nomine tamen & Rex *Poloniæ* ratione Lituaniæ gaudet; item *Czar Ruſſicus*, & Orientales quidam Principes; niſi qvod arbitrarii apud hos tantũ ſint & non fixi Tituli. *Ducum* nomen paſſim obvi-

Digitized by Google

obvium, *Dania* tamen iis, veluti & cæteris Dignitatibus Nobilitatis ſuperioris, fere caret; Etiam *Svedia*, exceptis Principibus Sangvinis; Sic enim *Carolus*, qui initio hujus ſeculi Rex Svediæ fuit, vivente fratre, Rege *Johanne*, & poſt eum regente *Sigiſmundo*, Dux *Sudermanniæ* ſalutabatur: *Marchiones Italia, Gallia, Hiſpania* habent ſed imbecilles, & quorum aliqui vix ducenta jugera agri poſſident; Germania potentiores habet & in iis potentiſſimum *Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum*. *Comites Palatinos* ſola *Germania*, & *Anglia* ſi non Comitem, certe Comitatum Palatinum *Deſtria* numerat. *Landgravios* iterum *Germania* ſola & hodie quidem *Haſſiacos* & *Leuchtenbergicum*. *Principes* ſeorſim ita dictos *Germania*, *Gallia*, *Polonia*; In *Italia* plerumque ſunt è nepotibus Pontificum; Alibi proli Regiæ hoc nomen familiare eſt: Rex *Svediæ* etiam *Magnus Princeps Finlandiæ* inſcribitur. *Comites* ubivis videre eſt; *Vicecomites* in *Gallia & Anglia*, quibus in *Germania Dominos* in ſpecie ita dictos æqviparaveris, quemadmodum Principes *Anhaltini* ſunt Domini Serveſtæ, Comites *Mansfeldici* Domini Heldrungæ &c. *Barones* itidem paſſim obvii; Item *Nobiles*. In *Hungaria* & *Tranſilvania* ſunt qui *Vere Nobiles* inſcribuntur, qui fortean illi, qui antiqua proſapia editi ſunt. Apud *Turcas* plane nullus Dignitatibus hiſce locus: Honos cuique pro muneris & officii quod adminiſtrat ratione defertur, nec quenquam, ne ſuorum quidem, niſi

ex ſe

ex ſe pendunt, ſola domo Ottomanorum excepta, quæ ſuis cenſetur natalibus. *Busbeq. Epiſt. I. Legat. Turc.* Cujus rei rationem in arcano Dominationis quærit *Beſold. Diſſ. 11. de Jur. Ord. Civ. cap. IX. §. VI.* Ut omnes ab uno pendeant Principe & nemo fiat magnus niſi per Principem ſolum, ſicque Principi tanto magis devinctus ſit. Adde *Not. Dign. Diſſ. XI. c. III. §. IIX.*

V

*Conditio* Dignitatum talium non ubiq; eadē & pleriq; Procerum in *Anglia, Gallia, Hiſpania* nudū Titulum locorum, à quibus nominantur, gerunt, locis ipſis vero haut æque potiuntur, aut certe Jurisdictione in ea carent; Sæpe & reditus juſto tenuiores numerant, exprobratque Marcheſiis Gallorum & Italorum *Sagac. Manzambanus*, eſſe in iis, qui vix ducenta jugera agri poſſideant, de quo jam ante dictum; Et alius rerum Italicarum ſpectator ſcribit, ſe non ſine dolore in Agro Lunenſi vidiſſe triginta Marchiones ſub una arbore ficus colligentes, mox bis mille Comites in tenui quodam & exiguo Comitatu ap. *Lanſ. Or. contr. Ital. p. 540.* Joco quidem, ſed tamen non ſine tenuitatis nota. E contrario in Germania pleriſque è Nobilitate ſuperiori opimis reditibus proſpectum, niſi quos ſucceſſio æqvalis ad tenuiorem ſortem redegit; Eratque iſtud priſcis Imperatoribus, *Ottonibus* &c. in more poſitum, ut Dignitates Ducales, Comitivas &ſſ. una cum bonis æque magnis Viris bene meritis conferrent: Cujus

jus rei rationes erant: I. Quod Perſonæ tales Reipublicæ devinctiores ſint, dum non ſuo tantum, ſed etiam liberorum nomine agunt. II. Idem Principibus imperandi ſecuritatem præſtat, dum enim pro Liberis laborant, ſimul operam navant conſervando ſtatui, à quo dependent. III. Corradendi cupidine minuit eos, qui liberos ſuos in eadem dignitate videndi ſpem habent; Liquetq; è contrario abuſus hujus rei in Nepotiſmo Pontificum Romanorum; Nepotes enim veluti in aula Romana regnant, ſic omne quod poſſunt ad ſe trahunt, quippe conſcii facultatem hanc ſe diutius non habituros, quam quoad Pontifex M. ſupereſt. Confer. *Muller. Archolog. c. XI.*

VI.

*An juvet multiplicari Dignitates haſce*, quæri ſolet? Prodeſſe Reip. videtur elucere in actionibus prudentiſſimorum noſtri temporis Principum eo fine ſuſceptis. Sic enim *Jacobus* Angliæ Rex & poſt eum hodiernus *Carolus II.* numerum Procerum ſuorum non parum auxerunt; Idem in *Hiſpania* à *Philippo II.* factum, quod prolixe recenſet Autor *des Voyages d'Eſpagne c. XI.* Affertque rationem ejus I. Ut ſparsâ hoc modo invidiâ & æmulatione inter antiquos ac novos, ſeſe ſuamque Remp. à moleſtiis, quibus illi eam premebant, liberaret. II. Ut autoritas eorundem evileſceret, quippe in plures diffuſa, ſicque Reip. & Regia tanto magis prævaleret, cui antea illi proxime accedere videbantur. Quam rationem & Mon-

*Monzambanus* inter conſilia *Ferdinandi II.* Imp. refert, quando itidem Imperio cômplures Novos Principes addit. Sed hæc alîus indaginis ſunt. Vid. *Ipſe C. II. v. IX.*

VII.

Dignitates *Perſonales*, h. qvæ non familiis,ſed perſonis alligatæ ſunt I. *Sacri ordinis*, hæ enim ex officiariis in honorarias nunc fere migrarunt: Qvales *Pontificis M.* cui ſimilis apud Turcas *Muftius*, apud Japanenſes *Dairus*, ad Tartariæ fines *Magnus Lamma*; Tum *Cardinalium*, poſt *Patriarcharum*, quam Dignitatem Orientales Eccleſiæ fere habent, & in Occidentalibus h. Romanis *Patriarcha Venetus*; Ab his ſunt *ArchiEpiſcopi*, *Epiſcopi*, *Abbates* &c. Quorum plerique Nobilitati ſuperiori æquiparantur; Veluti ArchiEpiſcopi, & Epiſcopi *Germaniæ* jura Principum habent, in *Anglia* ArchiEpiſcopi ipſos Duces, Epiſcopi Barones antecedunt,quod Bona ſua dicantur habere per modum Baroniæ;In *Gallia* hoc ipſis peculiare,ut Titulum Conſiliariorum Regnorum ferant. II. *Dignitates Equeſtres*: Quales Equites *Teutonici* in *Germania*, item *Johannitæ*, ſed qui in aliis Chriſtiani orbis partibus quoque morantur; In *Hiſpania* Equites *de Alcantara*, *Calatrava & Sant Jago*, & ratione *Burgundiæ Equites Aurei Velleris*; In *Gallia* Equites *S. Spiritus & S. Michaelis*; In *Anglia* Equites *A. Periſcelidis & Balnei*, in *Dania* Eq. *Elephanti*,in Svedia Eq. *Draconis &c.* III. Dignitates *Scholaſticæ*, *Doctorum & Magiſtrorum*,

tan-

Digitized by Google

tanquam publica eruditionis teſtimonia. *Doctores* ſuperiorum Facultatum ſunt, *Magiſtri* Facultatis Artium; Olim tamen & Doctores Theologiæ *Magiſtri* vocabantur: Quo ſenſu capienda hodienum uſitata Formula in Scriptis Academicis, qua Magiſtri Doctoribus præponuntur: *Nos Magiſtri & Doctores.*

## IIX.

*Dignitates Officiariæ* in univerſum omnes ſunt, quæ Officium, h. curam rerum gerendarum juxta ſe habent. Supremæ Rerump. *Camerarii, Mareſchalli, Seneſchalli, Coneſtabilis*, titulis nunc fere geruntur. In Imperio noſtro Claſſes officiorum Imperialium ſunt I. *Officia Electoralia*, die Ertz- und Chur-Aempter / qualia, I. *Cancellariatus*. Qui Eccleſiaſticis Electoribus tributus, *Moguntino* per Germaniam, *Trevirenſi* per Galliam, *Colonienſi* per Italiam. Ratio fuit, quod Officium hoc inſignem doctrinam requirat, quam mediis ſeculis extra Sacrum Ordinem invenire non erat. II. *Archi-Pincernæ. III. Archi-Truchſeſſii*, ſeu Archi-Dapiferi; Ita enim Truchſes interpretantur, q. Er trug das Eſſen. Videtur tamen nomen aliûs originis eſſe, cum & Suedia *Magnum Drocſetum* habeat, ſed dubium maxime, an à dapibus ferendis dicendum. *Burgoldenſis* autem à priſcis Germanicis vocibus Dort h. Dominus & Set h. Tribrunal derivat, ut eſſet q. Dominus Tribunalis, Drocſet ſeu Dortſet Dialecto Saxonica, Truchſes deinde Dialecto Franconica. Sicque & Drocſe-

tus Suediæ eſt ſupremus præſes Dicaſterii Holmenſis; Et Contracta ex Dortſet vox Droſt in Inferioris Germaniæ partibus quibuſdam hodienum Præſidem Judicii denotat. IV. *Archi-Mareſchalli*, à ſuprema cura rei equeſtris & militaris; Marc enim eſt Eqvus, Schalck apud veteres Miniſter. Vid. *Luther. de Nomin. propr. German.* V. *Archi-Camerarii.* VI. *Archi-Theſaurarii.* II. Die Erb- und Affter-Aempter / quæ certi Comites ſuperioris Germaniæ vice Electorum Secularium gerunt. *III. Aulica* in ſpecie ita dicta & ad Perſonam Imp. potiſſimum relata. In *Anglia* diſtingvũt Officiarios ſuos in Officiarios *Status, Coronæ & Domeſticos.* Officiarii Status ſunt *Magnus Coneſtabilis, Mareſchallus & Seneſchallus Magnus*, Lingva Anglorũ, *the Lord bigc, SteWard of England*: Coronæ, *Cancellarius, magni ſigilli Cuſtos. privati ſigilli Cuſtos, Magnus Admiralius, Magnus Theſaurarius*: Domeſtici ſunt *Seneſchallus Domeſticus, Theſaurarius Domeſticus, Conneſtabilis Domeſticus. Admiralii* vox Hybrida, ab *Amir* Arabico, quod Principem denotat, & ἅλς Græco, mare, q.d. Principem maris. *Coneſtabilem* dicunt q. Comitem ſtabuli, unde & Mareſchallo æqviparatur, quo cum parem Jurisdictionem in dijudicandis litibus bellicis gerit. *Seneſchalli* nomen ab antiquo Saxonico Sen/ h. Juſtitia & Schalck Miniſter, q. d. Miniſtrum Juſtitiæ, unde & munus ejus ab antiquo deſcribunt: *Supervidere & regulare ſub Rege & immediate poſt Regem totum Regnum Angliæ & omnes mini-*

Digitized by Google

*miniſtros Legum infra idem Regnum temporibus pacis & guerrarum.* Sed Officiarii Status jam deſierunt, neque ſunt niſi tempore inaugurationis aut ſim. ſolennium, & Seneſchallus præterea, ſi cui è Paribus illorumque uxoribus contingat in judicium criminale vocari, nec diutius, quam durante actu iſto, ſeu ut Formula Anglorum eſt, *hac vice*. In *Suedia* quinque ſunt: I. *Magnus Drocſetus* præſes ſupremi Dicaſterii Holmenſis. *II. Mareſchallus Regni* qui militare conſilium dirigit, imperat Armamentario & omnem curam militiæ terreſtris gerit. *III. Admiralius*, cui marina curæ ſunt. *IV. Cancellarius*, qui Legum normam dirigit. *V. Theſaurarius*, qui circa reditus Regni verſatur, quæque ad Fiſcum pertinent, veluti olim *Comes Sacrarum Largitionum*. Eſtque cum plerisque harum Dignitatum ita comparatum, ut perſonales ſint; Aliquibus tamen etiam ſucceſſio obvenit adeo ut vel Familiæ alligentur, quales in Sereniſs. Electoribus Officia Archi-Pincernæ &c. Item in Comitibus ipſis ſubordinatis officia vicaria: Qua ratione & Duces Würtembergici ſunt *Vexilliferi hereditarii Imperii*; Vel cum alio munere attrahantur, quod genus officiorum *Nati* nomine appellare ſolent; Veluti *ArchiEpiſcopus Toletanus* eſt Cancellarius *Natus Caſtiliæ*, h. ArchiEpiſcopatum Toletanum inſeparabiliter comitatur Cancellariatus Caſtiliæ, adeo ut qui illa Dignitate potitur, hanc ſimul obtineat. Similiter Abbas Fuldenſis eſt Cancellarius natus Au-

Q 2 guſtæ;

guſtæ; Et primi ArchiEpiſcoporum, *Legati Nati* Sedis Romanæ in Rep. ſuà vocari ſolent, de quo §. *ult.*

## IX.

Hactenus Officia certis rebus in Rep. gerendis deſtinata. Officia quæ communem ejusdem curam concernunt, ſi domi exerceantur à *Conſiliariis*, ſi apud exteros à *Legatis* geruntur. *Conſiliarii* q. præparationes rerum gerendarum ſuggerunt; In quibus qui ſummæ Reip. adhiberi ſolet *Primus & Supremus Miniſter* dici ſolet. Qvales extiterunt in Hiſpania ſub *Carolo V.* Card. *Granvellanus*, ſub *Philippo II.* idem & Comes *de Silva*, ſub *Philippo III.* Dux *de Lerma*, ſub *Philippo IV.* Comes *de Olivarez* & Don *Louis de Haro.* In *Anglia* tempore *Henrici IIX.* fuerunt Cardinalis *Wolſæus* & *Thomas Cronwelus*: In *Suedia Oxenſtirnius*; In *Polonia* tempore *Sigiſmundi Johannes Zamoſcius*; In *Gallia* olim *Majores Domus*, noſtra ætate *Ancreus*, *Luynæus* & *Cardinales Richelius* ac *Mazarinus*; Aſt *Henricus IV.* plurium conſilio & autoritati res publicas concedebat. Vid. *Gramond. L. I. p. 1.* Fortuna & ſucceſſus ipſorum non iidem: Felicis adminiſtrationis ſpecimina eluxerunt in *Joſepho*, qui primus Pharaonis Miniſter erat, item Cardinalibus *Richelio* & *Mazarino*, qvorum curis res Galliæ in florentisſimum ſtatum evectæ ſunt. Secus eſt, ſi vel propria inſolentia, vel invidia aliorum, vel quod oneri impares rerum adminiſtratione negligenter fungantur, eoq;

Remp.

Remp. ac ſemetipſos incommodis obruant, ſeu ut *Tacitus* ſignificãter loquitur *III. Annal.* quia aut ſatietas capit illos, qui omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliqvum eſt quod capiant: Cujus rei exempla patuerunt in tragicis caſibus *Cromwelli, Wolſæi, Ducis de Lerma, Comitis de Olivarez, Marchionis Ancræi.* Fuit etiam, cum ipſis Principibus ſuis formidabiles extiterunt, dum è meta ſua ad ipſum Principatum contendêre: Quia ratione *Pipinus Caroli M.* Parens & Major Domus Regno Franciæ potius fuit ejecto *Dhilderico* naturali Regni Domino, qui curarum molem in ſolum ipſum tranſtulerat.

X.

*Legati* ſunt *Mandatarii publici ad exteram Remp. ſolemniter miſſi.* Sunt *Mandatarii* h. e. Procuratores alienorum negotiorum miſſi ad exteros; Unde Senatus Rom. Jus Legationis Extero non Civi comparatum dicit apud Livium; Et *Cicero* oſtenſurus non eſſe Legatos mittendos ad Antonium: Non enim, ait, cum Annibale res eſt hoſte Reip. ſed cum Cive. *Ad exteram Remp.* ad deſignandum, Legatos ad Pares proficiſci; Eoque in diſcrimen à *Commiſſariis*, qui à Superiori ad Inferiorem, & *Deputatis*, qui ab Inferiori ad Superiorem delegantur; Ambo autem in eo à Legatis differentes, quod Legati *ad pares* mittantur. Denique *ſolenniter miſſi* requiruntur, ut diſtinguantur ab *Agentibus ſeu Reſidentibus* & *Nunciis*, qui ſine ſolennitate mittuntur. Eſtque horum à

Legatis diſcrimen in eo ſitum, quod *Nuncii* Mandatum ordinariè perferant ſine poteſtate agendi; *Reſidentes* cauſas Principalium ſuorum agant, & quicquid in eos aut pro iis facere poſſunt, communicent, ſed concludendi poteſtate careant. In Aula Rom. nota ſunt nomina *Legatorum à Latere & Nunciorum Apoſtolicorum*; Quorum hoc diſcrimen eſt, *quod Legati Nati* ut plurimum ſint Primates Regnorum, qualis Legatus in Imperio noſtro eſt *Archi-Epiſcopus Salisburgenſis*; In *Gallia Archi-Epiſcopus Remenſis*, in *Polonia Gneſnenſis*, utpote Primas totius Poloniæ; Horumque communis functio eſt invigilare cõmodis Sedis Rom. Quâ quidem in re à Reſidentibus haut magnopere differunt. *Legati à Latere* deinde & *Nuncii Apoſtolici* ſpecialibus negotiis expediendis admoventur, ſed cum hoc diſcrimine, ut *Legati à Latere* vocentur, ſi Cardinales ſint, ſi nondum Cardinales *Nuncii Apoſtolici*. Vocantur tamen etiam Legati à Latere Cardinales Pontificis M. *Vicarii* in regendis Ditionibus Pontificiis, quales Bononienſis, Ferrarienſis & Avenionenſis. *Neceſſitas Legatorum* in eo ſita I. Quod Impoſſibile ſit, ut Princeps omnia per ſeipſum expediat. II. Etiamſi id fieri poſſit, tutum tamen non ſit, quam rationem fusè diductam vid apud *Cominaeum init. L. III. ubi de Conventu Ludov. XI. & Caroli Burgundi agit. Perſonæ, quibus* hoc officium committitur, plerumque ex Eminentioribus ſeliguntur ad conciliandum ſplendorem Muneri: *Hiſpanis* familiare

eſt

Digitized by Google

eſt *Clericos* mittere: Cujus rationes reddunt, quod videantur minus expenſarum requirere, & intuitu adjunctæ ipſis reverentiæ deſiderata facilius obtinere poſſint. Jura Legatorum potiſſimum duo ſunt *I. ut admittantur*, ſeu ne *ſine cauſa rejiciantur*, quia & hoſtes audiri debent, niſi evidenter conſtet, admiſſionis actu aliquid contra dignitatem admittentis vel ſalutem publicam deſignari, vid. *Grot. II. c. XIIX. §. III. II. Ne violentur*: Cujus *ratio* 1. Quia vices mittentis gerunt, qui quicquid ipſis accidit, ſibi vel honori vel contumeliæ ducit, eoque univerſæ Reipubl. loco ſunt, quæ lædi aut contemni ſine præſentiſſimo metu non poteſt. 2. Quia neceſſarii ſunt ad Pacem conciliandam aut ſervandam: Quam veluti natura ipſa ſervandam dictat, ita & perſonas eam tractantes ſecuras velle probabile eſt. *Puffend. El. Jur. L. I. Def. XIII. §. XXVI.* Idque etiam ad *Comites & bona ipſorum extenditur*, quia publico nomine adeſt, quicquid cum Legato eſt. Quod tamen intelligendum eſt, *quamdiu limites muneris ſui non excedunt*: Unde ſi criminum reos ſe faciant, aut tumultus excitent, impune id ideo non neceſſario ferunt, talia enim deſignando munere ſuo egrediuntur, ſicq; nomen Legatorum amittunt. Raro tamen id fieri ſolet & ut plurimum prævalere cenſetur Amicitia mittentis ſupplicio Legati, committique ſolet Principalis ipſius arbitrio, quid de eo decretum velit. Circa munera ſ. donaria, quæ dimiſſis legatis donari ſolent in teſtimonium gratiæ,



Digitized by Google

peculiare eſt apud Belgas, quod Legatis ipſorum nō liceat talia accipere. Vid. Deliberationem eâ de re inſtitutam & Decretum in cauſa Domini *de Odyck* Filii Domini *de Beverwert* Legati Belgarum ad Regem Angliæ *in Diar. Europ. Cont. V. p. 405. & 406.* Plura de hiſce talibus vid. ap. *Marſelaer de Legatis, & Jac. Howellum de* eadem materia.

# CAPUT XVII.

## De IMPERIO MAJESTATIS CIRCA SACRA.

*Jura Majeſtatis non differunt à Majeſtate: Sacra quæ ſint? Cura Sacrorum ad Majeſtatem pertinet: Nec tamen niſi ratione externæ Profeſſionis: Poteſtas Sacrorum Architectonica & Politica: An Princeps Sacra regat quà Epiſcopus: Exempla Imperii Sacri: Jus ſtabiliendi Doctrinam Sacram: Jus mutandi Religionem: Jus Ferias ordinandi: Jus indicendi Concilia: Tolerantia diſſidentium in Religione quos limites habeat? An omnes promiſcue tolerandi ſint? Juriſdictio Eccleſiaſtica: Jus Advocatiæ: Bona Eccleſiaſtica neceſſaria eſſe: Eadem recte opimis reditibus aucta fuiſſe: Poſſe Seculariſari.*

I. Sequi-

Digitized by Google

I.

SEquitur ut de Majeſtate agamus, prout Objectis ſuis variatur: Nam ea quæ hactenus diximus ad Majeſtatem in ſe ſpectatam pertinuerunt; Sicque Majeſtas Leges fert, judicat, & vi judicii ſui merentibus, quod ipſorum eſt, confert: Unde & actus hi ad omnia æqve extendi poſſunt, *Sacra, Profana,* perſonarum etiam quamcunque conditionem: Quod in iis, de quibus nunc porro agendum erit ſecus eſt, qvæ non univerſalem ambitum Majeſtatis exhauriunt, ſed certam ei tantum denominationem addicunt, pro naturæ ſuæ, qua ab aliis differunt varietate; Unde *Regalium* qvoqve & *Jurium Majeſtatis* ſortita ſunt nomina; Sed de qvibus cenſendum non eſt, ea idcirco alia eſſe, qvam ipſam Majeſtatem; Cum illa ſemper una maneat, ab objectis ſuis tantum alia nomina accipiens, qvemadmodum in Religione fit *Imperium circa Sacra*, alibi *Poteſtas Fœderum faciendorum, Jus Belli, Jus Tributa indicendi*: Nunqvam tamen aliud qvam ipſiſſima Majeſtas, denominationibus ſolum totuplex, qvot objecta eam denominare poſſunt: Æqve ac in *Sole* eſt vis illuminandi, calefaciendi, emolliendi, exſiccandi, indurandi, qvæ licet inter ſe differant, manent tamen ipſiſſimus Sol ab objectis tantum diverſas appellationes nactus. Qvorum omnium cauſa, quia licet Majeſtas in ſe omnino una ſit, non tamen operatur ſecundum adæqvatam ſuam rationem ſed v. g. effectum Fœderum, Belli, Tribute-



Digitized by Google

butorum producit ſecundum inadæqvatam habitudinem ad ejuſmodi effectum: Sic Sol in ſe omnino unus ſecundum inadæqvatam habitudinem ad lutum vel ad ceram producit hinc liqvefactionem, iſthic indurationem: Unde & cauſa ſeqvitur, cur eadem diſtincte concipiamus, qvia qvamvis res in ſe prorſus eadem ſit, illa tamen ſecundum totam adæqvatam rationem ſuam, in mentem noſtram ſub ſingulis conceptibus non cadit: Ac proinde & mentem noſtram eam per inadæqvatos conceptus partîri oportet.

*II.*

Objecta de qvibus nunc dicere habemus, ſunt *Res ac Perſonæ omnes Rep. comprehenſæ*; Et Res iterum *Sacræ*, vel *Profanæ* ſeu humani Juris. *Sacra* ſunt, *quæ* ad *Religionem* ſpectant, ſeu *quæ ri-te ad miniſterium Dei dedicata ſunt*, prout Imperator loqvitur *§. 8. Inſt. de Rer. Diviſ.*

*III.*

*Horum Curam Majeſtati competere probamus,* I. Qvia Magiſtratus eſt dijudicare ſubditorum ſuorum opiniones; hæ enim ſunt cauſæ diſcordiarum, qvippe à qvibus actiones ortum habent. E. & eorundem opiniones de ſacris curare habet. II. Qvia Eccleſia eſt in Republica, non Reſp. in Eccleſia *Nov. VI.* ſeu potius Eccleſia eſt ipſa Reſpublica, objecti reſpectu tantum aliud nomen ſortita, ut, qvæ in genere ſit Societas univerſalis hominum, hic fiat Societas eorundem certam de Sacris opinionem profitentium. Remp. e. Princeps

ceps ſi regit, eandem qvoqve, qvatenus Sacra amplectitur, dirigit. Cui adverſari qvidem videtur. 1. Qvod noſtri contra Catholicos aſſerunt: *Eccleſiam viſibili capite regi non poſſe, nec aliud habere, qvam ſolum Servatorem Chriſtum.* Sed R. Idem caput relinqui: Qværi autem annon præterea particularium cœtuum eandem opinionem foventium aliqvod Regimen reqviratur Univerſali iſti ſubordinatum? Qvod non minus repugnare arbitramur, qvam dum omnes æqve univerſale Dei Imperium agnoſcimus, qua creaturæ ejus, & nihilominus diſtincta in terris hiſce ferimus imperia. 2. *Eccleſiam eſſe unam etiamſi regionibus ac Imperiis diſtinctam: Quemadmodum Eccleſia Reformata una eſt, licet in Germania, Belgio, Anglia, Gallia diſperſa.* R. Unam eſſe ſub Chriſto & unitate fidei; At viſibiles ſingularum Regionum cœtus ideo vinculo Sociali non magis colligari, qvam ſi diverſæ Reſp. eaſdem Leges habeant: Qvas unitas ſententiæ quidem ſibi invicem conformes reddit, non tamen ideo unit, vel in unum cœtum conjungit; Sed manent totidem cœtus eadem ſententia tantum conformes, ſeu unam amplectentes ſententiam. 3. *Principem eſſe membrum Eccleſiæ, ac proinde ipſum regi oportere.* R. Regi qvatenus gerit ſingularem perſonam; Regere autem qva moralem perſonam Reip. repræſentat, ſeu cum Rep. unus atqve idem eſt. III. Jus Religionis nemini Privato competit, alias tot Religiones in Rep. naſci poſſent, quot homines extant.

extant, qvod confuſionem maximam gigneret; Nec determinandis vel numerandis controverſiis finis foret. E. vindicandum eſt Magiſtratui tanquam Publici Arbitro. Antecedens facile agnoſcet, qvi ſchiſmata & hæreſes Chriſtianorum à primis initiis expenderit, qvæ toties enata, qvoties libertas profitendi, qvod ſenſere, privatis non impedita fuit. Et prima poſt Apoſtolos ſecula hæreſium ideo feraciora erant, qvod privata libertas nulla ſufficienti auctoritate conſtringi poſſet; Eccleſia adhuc à gentilibus preſſa: Statim vero evanuerunt, ex qvo Imperatorum Eccleſiæ accedentium & Conciliorum autoritas eas refrenarunt: His vero iterum conniventibus mox validæ ſuccreverunt *Arrianorum*, *Neſtorianorum*, *Eutychianorum* Hæreſes, qvarum incrementa, decrementa, ipſa duratio ex indultu Magiſtratus unice pependerunt; Nec iſtud etiam hodienum in eadem Religione diſſentiendi cacoethes aliunde eſt, qvam qvia Magiſtratus hanc libertatem litigantibus indulget, qvod maximo ſuo damno Regnum Anglicanum expertum fuit, hodieqve deplorat, & ſerio emendare ſtudet. Et *Anabaptiſtæ* ſimul ortu ſuo mox XXIIX. ſchiſmata ſuperiori ſeculo generabant, nunc a. in infinitum diſſentiunt, qvia dum omnes libertate Spiritus ſui duci volunt, unusqvisqve, qvod fingit, ſibi profitendum eſſe judicat.

IV.

Qvod autem unaqvæqve res moralis ſuos & inter-

internos & externos actus habeat, eoſdem & negocium Religionis habebit; Sed hic non alios applicari patietur, qvam tales, qvi in Univerſum ad Remp. & conſequenter ad Majeſtatem pertinent, h. non ipſa animi ſenſa, ſed tantum *Actus eorundem externos*, ſeu Religionis dicto vel facto editam profeſſionem: Hi enim ſolum Reip. curæ ſunt, qvia ab iis Societas humana lædi poteſt; Interna vero nec in poteſtate noſtra ſunt, qvod demonſtratum *Cap. VI.* Nec Societati humanæ vim inferunt, ac proinde nec Remp. attingunt. Confer. *Cap. XV. §. VI, VII.* Unde ſeqvitur I. iſtam Majeſtatis curam vim nullam conſcientiis inferre, vel novam Tyrannidem iis injicere poſſe: Qvia Conſcientiæ qvod eſt, internū eſt, eoq; Magiſtratui curatio nō eſt, qvi facile ſuo ſenſu unumquemq; abundare patitur, modo non paſſim profiteatur qvod ſentit, eoqve actibus externis ſuis voluntati Reip. adverſetur. II. Nec novum Papatum ſecularem ita erigi, ſubſtitutis loco unius Papæ Catholici totidem Papis aliis, quot Principes Chriſtianos orbis habet: Qvia Papatus Catholicus non ſimpliciter conſiſtit in Directorio Sacrorum, ſed in univerſali quodam Regimine omnibus Principibus majori: Quod eſt unicuique quod ſuum eſt eripere. Nec Papatui prout ſuperioribus ſeculis ſe habuit, ſatis erat Directorium iſtud Magiſtratus gerere & vi ejus alienæ Religionis exercitium prohibere, ſed & propriam Pontificiam homines profiteri volebat, qvod erat vim conſcientiis inferre, rem

enim

enim facere, qvam non faciendam ducimus, eſt contra conſcientiam agere. Nec III. Excuſandos eſſe Principes Chriſtianæ Religionis perſecutores, eandem ob cauſam: Qvia non tantum Chriſtianos Religionem ſuam profiteri prohibebant, ſed etiam ut è contrario gentilem profiterentur eosdem adigebant, qvod erat limites Magiſtratus egredi.

V.

Politici ut plenius exprimerent hoc Imperium, Poteſtatem in rebus Sacris aliam fecêre *Architectonicam*, aliam *Dogmaticam*, Vocantque *Architectonicam* Jurisdictionis ac Dominii, *Dogmaticam* miniſterialem & Characteris ſeu Ordinis. *Hanc* occupari dicunt prædicatione Verbi Dei, adminiſtratione Sacramentorum, ac proinde Epiſcopis, Inſpectoribus, Paſtoribus attribuunt; *Illam* Majeſtati relinqvunt, deinde derivant Jus ordinandi Diſciplinam Eccleſiaſticam, vocandi Miniſtros Eccleſiæ, inſtituendi Conventus Publicos, Scholas aperiendi: Qvæ omnia ſatis bene ſe habent. Alii dum Principibus Jus Religionis denegare non potuerunt; id tamen ipſis competere, non qva Principes ſunt, ſed qua Epiſcopi aſſerunt: Quod ideo admitti neqvit, quia Epiſcopi & Principes non ſunt perſonæ diverſæ, ſed illis his ſubordinati: Qvorum diſcrimen tantum in eo ſitum, quod Principes vel univerſam Remp vel omne ejus quod eſt humani juris involvat; Epiſcopus autem idem Princeps ſit, quat. in Sacris Reip. verſa-

verſatur, qvam perſonam ſeu ipſe gerat, ſeu ab alio repræſentari patiatur, parum refert. Unde, licet diverſi Principis ac Epiſcopi reſpectus ſint, non tamen ideo diſtinctas & poteſtate æqvales perſonas efficiunt, cum Epiſcopi reſpectus vel ſubordinetur Principi, tanquam omne quod ad Remp. pertinet repræſentanti, vel ejusdem reſpectibus ſecularibus coordinetur, tanquam unus ex iis, è qvibus ſimul ſumptis omnibus univerſalis Titulus Majeſtatis ſurgit.

## VI.

Exempla Imperii hujus vel integre vel ex parte à Principibus Chriſtianis exerciti jam in priſcorum Impp. conſtitutionibus Sacris videre eſt. Vid. *t. 1. C. de Summa Trinitate, de Sacroſanctis Eccleſiis, de Epiſcopali Audientia, de Hæreticis*: Item *de Selectu verſionum Scripturæ, Nov. CXLVI. de Synodis quotannis habendis Novell. CXXIII. CXXXVII. &c.* Cujusmodi quid & Carolo M. attributum fuiſſe, patet *ex c. 22. & 23. Diſt. LXIII. c. Nos ſi incompetenter C. II. Q. II.* Inde factum qvoqve, ut primi Impp. Chriſtiani nomen Pontificis Maximi licèt è Gentiliſmo derivatum uſurparent, in declarandam ſuam in Sacra poteſtatem: Quos *Maximilianus I.* Imp. non nomine ſolum, ſed & reipſa imitari conatus fuit, dum dignitatem Pontificiam in ſe transferre voluit, qua de re extant literæ ipſius ad *Paulum à* Lichtenſtein *in Goldaſti* Reichs-Handlungen *fol. 96.* Conf. *Not. Dign. Ill. L. II. de Hierarch. Diſſ. II. c. II. §. I.* Inter ipſos hodiernos Pontifi-

cios

cios jam pridem *Rex Galliæ* autoritate propria tributa impoſuit Eccleſiaſticis, ab iisdem Decimæ proventuum Beneficiorum à tempore *Ludovici XII. & Francisci I.* exactæ; Jus conferendi Benificia ita Regium eſt, ut nihil in Regno ſit, quod ad Regem magis pertineat. Præterea omnes Prælati ejus tenentur ipſi præſtare Homagium Ligiũ; Solius etiam Regis eſt criminis gratiam ipſis facere & Eccleſiam reformare eumque in finem Principes & Prælatos ſuos congregare, non requiſita Papæ autoritate. Denique nec valida eſt Cenſura aut Anathema Roma emanans, niſi Reges id ratum habeant: Quod peculiaribus Edictis *Caroli V.* A. MCCCLXIX. & *Caroli VII.* A. MCCCCXL. ſancitum fuit, idemque hodierni Regis Arreſto MDCLXV. confirmatum, cum Sedes Romana cenſuram Sorbonæ damnaſſet Vid. *cit. loc. de Hierarch. c. I. §. VII. tum Job. Bedaum Jur. Reg. c. VII. Ludov. Servin. Vindic. ſecundum Libertatem Eccleſ. Galliæ.* Sic Reſp. *Veneta* Leges condidit *I.* de non alienandis Bonis Immobilibus per Subditos Laicos in Perſonas Eccleſiaſticas abſque Principis conſenſu. *II.* De non ædificandis Eccleſiis aut Monaſteriis eodem Principe inconſulto. *III.* De facultate judicandi & puniendi Clericos pro delictis atrocibus: Quæ quidem cauſa fuerunt, cur Veneti A. MDCVI. à *Paulo V.* excommunicarentur, ſed qui ea re magnopere haut affecti, jura ſua armis qvæſiverunt & re tandem amice compoſita retinuerunt. V. *Marc. Anton. Peregrin. Reſponſum*

*pro*

*pro Decretis Reip. Venetæ* & alios magno numero de eadem materie *ap. Goldaſt. T. III. Monarch. S. R. I.* qui & lucem non exiguam hiſce noſtris affundent. Similiter *Angli* Statutis *Præmunire & de Mortmaine* jam pridem aditum recluſere ſecutis ſub *Henrico IIX.* motibus, quibus ille poſtea, ſtrenuus alioquin aſſertor Religionis Pontificiæ, Supremum Caput Eccleſiæ haberi voluit, pœna capitis ſimul propoſita, ſi qui poteſtatem aliquam aut jurisdictionem per Pontificem Romanum intra aliqua Regis Dominia ullo modo defenſuri aut promoturi eſſent. Vid. *Cowel. Inſt. Jur. Angl. §. 41. de Publ. Judic.* Alia infinita, quæ hujus loci ſunt, Vid. *in incomparabili Stripto III. Tomorum Goldaſti de Monarchia S. R. I.*

VII.

Ad *partes* pergimus: Qvæ ſunt I. *Jus ferendi Leges Eccleſiaſticas*; Fruſtra enim Imperium foret, niſi qvid factu opus eſſe jubere poſſet. Exempla tradita initio præc. §. Sic Auguſt. Ep. L. *Serviunt Reges Terræ Chriſto etiam Leges ferendo pro Chriſto.* Unde ſeqvitur I. *Facultas Doctrinam Sacram ſi non proponendi* (hanc enim Poteſtati Dogmaticæ reliqverimus) *ſaltim ſtabiliendi*: Qvia enim Deo placuit S. Scripturam ita nobis non proponere, quin variæ de ſenſu ejus opiniones naſcerentur, reliqvum erit ut aliquam earum noſtram faciamus: Qvod ſi vero privatæ alicujus opinioni inſiſtere velimus, jam habebimus licenter evagaturas & in infinitum diſſenſuras mentes hominum, eoqve

R non

non concordiam ſed turbas in Rep. perpetuas, qvia unusquisqve genio ſuo duci vellet, qvod §. *III.* pluribus diductum. Reſtat igitur ſola illa, qvam Princeps approbat & confirmat: Qvi, quoniam totius Reip. Saluti invigilat, præſumendus eſt id etiam conſulturus eſſe Subditis ſuis, quod animabus ipſorum maxime conducit. Ac fatendum qvidem eſt, *Subditi conſcientiæ ita non ſatisfieri, & ſi aliter ſentiat, à nemine impediri poſſe*; Sed 1. Quicquid hic diſſeritur, id non niſi de actibus externis intelligi poteſt, de quo actum §. *IV.* Nec 2. qvisquam erit, qvi ſtringens argumentum id eſſe velit: Principem juſſiſſe talem doctrinam recipi. E. doctrinam iſtam veram eſſe; Sed tamen quia privati ſingulorum actus ſtringenti nullo componi poſſunt, hoc ſaltim reliquis prævalebit, licet tantum ut morale & perſvaſorium: Nos ideo tale interpretamentum Scripturæ, aut doctrinam talem aſſumere, qvia pax & tranquillitas Publica dictitat, Principem potius ſeqvendum, qvam privati uniuscujusque ductum.

IIX.

Eadem Poteſtas infert *Jus mutandi Religionem.* Quia enim Doctrinæ Sacræ ſtabilimentum à Principe pendet, idem & mutationem ei addere poteſt. Sed dubium non leve eſt, *Statum Religionis hac ratione futurum mutabilem.* Cui Reſp. 1. id periculum non in Sacris duntaxat, ſed in aliis qvoque rebus obtinere; Inde vero tantum ſequi nullum vitæ humanæ ſtatum ſine incommodis eſſe. 2. Ob peri-

periculum abutendi, Jus ſuum nemini denegandum eſſe, alioqui nullum jus uſpiam ſalvum foret. Unicum e. hic ſolatium in Divina Providentia eſt, qvæ uti omnium hominum animos in poteſtate habet, ita ſpeciali quodam modo cor Regis in manu gerit *Prov. XXI. v. I.* Et Deus per bonos æqve ac per malos Reges operatur opus ſuum. Interdum tranqvillitas, interdum tempeſtas Eccleſiæ utilior. Vid. *Grot. de Imp. S. P. circa Sacra, C. IIX.* Accidit etiam ut LL. Regni vel alio jure Poteſtas hæc aliqvando circumſcribatur: Qvemadmodum in Imperio noſtro reformandi hoc Jus ad Calendas Januarii A. MDCXXIV. reſtrictum eſt, ut ſubditi Catholicorum & Auguſtanæ Confeſſionis, etiamſi poſt Pacem publicatam diverſam à Territorii Domino profiteantur Religionem, tolerandi ſint, ſi illo tempore Catholicam vel Proteſtantium Religionẽ coluerint. Vid. *Inſtr. Pac. Art. V. §. 12. v. Hoc tamen non obſtante.*

IX.

III. Inde ſequitur *Jus ferias ordinandi* *Vid. L. Qui poſſit ferias indicere 4. C. de Feriis. Et L. Enumeratio Feriarum ſolennium 7. C. eod.* Quam tamen itidem circumſtantiæ aliqvæ circumſcribere poſſunt. Sic namqve *Sereniſſimo Electori Brandenburgico* placuit Calendarium Novum in Pruſſia ſua tolerari vi *Tranſact. Velav. p. 284. Edit. ad P. IV. Thulden.* E contrario Proteſtantes in Germania idem reſpuerunt, ob inhabilitatem conſtituentis, cauſati qvippe Pontifici M. ita curam ac ordinatio-

nem Sacrorum conceſſum iri in præjudicium Autoritatis Imperatoriæ: Quæ res & in Comitiis de A.MDCLIV. denuo agitata & ad præſentia remiſſa fuit. *Vid. R. I. A. MDCLIV. §. Et ſi nobis.*

X.

Eodem IV. pertinet *Jus indicendi Concilia.* Qui enim Doctrinam ſacram ſtabilire, mutare, & ſolenniter celebrari jubere poteſt, qvidni & Subditis ſui circa Sacra verſantibus conventum indicere & cum iis in deliberationem deſcendere poſſit? Sic in veteri Eccleſia è Conciliis Univerſalibus *Epheſinum* I. coram Comite Candidiano ad præſidendum ab Imperatore miſſo celebratum fuit, *Chalcedonenſe*, coram Imp. Marciano & Judicibus ab eo deſignatis, &c. Idqve etiam in reliqvis, quorum Acta non extant factum fuiſſe, ut in Concilio *Nicæno* à Conſtantino M. & *Conſtantinopolitano* I. à Theodoſio Hiſtorici iſtorum temporum teſtantur: Adeo ut Principes aut Delegati eorum imperarent, quid eſſet tractandum, qvis ordo ſervandus, cui loqvendum, cuive tacendum eſſet & difficultates inde naſcentes aut terminarent aut conciliarent. *Petr. Suav. H. C. Trid. L. II. p. 152.* Adde Scriptores Anti-Catholicos paſſim. Unde & *Proteſtantes* ſuperiori ſeculo, cum *Paulus III.* illis per Paul. *Vergerium* Legatum ſuum perſvadere conaretur, iſtam poteſtatem ad ſe ſpectare, Cæſaris & reliqvorum Statuum eſſe jus ſuum in Conciliis interponere proteſtati ſunt I. *P. Suav. L. I. ad A. MDXXXV.* Iidemq; poſtea A. MDLXII.

Decre-

Decretis Concilii Tridentini oppoſuere: Concilium iſtud à Papa indictum fuiſſe, cum non ille, ſed Imperatores ac Reges Concilia legendi poteſtatem habeant. V. *Polit. Imper. Gold. Part. XXVII. num. 8.* Sic etiam A. MDCXIX. Synodus *Dordracena* auſpiciis Ordd. Fœderati Belgii habita; Et indicēte *Vladislao IV.* Rege Poloniæ A. MDCXLV. Colloqvium Charitativum *Thorunienſe.* In *Anglia* Nationales Synodos, qvas *Convocationes* vocant, ſolus Rex autoritate ſua convocat. *Stat. Henr. IIX. A. XXXV. C. XIV. A. I. Elizab. c. I.* Nec Canones ſanciri poſſunt, niſi Regis & Parliamenti conſenſu corroborati: Immo ne Provinciales qvidem ab ArchiEpiſcopis convocari poſſunt, vel Canones condi, vel conditi executioni mandari ſine autoritate Regia. Vid. *Stat. cit.*

XI.

*Quid de tolerantia diverſarum Religionum in eadem Rep.* ſentiendum ſit, & qvousqve illa ferri debeat, hic non immerito ſubjiciendum. Namq; *improbandam non eſſe* ſvadet, quod I. Reſp. ſic numeroſa reddatur II. Ampliſſimis commerciis locupletetur, id quod in Belgio maxime elucet. E *contrario* eadem deſcriptæ hactenus Poteſtati LL. Eccleſiaſticas ferendi adverſari videtur ex hoc capite, quia *dum diverſæ Religiones permittuntur, diverſis etiam & conſequenter contradictoriis regantur Legibus: Quas Majeſtas nec condere poteſt, nec amplecti.* Reſp. Majeſtatem in hoc caſu vel particulares LL. nullas condere, ſed optione alterutram



Digitized by Google

ſententiam eligendi propoſita rem in medio relinquere, vel, quod communius eſt, condere quidem Leges, ſed conditarum effectum ſuſpendere, adeo ut eas obſervari à Subditis pertinaciter non exigat. Prius accidit, ubi æqua libertas diverſis Religionibus conceditur, qualis eſt in Imp. noſtro *Catholicæ*, *Lutheranæ* & *Reformatæ* vi *Art. VII. Inſtr. Pac.* Cujus ratio eſt quia Sacratiſſimi Cives hujus Reip. noſtræ ipſi rerum Sacrarum opinione inter ſe diſſident: Unde non poſſunt non indifferentiam aliquam Perſonæ morali Imperii noſtri quam ſimul repræſentant, imprimere. Poſterius ibi obtinet, ubi perſonæ Remp. repræſentantes vel omnes vel pleræque unius Religionis ſunt, qui qvoniam à ſe ipſis diſſentire nequeunt, merito cenſentur ſententiam ſuam non indifferentem relinquere, ſed ejusdem certo poſitæ effectum ſolummodo ſuſpendere. Unde fit qvoqve, ut eodem libertatis gradu omnes haut æqve donare poſſint, ob metum turbarum inde naſcentium: Subditorum enim æqvali Libertate diſſidentium unusquisque alterum ſubruere conatur, ſicque certiſſimis turbis Remp involvi exemplum titubantis Angliæ ante paucos annos docuit. Ideo & Praxi plerarumque Rerumpp. hodierna receptum eſt, ut dum multæ ſunt Religiones, una prædominetur, cæteræ autem tolerentur qvidem, minus libere tamen habeantur. Sic in *Gallia*, cum duæ Religiones ſint *Catholica* & *Reformata*, Catholica prædominans eſt, Reformata Inferior, &
talis

talis qvæ toleretur, ſed limitibus ſuis coarctata, de qvibus V. *Declarationem Regiam de A. MDCLXIX. in Append. ad Contin. XIIX. Diar. Eur.* *In Belgio* Reformata Religio prædominans eſt: Catholica, Lutherana, Anabaptiſtica tolerantur cum hac Inferioritatis nota, quod nullis harum Religionum aſſeclis liceat vel editiora templa vel turres excitare, vel campanis ad ſacros ſermones audiendis ſigna dare: Quare exercitia talia privato-publica vocare ſolent. Similia exempla in aliis Regnis & Rebuspp. proſtant: Qvibus hoc deniqve addendum, Tolerantiam diſſidentium non promiſcuam eſſe poſſe, ſed Bono Publico adæquari: Unde ſi ſint inter diſſidentes, qvi noceant iſti, præſtat eos ejici, qvam continua in conſilia ipſorum vigilantia fatigari. Sic in Jure videmus *Judæos* toleratos, ſed *Sarracenos* ejectos; Hi enim nocere poterant, illi per omnia ſervire parati erant. *Cauſ. XXIII. Qv. IIX. c. XI.* Et *in Anglia* non tantum Religio *Catholica*, ſed etiam *Presbyterianiſmus, Independentiſmus* acſſ., licet fundamendo ab Epiſcopalibus haut magnopere differant, ſevere prohibentur ob periculum ſeductionis, turbarumque inde pullulantium. Confer. *Sprenger. Ax. Stat. II.*

XII.

*Altera* pars Imperii Sacri eſt *Eccleſiaſtica Juriſdictio*, ſeu LL. latarum executio: E qua derivatur *Jus conſtituendi Epiſcopos*, *Jus Beneficia Eccleſiaſtica conferendi*, &ſ. Item *Jus Conſiſtoria conſtituendi*, h. Tribunalia ad decidendas cauſas Eccleſiaſti-

ſiaſticas: Quarum nomine comprehenduntur I. *mere ſpiritualia*, h. quæ Religionem ejusque cultum, conſtitutiones Miniſtrorum &c. concernunt. II. *Spiritualia ratione conſequentiæ*, quæ vel reſpiciunt diſciplinam Eccleſiaſticam, vel controverſias de perſonis & bonis Eccleſiaſticis. III. *Mixta* quæ partim ad Forum Eccleſiaſticum, partim ad Seculare pertinent: Quales cauſæ Matrimoniales, Quæſtio Juramenti, Uſurarum Crimen.

### *XIII.*

III. Ad Imperium Sacrum pertinet *Jus Advocatiæ*, h. Jus defendendi & protegendi Eccleſias in territoriis ſuis ſitas; Idque maxime in adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum conſpicuum eſt, cujus intuitu etiam Titulus Advocati Eccleſiæ in Imperatores noſtros derivatus eſt: In primitiva Eccleſia enim Seculares perſonæ, quæ proventus Eccleſiaſticos adminiſtrabant Advocati appellabantur. Ipſa vero *Bona Eccleſiaſtica* quod attinet, ea arbitramur I. Neceſſaria fuiſſe: Quia enim Sacri Miniſtri laborant pro Eccleſiâ, ab eadem etiam unde vivant peti oportebit. II. Nec improbari poſſe tam amplos aut locupletes reditus iisdem adjectos. Rationes noſtræ ſunt: I. Quia donationes iſtæ non tam amplæ fuerunt, ſed indefeſſa cura percipientium in tantam amplitudinem evectæ, eoq; tantummodò diteſcendi occaſionem, non autem ipſas divitias attulere. II. Donationes ejuſmodi factæ ſunt, ut eſſent incentivum ſu-

ſcipiendi

ſcipiendi Sacri Ordinis: Quia enim ad civilia munera propoſitis opimis præmiis recte allicimur, quidni iisdem & rerum Theologicarum cupidos ad Sacra Miniſteria allici juvet? III. Reditus iſti manent intra Remp. cui etiam non ſemel inde ingentia accreverunt commoda, quod in ſplendidis monumentis ab illis poſitis, Collegiis, Bibliothecis, Stipendiis &ſſ. liquido claret. Confer. *Diſſ. I. de Hierarch. Eccleſ. c. II. §. V.*

XIV.

Alia Qvæſtio eſt, *An ejusmodi Bona Eccleſiaſtica poſſint ſeculariſari, h. ab uſu Eccleſiaſtico in ſecularem transfrrri?* Quod *Aff.* Bona Eccleſiaſtica enim ratione uſus tantum ſunt talia, in ſe enim manent res ſeculares, quia ſunt de hunc mundo. Qvæſtio igitur eſt, an reſpectum talem poſſint exuere, quod facile fieri poſſe unusquisque cogitaverit, qvi expendet, nihil in natura rei mutari, ſed extrinſecum tantummodo reſpectum ejus; Idque tanto magis, quia bona Eccleſiaſtica conſtituunt partem Reip. cui in omnes ſui partes id licebit, quod conveniens eſſe judicaverit. Inſt. *Ultimam voluntatem ſecundum placitum donantium ſervandam eſſe.* l. 5. C. de Relig. & ſumt. funer. *Eoque quia bona hæc Deo ſemel conſecrata ſunt, Divino uſui etiam relinquenda eſſe.* Reſp. Concedi hæc, ſed in caſu Seculariſationis Remp. non agnoſcere aliqvem uſum rei Divinæ à talibus Bonis præſtari. Eoque veluti in caſu expirantis Intentionis fundatorum, res fundata ad Remp. redit,

ſic Bona Eccleſiaſtica, dum intentione fundatoris excidunt, itidem arbitrio Reip. cedunt ejusque uſibus inſervire poſſunt.

XV.

Poſſent & ſpecialiora Jura adjici, qvale in Imperio noſtro inter Reſervata Imperatoria eſt *Jus primariarum precum*, in Anglia *Jus Annatarum*, in Hiſpania *Excuſado*, ſeu debitum Eccleſiaſticorum, quod Regi quotannis ſolvunt ad ſuſtentationem XXX. triremium; Sed illa in ſpeciali deſcriptione ſingularum commodius quam in generalioribus hiſce tractatum iri arbitramur.

---

# CAPUT XIIX.

## De IMPERIO MAJESTATIS IN RES HUMANI JURIS.

*Quid res humani Juris, profana, ſecularis? Exempla curarum Reip. circa conſervationem ſingulorum earumque rationes: Commercia: Moneta: Cur precia rerum noſtro tempore creverint? Nundinæ: Jus Stapulæ: Excurſus ad conſtit. Frideric. c. un. Quæ ſunt Regalia.*

I. Non

I.

NOn minus Reip. in *Profana*, quam *Sacra* eſt Imperium; Nec aliqua hic dubitandi ratio. Ad Terminum Humani Juris ſatis eſt attigiſſe, eum Sacro opponi, ut Sacrum quod non eſt, *Humani Juris habeatur*, h. *qvod in uſum humanum cedit*: Quo ſenſu & Profanum in Jure accipitur Vid. §. 8. *Inſt. de Rer. Diviſ. & l.6. ff. de Divis. Rer.* Ipſi æqvivalet *Seculare*, h. temporis qvod in Terra nunc vivimus uſui deſtinatum; Hoc ſenſu namque ſeculum cœleſtibus & æternis opponitur, qvæ dicimus non eſſe de hoc ſeculo, ſeu hujus vitæ. Inde *ſeculariſare*, *ſeculariſatio*, actus qvo ſeculo res redditur, qvæ ſacris & conſeqventer cœleſtibus & æternis admota fuerat.

II.

Imperii effecta hic eadem, quæ in cæteris Objectis omnibus: *Curare nempe ſingula conſervari, & augeri. Curæ conſervationis* in privatis exemplum eſt *conſenſus Majeſtatis pactis* additus, ideo requiſitus ut teſtimonio ſit, publico non adverſari, quod inter privatos actum fuerat; Similis eſt *Donationum, Teſtamentorum confirmatio*, ut privato tanto major ſit ſua poſſidendi ſecuritas. Item *Tutorum & Curatorum aſſignatio*, pro conſervandis rebus eorum, qui ipſi rebus gerendis impares ſunt; Et alia totidem, quot circa Jus rerum privatarum differentiæ enaſci poſſunt. His accedunt, quæ non per Leges, ſed factam in Legibus

Digitized by Google

gibus Diſpenſationem exercentur: Qualia *Jus legitimandi ſpurios*, *Jus reſtituendæ famæ*, *Jus veniã ætati dandi*, *Jus permittendi inducias moratorias debitoribus*: Quorum rationes in ſtudio conſervandi jura ſingulorum, illudque ſequenti teſtimonio, ea univerſitati in qua vivunt non adverſari, ſitæ ſunt. Nec minor cura rerum publicarum & communium, cujusmodi ſtudium conſervandi *ædificia publica*, *muros*, *portas*, *theatra*, *item vias publicas*, *portus*, *flumina & inde nata Jus concedendi ſalvum conductum*, *Jus Poſtarum* &c. Omnia ut quicquid in Rep. extat rite ac decenter ſe habeat, neve vel damno vel qverelæ uſpiam relinqvatur occaſio.

III.

*Augmenta* ſuorum Reſp. procurat *Commerciis*: Quæ ſunt actus in permutandis mercibus occupati: *Merces* res ipſæ pro humano uſu *translocabiles*; Ita enim eas vocare malumus quam permutabiles: Quia quod translocari nequit, id mercium nomine non venit, veluti agri, vineæ, domus non vocantur merces, cum, licet permutentur, translocari tamen nequeant. Curæ ratio in eo ſita, quia nulla regio eſt quæ ſibi ipſi omniũ rerum copia ſufficere poſſit; Defectibus igitur ſupplementum afferri oportuit mutuo commercio. Incrementorum inde ſumptorum exempla ſunt in vaſtiſſimis viribus *Venetorum*, *Belgarum* & antehac *Hiſpanorum*, qui ſolis commerciis emerſerunt. Ne dicamus humanorum Ingeniorum cultu-

culturæ etiam iis incrementa addi; Ideo enim *Cambri in Britanniis, Aſtures & Biſcajenſes Montani in Hiſpania* adhuc minus politis moribus ſunt & horridiorem vitam exhibent, quia à commerciis alieni & extra converſationem cum exteris poſiti ſunt. Hinc etiam ceſſarunt illæ è Septentrione olim ſuſceptæ migrationes gentium, quia loca noſtra jam copioſa bonorum ſuppellectile per commercia inſtructa ſunt, nec amplius ex rapto vivimus more majorum noſtrorum, qui cum audirent *Gallias* & *Italiam* omni opum genere abundare, non poterant non deſiderio tam fortunatarum regionum excitari & propoſitum natale ſolum retinendi abjicere.

IV.

Ex Jure & cura hac fluit Jus ***monetam cudendi***; ***Moneta enim eſt Signum publicum permutationes rerum dimetiens.*** Et neceſſitas ejus inde, quod ipſarum rerum permutationes ſine gravi incommodo fieri nequeant, unde æquivalens aliquod univerſale ſubſtitui oportuit. Ipſius cura majeſtatem eo propius tangit, quo univerſalius inſtrumentum eſt omniumque uſui & abuſui æque expoſitum. Quem in finem & imaginem Principis aut inſignia Reip. gerit pro demonſtrando jure ejus: Quo ipſe Chriſtus etiam Judæos remittit, *Matth. XXII. 20.* Et *Belgæ* ideo Fœdere Ultrajectino Inſignia *Philippi II.* monetæ amplius imprimi vetabant, quia ſumma poteſtate in Provincias ſuas ipſum exuerant. Sic & â Principe *valorem,*

h. æquo

h. æquo æſtimio publice definiri, expectat; Cujus ratio naturalis licet peti poſſit à præſtantia metalli ejusque raritate; Legalis tamen unice eſt voluntas Reip. unde & ipſi nummi papyrei, coriacei, Cuprei aliquando cuſi, neceſſitate ita ferente. Sed quorum hoc incommodum, ut extra Remp. non valeant, quippe extra quam ſolus valor naturalis attenditur. Addimus hiſce, monetam requiri I. *Compendioſam. II. Raram* eſſe, quod è ſupp. patet. *Prius*, quia Inſtrumentum eſt dimetiendorum commerciorum, ideoque commoditatem aliquam involvere oportet, alias res ipſæ cum rebus commutari poſſent: *Poſterius*, ne unicuique perinde occaſio pateat in res noſtras involandi: E quibus arbitramur Quæſitum decidi poſſe: *Cur poſt tot inventas mineras Auri & Argenti precia rerum noſtris temporibus creverint, cum ſuperioribus ſeculis longe minora eſſent.* Cui Reſp. Cauſam hanc ſubeſſe, quod moneta ex eo tempore copioſior reddita fuerit, eoque q. eviluerit, quam raritas major alias majori rerum copiæ æquiparaverat. Ex eodem colligimus non è re futurum, ſi *Chryſopœja* ſeu ars aurum conficiendi innoteſceret, quia tunc aurum evileſceret, hominibusque ſi non aliud, certe moleſtia crearetur, ut de novo aliquo medio rariori, quod commercia dimenſurum eſſet, cogitare cogerentur.

V.

Pro commoditate univerſali commerciorum etiam *Nundinæ* introductæ ſunt, h. *generales mercatus*

Digitized by Google

*catus in liberiorem commerciorum uſum conſtituti.* *Mercatus*, i. conventus negociantium in jure emendi ac vendendi occupati; *Generales* in diſcrimen à ſpecialibus, quas Magiſtratus municipalis erigere poteſt, cum Nundinas concedere penes ſolam Majeſtatem ſit *L. un.* C. *& l. 1. ff. de Nund.* Et deinde liberiorem Commerciorum uſum procurant, ut merces majori copia invehantur, & Mercatores in tractandis iis non impediantur, quem in finem etiam introductum, ut dum aguntur, neminem liceat prætextu debiti vel convenire vel detinere. Dn. & *Jure Stapulæ* commercia in extantioribus locis ſtabiliri ſolent, cujus effectus eſt, vectores merciũ cogere, ne alio pergant, niſi aliquot diebus merces ſuas in Stapulæ foro vendendas expoſuerint: Quod tamen non ad quaslibet, ſed majores merces trahi amat. Nec id ſemper ſine decremento vicinorum eſſe patuit è querelis Regis *Daniæ*, quas ante proximum Bellum *Suedicum* de *Suedis* egit: Ipſos de Jure *Stapulæ Gotenburgi* ordinando conſilia agitaſſe, ut coactis eo pro ſecuritate ſua commerciis Regem Daniæ alioſque vicinos Mercatura & mediis ſpoliarent. *Manif. Dan. p. 52.*

## VI.

Cæterum & huc pertinere videtur notabilis iſte Regalium Index, quem exhibet Conſtitutio *Frider. c. un. Quæ ſint Regal. Regalia, Armandiæ, viæ publicæ, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ vulgo dicun-*

*dicuntur telonia, moneta, multarum pœnarumque compendia, bona vacantia, & quæ ut ab indignis legibus auferuntur, niſi quæ ſpecialiter quibusdam conceduntur: bona contrahentium inceſtas nuptias, comdemnatorum & proſcriptorum, ſecundum quod in novis conſtitutionibus cavetur, angariarum, parangariarum, & plauſtrorum, & navium præſtationes, & extraordinaria collatio ad feliciſſimam Regalis numinis expeditionem, poteſtas conſtituendorum magiſtratuum ad juſtitiam expediendam: argentaria & palatia civitatibus conſuetis: piſcationum reditus, & ſalinarum, & bona committentium crimen majeſtatis, & dimidium theſauri in loco Cæſaris inventi, non data opera, vel loco religioſo: ſi data opera, totum ad eum pertineat.* Sed maxima pars horum alius generis ſunt, nec adeo ex Imperio Publico fluunt, quam ſingulari quodam & tacito pacto omnium Reip. membrorum, ut cum ad privatorum neminem pertineant, Principi adjudicentur: Quo ſenſu & *Regalia minora* communiter appellari autumamus: *Quæ potius ad fiſcale jus & proventus, quam ad ipſam ſupremam autoritatem, dignitatem & poteſtatem ſpectant. Regn. Sixtin. de Regal. L. I. c. II. n. 54.* Qui & integro Libro II. ea ſingillatim proſequitur. Solum excipiendum, *Jus Armandiæ*, quod ſi eſt Jus arma fabricandi & habendi, ad Jus Belli pertinebit: Tum Jus viarum publicarum, fluminum, portuum, monetæ, de quibus ante dictum: Vectigalia & telonia inter tributa ſunt; Angariarum, Pa-

Parangariarum, Plauſtrorum & Navium collationes, item extraordinaria collatio ad expeditionem videntur Dominium Eminens propius tangere: Dn. poteſtas conſtituendorum Magiſtratuū ad Titulum de Judiciis pertinet. Cætera cuncta id habent qvod diximus, ut ad Principem indubie pertineant, non tamen vi Imperii, ſed taciti omnium privatorum pacti, qvo Principi relinqvunt, qvod ad neminem è medio ſui pertinere agnoſcunt.

# CAPUT XIX.

## *De* SUBDITIS.

*Subditorum natura & requiſita: Eorundem obedientia è Sacris petita: An ad inhoneſta extendi poſſit? Subditum non poſſe inſurgere adverſus Principem ſuum: Principiorum Rebellionis excuſſio: Homagium: Alia Subjectionis ſigna: Perſonas Eccleſiaſticas etiam inter Subditos eſſe: De Peregrinis, Naturaliſatione, Judæis: Quid Cives? Quid Comitia?*

I.

Perſonæ alteram partem Objecti Majeſtatis conſtituunt, cujus ratio jam ante reddita. Omnium commune nomen eſt *Subditorum* nomen, cum in Rep. unumquemque vel

 impe-

imperare vel ſubjici oporteat; Imperare autem ſola perſona poſſit, quæ Majeſtatem gerit. Cæteri e. omnes Subditi ſunt, h. *perſona Imperio Publico ſubjecta.* Cujus Explicatio repetenda ex *Cap. VI. §. I. VII. IIX.* E qva etiam fluit Subditum teneri obedientiâ Publico præſtanda, eaque & *poſitivè,* h. propoſito explendi mandata publica, & *negativè,* ſeu propoſito non reſiſtendi: Cujus effectus iterum eſt ſuſpenſio judicii de rebus faciendis vel omittendis, ſeu ut teſtemur nos nec dicto nec facto rebus imperatis diſſenſuros: Quæ omnia dilucidata *eod. Cap. §. IIX.*

II.

*Quanta ſit requiſita hæc Subjectio & Obedientia* ſi quæratur, Reſp. breviter, *Simplicem* & *Abſolutam* requiri; Talem enim eſſe oportet, quæ poteſtati abſolutæ Reip. reſpondeat, ne illa hanc fruſtra habere, ſicque ipſa Reſp. fruſtra conſtituta eſſe videatur: Quod paſſim demonſtratum. Vid. *Cap. VI. §. VII. IIX. Cap. XI. §. I. II. Cap. XII. §. II. Cap. XXI. §. IV. V. &c.* Confer. *Hobbes de Civ. c. VI. XIII.* Neq; etiam Sacra aliud extra hoc dictitant: Debere nimirum Subditos Reip. ſimplicem & abſolutam obedientiam. Ita Chriſtus *Matth. XXII. 3. In Cathedra Moſis ſedent Phariſæi & Legisperiti: Omnia e. quæcunque dixerint vobis ſervate & facite.* Omnia facere eſt ſimpliciter obedire; Et ratio addita, quia ſedent in Cathedra Moſis, qvi Imperii Divini in Iſraelitis vicarius fuerat. Et Paulus *Rom. XIII. I. Omnis ani-*

*ma*

*ma poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Igitur omnes Reges divinitus ordinati ſunt. Atqui omnes Reges Pauli tempore requirebant abſolutam obedientiam; E. ſimplex & abſoluta Divinitus eſt ordinata. Similiter Petrus *I. Pet. II. 13. Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tq. ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.* Quod argumentum prorſus idem eſt cum priori: Voluntas nempe Dei eſt, ut ſubjecti ſimus omni humanæ creaturæ; Omnes vero tunc abſolutam obedientiam requirebant. E. Voluntas Dei eſt, ut abſoluta ſubjecti obedientia ſimus. Iterum Paulus *Tit. III. 1. Admone illos Principibꝰ & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonorum paratos eſſe.* Atqui Principes iſtorum temporum non alii erant, quam qui ſimplicem exigebant obedientiam. E Veteri Teſtamento huc facit parabola Rhamni *Judic. IX. 14. Dixeruntque omnes Arbores ad Rhamnum, Veni & impera nobis; Rhamnus autem reſpondit iis, ſi vere me conſtituitis Regem, venite & ſub umbra mea requieſcite, ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno & devoret cedros Libani.* Senſus eſt: Acquieſcendum eſſe in Dictis eorum, qui ſummum Imperium habent, niſi velimus incendio belli civilis conſu-

mi. Confer. *Deut. V. 17. Joſ. I. 16.* ap. *Hobbes de Civ. c. XI. §. VI.*

III.

Nec tamen ſimplicem iſtam obedientiam ad *Mandata inhoneſta* extendi patet, quia ad alia non præſumitur extendi poſſe, quam ea quæ in poteſtate noſtra ſunt: Qualia inhoneſta non ſunt, quia ſimpliciter diſcrepant à natura rationali; Et licet Status Socialis aut Civilis nũquam extiturus fuiſſet, nos tamen nihilominus iis abſtinere oportuiſſet. Confer. *Cap. XIII. §. V.* Ubi & vulgo uſitata Reſponſio examinatur: *Subditum in ejusmodi caſu non obligari quidem ad Obedientiam, ſed tamen ad Pœnam.* Doctiſs. *Hobbes c. VI. §. XIII.* alias rationes Theſi noſtræ ſuggerit. I. Quia ſubditi in prima Conſtitutione Imperii non præſumuntur id pacti fuiſſe. II. Nec Jus Imperii irritum reddi, etiamſi Subditus mandatum tale non faciat. Cujus cauſam ille reddit, quia etiamſi nos negaverimus, alii tamen haberi poſſint, qvi id facere juſſi non recuſabunt. Sed falſum hoc, nemo enim in facinus inhoneſtum libertatem habet. Vera ratio autem eſt, quia Jus Imperii neceſſario ſubordinatur Juri Rationali, à quo inhoneſta perpetuo diſcrepant. Unde irritum fieri nequit, quia quod ab univerſaliori diſcrepat, idem & à minus univerſali, quod altero iſto comprehenditur, diſcrepare neceſſum eſt.

IV.

Cæterum *Subditum nullo modo poſſe inſurgere adver-*

*adverſus Principem* ſuum in iis quæ diximus manifeſto liquet. Si enim inſurgit, declarat, vel Principem deſiiſſe eſſe Principem, vel ſeſe ſubjectione Principi debita ſolutum; Neutrum verò in eum qvadrat, quem facultate judicandi deſtitutum jam introduximus. Æqve gravis ratio eſt, Principem à Subditis in judicium trahi non poſſe, cum nemo poſſit Judex adverſus eum nominari, quo Inferiores ſunt univerſi: Quod ſapientiſſime urſit *Carolus* I. Anglorum Rex, cum Parliamento Sangvinario ſiſteretur; Nec bello etiam ab iis peti poteſt, quia illud gerendum eſt autoritate publica quam allegare neqvit, qui eam oppugnat. Unde frugi Subditorum munere functus eſt Populus Galliæ, cum A. MDCXV. à Nobilium & Eccleſiaſticorum ordine peteret, ut pro Lege Fundamentali in poſterum haberetur, Regem Galliæ nullo caſu exautorari poſſe: Cujus rationes ex parte laudavimus *Cap. XII. §. IX.* Et meritas pœnas luit *Joh. Marianæ Liber de Rege & Inſtitutione Regis*, quo cum doceretur, Subditos Regibus aut Principibus ſuis vim inferre poſſe, ille Decreto Parliamenti Pariſ. A. MDCX. igni adjudicatus & publice combuſtus fuit. Quod ibi A. MDCXIV. & *Franciſci Suarez Libro de Confeſſione Fidei Catholicæ* & A. MDCXXV. Antonii Sanctarelli Scripto de Hæreſi & de Poteſtate Summi Pontificis ob cauſam eandem accidit. De illis vid. *Contin. Thuan. L. III. p. 86. & L. VII. p. 409. 410.*

V.

Neque alia ſunt Subditorum pro exuta aut exuenda obedientia ratiocinia, quam Tranquillitati & Paci Publicæ adverſa Principia. Quorum conſpectum ſiſtit ſæpe cit. *Hobbes c. XII.* Nosque ea paſſim diluimus. Summa eſt: I. *Subdito concedi facultatem judicandi de rebus ad Remp. pertinentibus.* At ſi facultas hæc ſine effectu eſt, fruſtra data eſt, ſi cum effectu, jam totidem mutationes habebimus, quot Ingeniorum ſingulorum ſunt impetus, ſicque ſimul totidem Majeſtates in una Majeſtate Reipublicæ. Et nihiloſecius demum enaſcetur Quæſtio, cujus inter omnes judicio tandem ſtare oporteat? Omnium Dei Præceptorum antiquiſſimum eſt Gen. II. 15. *De Ligno Scientiæ boni & mali ne comedas.* Et antiquiſſima tentationum Diabolicarum G. III. 5. *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.* Et prima Dei cum homine expoſtulatio v. 11. *Quis indicavit Tibi, Te nudum eſſe, niſi quod ex Ligno, de quo præceperam Tibi, ne comederes, comediſti.* Quaſi diceret, unde judicaſti nuditatem, in qua viſum eſt mihi Te creare, inhoneſtam eſſe, niſi quod cognitionem honeſti & inhoneſti tute Tibi arrogaſti. *Hobbes c. I. §. I. II. Principi non eſſe obtemperandum, niſi juſta præceperit:* Quod è præcedenti Principio veluti manat, ita cum eodem quoque facile corruit. Quis enim dixit Tibi, Principis mandatum injuſtum eſſe? Confer. *Cap. XIII. §. V.* At ſi manifeſtò injuſta vel inhoneſta ſunt? Dictum de eo *præced. §. III.*

 Cui

Cui addimus, reſtare ſaltim actum negativum Obedientiæ de non reſiſtendo *ex §. I. III. Mandata Principis aliquando ſalva conſcientia expleri non poſſe.* Reſp. 1. Iterum ſupereſſe ſaltim negativum obedientiæ actum de non reſiſtendo. 2. In negociis Reip. ſcrupulo huic locum non eſſe, qvia in iis non peccatur peccato proprio, ſed alieno, unde nec nobis, ſed Reipubl. peccatum tunc imputari poteſt: Quod potiſſimum elucet in caſu, ſi juſſu Reip. in Bellum proficiſcimur, quod autumamus injuſtum eſſe. IV. *Tyrannicidium eſſe licitum.* Sed is quem occidi ut Tyrannum volunt vel jure imperat, vel absqve jure. Si absqve jure, hoſtis eſt & jure occiditur; Tunc vero non eſt tyrannicidium, ſed hoſticidium. Si jure imperium obtinet, rurſus locum habet interrogatio Divina: Quis indicavit Tibi, iſtum Tyrannum eſſe? Aut cur appellas tu Tyrannum, quem Deus Regem fecit, niſi quia cognitionem boni & mali ad Te traxiſti. *Hobbes ſ. III.* Adhæc pernicioſum eſſe Rebuspublicis hanc opinionem teſtatur, quod per eam qvilibet Rex ſive bonus ſive malus unius ſicatii judicio condemnandus & manu jugulandus exponitur: Adde quæ de parricidis *Henrici III.* & *Henrici IV.* Regum Galliæ, *Wilhelmi Orangii* &c. Scriptores iſtorum temporum obſervant. V. *Non contra Principem, ſed ejus Miniſtros agi:* Cum præſumendum non ſit, miniſtros aliquid agere diſſentiente Principe. VI. *Majeſtatem LL. eſſe ſubditam:* Qvod ſi eſt, jam iterum cognitio Juſti &

 Injuſti,

Injuſti, h. jus definiendi quid fieri vel intermitti debeat ad ſingulos rediret. *Hobbes §. IV.* Reliquis quæ habet ſuperſedemus, cum non adeo univerſalia, quam particularia & Statum Anglicanum concernentia videantur eſſe, cui ille ſua etiam plerumque applicari amat.

VI.

Qvia vero unamqvamq; obligationem metus Damni, ſi ſecus fiat, imminentis comitatur, metum potentiæ divinæ ſubjectioni ferendæ addi gentibus placuit. Unde *Homagium*, *h. Juramentum ſubjectionis publice præſtitum*: Ut ſi violetur ſubjectio, Deū tanqvā ultorem violationis nobis ſtatuamus. Non, qvod Subditi ante præſtationem ejus à Subjectione immunes ſint, cum eam ab ipſo ortu ſuo Principi debeant, adeo ut licet Juramento nunquam obſtringerentur, nihilominus qvodcunqve ab iis exigitur, præſtare teneantur; Sed ut Subjectio jam ante debita tanto certius confirmetur: Æqve ac in omnibus aliis pactis juramenta novam obligationem non producunt, ſed factæ certitudinem tantum confirmant. Vid. *Cap. V.* §. *IX.* & *X.* Diſtingui ſolet *in Purum* & *Limitatum.* Limitati genus ſunt *Homagia Eventualia*, qvale à *Suedis* regente *adhuc Chriſtina Carolo Guſtavo* q. anticipando A. MDCL. præſtitum fuit. Alia Subjectionis ſigna paſſim obvia ſunt. In *Ruſſia* Magnum Ducem qvi ſcripto adeunt, diminutiva nominis ſui appellatione ſe inſigniunt; Ut *Petruke* loco Petri, *Iwanke* loco Johannis. Vid.

*Olear.*

Digitized by Google

*Olear. Itin. Perſ. p. I.* Porta *Otomanica*, Aula *Anglicana* & *Hiſpanica* Subditos coram Principe ſuo genua flectere jubent &ſſ. Qvorum notitiam edidimus *Not. Dign. Ill. Diſſ. VI. de Cultu Regum.*

VII.

*Omnes* perſonas extra Principem Subditorum nomen ferre dictum *§. 1. Perſonas Eccleſiaſticas* qvoqve, qvia Eccleſia eſt in Republica, qvod demonſtratum *Cap. XVII. §. II.* Unde & pars earum ſæpe Republica excluſa, qvod frugi ſubditorum munus haut explere crederentur; Veluti *Jeſuitæ* antehac Rep. *Veneta* & *Archiepiſcopatu Saliſburgenſi* exeſſe juſſi ſunt, quod Aulæ Romanæ commodis contra Remp. inſiſterent: Eandemq; ob cauſam alii è ſacro Ordine inter Catholicos conſiliis adeſſe non permittuntur, quia jurarunt in commoda Pontificis M. obſervanda. Peculiarem Remp. ab ipſis conſtitui non poſſe evidens ratio urget, quia geminam Majeſtatem in Rep. poni oporteret, quod fieri neqvit; Et Catholicorum moribus qvidem res aliter ſe habet, ſed iſtud noſtra parum refert.

IIX.

*Peregrinos etiam*, h. perſonas aliunde adventantes, Subditis annumerandos probamus. I. Qvia Legibus Reip. in qva ſunt ſtare tenentur; Leges enim cenſentur toti Territorio datæ eſſe, eoqve omnibus eo comprehenſis. II. Qvia Peregrini non minus juris in ſe admittere poſſunt, qvam ab alio ſibi fieri poſtulant: Jam vero à Magiſtra-



Digitized by Google

giſtratu patrocinum expectant. E. nec obedientiam ipſi præſtandam abnuent. Inſt. *Eos jam alius Reip. Subditos eſſe.* Reſp. Ideo nec Perpetuos à nobis reqviri, ſed Temporarios, h. qvamdiu in Rep. noſtra degunt. Qvæſtio, *An admittendi ſint?* geminum ſenſum habet. *I. An ſimpliciter tantum admitti debeant? II. An officiis eos admoveri juvet?* *Prius Affirm.* qvia grande momentum amplificandæ Reip. inde accedit, qvod florentiſſimi Belgii Status docet. *Poſterius* dubium, cum Indigenæ ita negligantur, pro quibus præſumptio eſt eos fide & ſcientia rerum in Rep. gerendarum instructiores eſſe Peregrinis. *Venetis* tamen peculiare eſt Militiæ Terreſtri externum præfici, cujus ratio, vel ne qvis civium militaribus copiis inſtructus plus poſſit, quam conditio æqvalitatis patitur, vel qvia, dum in rebus maritimis verſantur, militiæ terreſtri ſe minus aptos putant. Plura notatu digna hac de re vid. *in Scr. Comitis de Caſtlemanie ad Regem Angliæ de Statu Candiæ p. 26. 29.* Et in *Polonia* hactenus moris fuit, ne qvis Regum *Piaſtus* eſſet, h. indigena, ad cohibendam æmulationem Procerum. Sed ei derogatum eſt electo Serenifs. Rege *Michaele Wiſhovicio*: Cujus rationes paulo ante reddebantur. I. In Sacris Dei ad Iſraelitas mandatum eſſe: *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit Frater tuus. Deut. XVII. v. 15.* II. Ipſorum animalium greges à Diſpari non regi. III. Indicium nimis abjectorum Ingenio-

rum

rum fore non admittere è gente ſua, qvi regere poſſet. IV. In *Germania* Imperatores non fieri, niſi Germanos, nec in *Hiſpania* aut *Portugalia* Reges alios qvam indigenas, ne Decus coronæ ad exteros transferatur. V. *Piaſtum* morum Polonicorum optime gnarum eſſe. VI. Ejusdem qvoqve certiorem fidem ac divitias. VII. Exteros officiis excludi: Qvidni igitur Regno etiam? Qvas collegit Autor *Cenſuræ Candidatorum Sceptri Polonici A. MDCLXIX* ſcriptæ. Adde *Piaſec. Chron. p.* 59. Actus recipiendi Peregrinos hodie communiter vocatur *Naturaliſatio*, qvo nativis ſubditis adſcribuntur & æquiparantur: Sicqve jus *Indigenatus* ſeu Naturalitatis obtinet, h. ut eodem jure & beneficiis fruantur, qvibus nativi Subditi. Facultas *Naturaliſandi* dependet à ſola autoritate publica, qvam in *Anglia* & *Gallia* exercent Decretis Parliamentariis. Extra hunc ſtatum Peregrini non ſine incommodis ſunt: Qvale, ſi Dominus Soli natalis ipſorum adverſum Dominum, in cujus ditione ſunt, arma moveat, ut loco exire & bona ſua vel vendere vel fiſco relinqvere cogantur. Cujuſmodi qvid edicto Regis Galliæ A. MDCLXVI. M. Januar. adverſus Anglos ſancitum fuit. Eosdem Jure *Albinagii* & *Detractionis* onerari declarabitur *Cap. XXIII. in fin.* In Republ. *Iſraelitica Naturaliſationi*, vix locus dabatur, & tolerabantur qvidem peregrini, ſed Jure Indigenatus haut æqve frui poterant. Hinc & *in Portis eſſe* toties dicuntur: *Peregrinus, qui eſt in Portis*

*tuis, Exod. XX. 10. &c.* h. in protectione; Portæ enim erant loco tribunalium, ſicqve à tribunalibus & Magiſtratu juriſdictionem & patrocinium expectabant.

IX.

*Judæorum* admiſſionem & tolerantiam potiſſimum videtur ſvadere metus creſcentis excluſione eorum vicinæ potentiæ; quam damno ſuo Hiſpani jamdudum experti fuerunt. Cæterum *contra* illos militat. I. Innata ipſorum & in Chriſtanos ſæviens invidia. II. In Servatorem tota die ejectæ blaſphemiæ. III. Depravati mores & exceſſus in fœnore quærendo, cujus rei evidens argumentum eſt, quod nullas operoſas artes mechanicas diſcant atq; adeo vitæ vel ocioſæ vel fraudulentæ ſeſe mancipent: Qvam rationem Archi-Epiſcopus *Gneſnenſis* A. MDCLXIX. in Comitiis Poloni contra eos maxime urſit; Et *Clemens IX. P. M.* A. MDCLXIIX. erectis Romæ Montibus Pietatis huic familiari malo ipſorum obicem ponere conatus fuit. *Pro iis* facit I. Ut intuitu ipſorum commonefiamus divinæ adverſus rebelles iræ: Quo referunt dictum *Pſam. LIX.* 12. Nec occidas eos, ut non obliviſcantur populares mei. Exagita vero eos virtute tua & dejice eos Domine: Qvaſi David hic oret in perſona Chriſti, ne gens Judaica prorſus tolleretur, ſed in oculis Eccleſiæ paſſim oberraret. II. Qvia ſpes de iis fovenda eſt futuræ converſionis. III. Qvia ſunt conſangvinei Chriſti & Patriarcharum. IV. Qvia præſtat

Reſpu-

Reſpublicas Chriſtianorum, earumque æraria iis juvari, qvam Imperia extera, ejuſmodi ratio fere fuit, qvam initio hujus §. adduximus. Et in hanc ſententiam Catholicorum etiam plerique inclinant, cujus cauſa, quia Pontifices Maximi eos Romæ tolerant.

X.

In diſtinctione Subditorum conſiderandi veniunt alii *Puri*, alii *Eminentiores*. *Puri* ſunt, qvi ſimpliciter obediunt. *Eminentiores*, qvorum ſubjectioni juris aliqvid additum: Hoc exerit ſe in *rebus* vel *actionibus*. Ex iſto genere ſunt *Vaſalli*, qvibus Bonorum poſſeſſio peculiarem parendi rationem adjicit: Ita dicti à veteri Gothico Waſel/ obnoxius, cujus vim & in noſtro Waiſe/ pupillus hodie videmus. Subditi eminentiores ratione actionum uno nomine ſunt *Cives*. *Civis eſt, qui jure deliberandi in rebus ad ſtatum Publicum pertinentibus pollet*: Alii Juri ſuffragandi Jus decidendi addunt, & Civem vocant qvi jure ſuffragandi & decidendi in comitiis valet. Sed ita Civis, Reſpublica, Majeſtas, unum idemqve forent, cum nemini Jus decidendi competat, quam Reip. & conſequenter Majeſtati: Nec valet, in Ariſtocratia & Democratia Majeſtatem penes plures eſſe, ac proinde & plures poſſe Civium nomine venire: Qvia plures iſti Majeſtatem non gerunt, niſi qvatenus in unam perſonam Moralem coaleſcunt; Seorſim autem non alii ſunt, qvam vel noſtro ſenſu Cives, vel Puri ſubditi. Addimus tamen Civis nomen

Digitized by Google

nomen Definitioni Reipublicæ qua continetur, adæqvari: Unde velut aliæ Reſpublicæ inferiores ſunt & ſubordinatæ; aliæ ſupremæ, qvæqve inferiores complectuntur: Sic poterit aliquis in urbe eſſe Civis, qui in Provincia eſt Subditus, & rurſus, qvi in Provincia eſt Civis in Regno eſſe Subditus: Veluti in Marchia noſtra Cives Urbium veri Cives ſunt, qvia jura & ſuffragia in urbe habent: Sed iidem in tota Provincia Marchia ſunt Subditi, qvia in Provincia jure ſuffragandi carent, ſoliqve Cives ſunt, qvos Status Marchicos vocamus: Iterum Status, qui Marchiæ veri Cives ſunt, im Imperio non ſunt Cives ſed Subditi, qvia in Imperio non illi ſed ſolus Sereniſs. Elector Marchiæ Jus ſuffragii habet. Qvo faciunt & receptæ in Imperio noſtro Diſtinctiones Subditorum in *Mere Subditos & Mixtos*: Hi ſunt, qui ſimul in curam Status Publici aſſumuntur; Illi qvi nulla poteſtatis parte valent. Item *Immediatorum Imperii Subditorum*, quales Nobiles immediati, Liberi homines, Pagi immediati; Et *Mediatorum*; qui in ſingulis Imperii Provinciis Dominos ſuos agnoſcunt.

## XI.

Veniunt & *Conventus Civium* variis nominibus, pro conventuum majori vel minori amplitudine. *Conventus univerſales Civium* ſunt *Comitia*, qvæ in Anglia *Parliamenta* vocant, alibi *Diætas*, à conſvetudine Græcorum, quibus *Diætæ* erant loca Judiciorum, in qvibus conveniebant

Arbitri,

Arbitri, *Diateta* ipſi arbitri deſignati inter actorem & reum. *Calvin. V. Diata*: Ipſi Cives ſimul ſumpti tunc *Ordines*, *Status* &c. vocantur, & ſi è Nobilitate ſuperiori ſunt, in Gallia *Pares Franciæ*, item in Anglia *Pares Angliæ*, & Lingva ipſorum *Lords*, *Mylords*, alibi *Barones &c.* Conventus particulares pro cauſarum, objectorum, Subjectorum varietate ſunt *Deputationes*, *Circulares*, *Electorales*, *&c.* qvibus recenſendis immorari paginæ hæ non patiuntur.

# CAPUT XX.

## De

# TRIBUTIS.

*Tributorum à Donativis differentia: Eorum irrogatio eſt Jus Majeſtatis: Finis eorundem: Paupertatem Subditorum raro poſſe Tributis imputari: Cur aliqui iis eximantur: A quibus rebus peti poſſint? Modus Tributa colligendi: Genera Tributorum: Acciſa, Vectigalia.*

I.

EFfecta Subjectionis ſunt *Tributa, quæ vocamus penſiones à Subditis exactas.* Penſiones h. præſtationes rerum temporibus & terminis diviſæ: Qvo ſenſu penſiones veniunt *l. 3. ff. de ann. legat.* Easdemqve *à Subditis exigendas*; in diſcrimen *à Donativis*, qvæ vicini ac ſui juris

juris populi aliqvando paciſcuntur, non in recognitionem ſuperioritatis, ita enim Tributa forent, ſed ad firmandam tranquillitatem & qvietem publicam: Cauſa, qvia proficiſcuntur ex pacto ſpeciali, non pacto iſto generali, qvo dum paciſcimur nos ſubditos futuros, etiam Tributa in nos recipimus. Sic *Imp. Maximilianus II.* annua penſione XXXM. aureorum à *Selymo* Imp. Turcico inducias octennales pactus fuit; *Poloni* ſimiliter à *Tartaris* tranqvillitatem, & ſæpe auxilia copia pannorum & veſtium è pellibus agninis: De quo vid. *Piaſec. Chron. p.* 53.

II.

*Indictionem* ipſorum rem Majeſtatis eſſe ex eo jure fluit, qvo illa à Subdito Subjectionem & obedientiam expoſcere poteſt: Accedit, rem odioſam præ ſe ferre, eoqve autoritate publica maximè opus habere. Cur populus ſibi ea ſervet, ubi libertatis aliquid in Rep. retinet, ratio videtur eſſe, neqvis vel in colligendo, vel in erogando abuſus interveniat. Sic in *Polonia penes* ordines eſt, in *Anglia penes Parliamenta*, in *Imperio noſtro pertinet ad Comitia Univerſalia Inſtr. Pac. Artic. IIX. §. Gaudeant.* Adde *Burgold. p. III. Diſc. II. §. II.* Neqve etiam in abſolutis Imperiis Monarchicis ſine *Comitiis* res geri ſolet: Non tamen ut ideo juris aliquid Populo concedatur, ſed ut ille promptiori collationi præparetur, æqve ac in LL. Prologi adhiberi ſolent, non qvod de eſſentia ipſarum ſint, ſed ut populum ad perferendum melius diſponant.

III. Fi-

III.

*Finis* generalis Tributorum: I. Recognitio ſuperioris, ut Subditus ita gratum erga Remp. animum ſuum pro labore poſito declaret. II. Sublevatio onerum Reip. *Impoſſibile enim eſt, ut Sacris Tributis non illatis alioqui Reſp. conſerventur* *Nov. CXLIX. c. 2.* E quibus & augmenta eorum pendent, illis nimirum creſcentibus: Quorum ſenſu tamen dum Subditi haut perinde afficiuntur, Tributis imputant, quod alia ſua culpa ſibi attraxerunt. Rem expreſſit ſignificantiſſime ſæpius laudatus Hobbeſius, cujus verba eum in finem hic iterato ſiſtimus: *Debent homines conſiderare non modo laborandum eſſe iis, quibus patrimonium non eſt, ut vivant, ſed etiam pugnandum ut laborent. Unusquisque Judæorum, qui tempore Eſdræ muros Hieruſalem ædificabant, una manu faciebat opus, altera tenebat gladium. In omni Civitate cogitandum eſt, manum quæ gladium tenet, eſſe Regem, vel Curiam ſummam & ab induſtria Civium non minus alendam eſſe illâ, qua quisque fortunam ſuam privatam fabricatur; Vectigalia autem & Tributa nihil aliud eſſe præter mercedem eorum, qui armati vigilant, ne induſtria ſingulorum incurſu hoſtium impediatur; Nec magis juſtam querimoniam eſſe eorum, qui paupertatem ſuam penſionibus publicis imputant, quam ſi dicerent, ſe inopes fieri propter ſolutionem Debitorum. Sed nihil horum cogitat maxima pars hominum: Patiuntur enim idem quod in morbo qui appellatur* Incubus, *qui ortus ab inglu-*

*vie facit hominem putare ſe invadi & magno pondere opprimi & ſuffocari. Neque de cauſa inſenſibilitatis iſtius aliud dixeris, quam illam ex defectu amoris erga Remp. & Principem pendere; Veluti è contrario, ſi major eorundem amor ſit, Tributa alacriter ſolvuntur: Quod in Gallia populo claret, qui in amorem Regis ſui graviſſima Tributa lubenter ſuſtinet, quoniam amori & incrementis publicis ſe id debere opinatur.*

IV.

Ex iisdem finibus pendet ratio, cur aliqui Subditorum magis, alii minus, rurſus alii prorſus exempti ſint Tributorum collectione. Manetque ordinarie exemptio *Miniſtros Publicos*, quia utrique eorum etiam citra tributa ſatisfaciunt. Accedit alia ratio, quia functionibus ſuis jam repræſentent Remp. Quæ veluti nihil pèndit, ſed pendere tantũ jubet, ita nec perſonis jura ſua repræſentantibus penſionẽ injungere poteſt. Dum enim Publico inſerviunt, jam ipſo miniſterio ſuo agnoſcunt illud ſeſe ſuperius eſſe; idemq; dum cõſiliis & actionib9 ſuis juvant ſimul ſublevãt. Quod in cæteris Subditis ſecus eſt, qui, cũ nullo particulari miniſterio vel agnoſcant vel ſublevent Publicum, quod actionibus nequeunt, opibus explent. Quæ ratio quoque, cur Bona, *quæ Miniſtri extra functionem ſuam habent, onerari oporteat:* Quia his potiuntur non qua Miniſtri, ſed quatenus communi cum aliis Subditis ſorti ſubjacent.

V. Ma-

V.

*Materies* in qua verſantur Tributa ſunt *res & perſona*; Hinc *capita*, iſthinc *bona* Subditorum æſtimantur: Unde duplex contributionis genus *Capitatio*, ſeu illatio capitalis, quæ viritim in ſingula perſonarum capita non inſpecta Patrimonii quantitate conſtituitur; Et *contributio per as & libram*, pro magnitudine, numero & qualitate poſſeſſionum impoſita: Quarum hæc communior& melioris notæ eſſe cenſetur,quod æquitati magis congruat. Si quæratur *unde fortunæ magnitudo æſtimari poſſit?* Reſpondent Politici eam Magiſtratus judicio & publica fama æſtimari debere; Aut ſi ſubditus ſolemni Juramento tunc affirmare velit, ſe tantum in bonis non habere quanti æſtimatus ſit, detrahi, quantum æquum ſit; Exempla tamen in Emporiis ac Rebuspp. Liberis ſæpe docuerunt homines maluiſſe nimia præſtare,quam tenuitatem ſuam ap. Magiſtratum profiteri. Confer. *Boxborn. de St. Fœd. Belg. c. XII.*

VI.

In rerum æſtimatione *arcendæ res ſordidæ & inhoneſtæ*, cum exigentis ſummam vel avaritiam vel indigentiam teſtentur. Fuerunt tamen, qui meretricium vectigal Romæ inſtitutum excuſaverint: Ideo nempe impoſitum eſſe, ne plures alliceret gratuita peccandi licentia, *ap. Beſold. de Ærar. c. IV. n. 17.* Alia genera ejus ingenioſe deſcribuntur in Alamodiſchen Politici andern Theil/ Rentkammer genant. Inde vero Tributa peti un-

de lucrum ſentitur, æqvum eſt: Quod enim in commoda Subditi ſub patrocinio Reipublicæ cedit, cur partem ejus Reip. invideat? Hinc evectiones rerum, quibus exteri indigent onerandas cenſent, ut ita Tributum Peregrinos magis, quam Incolas premat: Quamquam extra hunc caſum Peregrinos potius leniter habendos ratio dictitet, cum ſalus Emporiorum à promptitudine & copia adventantium Peregrinorum pendeat. Sic & Artificialia aliunde advecta non ſine ratione onerantur, quia cedunt in uſum Exterorum, quæ Cives ipſi diſcere poſſent. Nec culpanda *Tributa Cenſoria*, h. à rebus ad delicias & pompam ſpectantibus exacta, ut dum indulgetur curioſis hominibus, publicæ rei conſulatur.

VII.

*Modus* Tributa colligendi pro temporum ac locorum varietate varius eſt. Formam cenſualem in Jure Romano legere eſt *l. 4. §. 1. ff. de Cenſibus.* Modum collectandi in Germania deſcribit *Sprenger Font. J. P. c. IIX.* Pertinetq; huc *Anglorum & Belgarum* conſuetudo elocandi Privatis Jus colligendi Tributorum quædam genera, quos inde Conductores, Pachters/ Couſtumers, & apud veteres Romanos *Publicanos* vocabant, qui publica vectigalia conducta habebant *l. 12. § 3. ff. de Publican.* ita dicti, quod publico fruerētur *l. 1. §. 1. ff. eod.* qui autē quod plerumq; immodicis exactionibus populum onerarent, *d. l. 12. pr.* cōmuniter male audiebant, Num *è re ſit rem ita geri*, an vero

vero Magiſtratus potius autoritate ſua agere debeat, dum controvertitur, pro *poſteriori* militat. I. In exactione Tributorum requiri autoritatem, qui in publicis perſonis major eſt, quam in privatis. II. Periculoſum eſſe proventus publicos committi privatorum fidei; Nam ſi promiſſa non præſtent, aut notitiam rerum ſibi commiſſarum ad exteros diffundant, Reſp. facile periclitari poteſt. III. Incertum eſſe quorundam Tributorum numerum: Unde ſi majora ſint ſummâ à redemptoribus ſolutâ, id Reip. detrimento eſt; ſi minora, Redemptoribus damno ſunt. Sed diſtinguunt Tributa, quæ *certis rebus, ut ædibus agris* &c. Et ea, quæ *incertis*, quæque uſu *modo majori, modo minori ſunt*, imponuntur; Sicq; *priora* publicæ quidem curæ relinqvunt; Sed *poſteriora* elocari poſſe autumant. I. Quia Subditi in hiſce talibus minori fraude præſtationem eludere poſſunt, quippe quam privati conductores diligentius indagant, quam Curatores Publici, ut tanto plus lucri reportent. II. Quia incerti eorum reditus; Præſtat autem Remp. certos quam incertos numerare proventus pro calculo ad agenda futura facilius ponendo. Rationibus ſupra allegatis *Reſp.* ad I. Privatos ſat autoritatis habituros, dum Magiſtratus contractu cum illis inito veluti publicam perſonam in eos transfert. II. Pericula idoneis fidejuſſoribus poſſe declinari. III. Elocari poſſe in ſingulos annos, eoque pro anni prioris conditione augeri vel minui poſſe penſionem. Confer. *Boxhorn. St. Fœd. Belg. c. XII. n. 33.*



Digitized by Google

IIX.

In Tributis alia ſunt *Ordinaria*, alia *Extraordinaria*. *Ordinaria* ſunt, quæ ſtatam penſionem habent vel à tempore, vel à rebus ipſis definitam. *Prioris* generis ſunt Schoß / Schatzung / &c. Ad *Poſterius* genus pertinet Tributum ſiliquaticum, ſ. *Acciſa*, qvæ ob res minutim diſtractas ac venditas ſolvitur. Eam commendat, quod Subditi minori ejus ſenſu afficiantur, quam ſi majorem ſummam ſtato tempore pendant, ac deinde Peregrinos æqve ac Subditos oneret: Contra eandem eſt, quod in re familiari nullo labori ac diligentiæ ſolamen relinquat: Quo plus enim laborat Paterfamilias, eo, plus Tributi pendit, cum vicinus ignavus contrario, quia in rebus ſuis minus agit, minus ſolvat. *Extraordinaria* totidem ſunt, quot cauſæ inveniri poſſunt neceſſitatis extra ordinem ingruentis. Vid. Indicem eorum ap. *Beſold. de Ærar. c. XXII. n. 2. Vectigalia* à cæteris Tributis in eo divertunt, quod Tributa propter uſum rerum, Vectigalia propter uſum viæ publicæ irrogentur: Quo pertinent *Portoria* ſ. reditus qvi ex portubi, vel tranſitu pontum aut fluminum percipiuntur. Omnium evidentiſſima ratio, quod quia Magiſtratus onus habet ſecura præſtandi itinera, æqvum ſit, ipſum pro onere hoc aliquo commodo frui.

CAP.

# CAPUT XXI.

## De DOMINIO EMINENTI.

*DEſcriptio Dominii Eminentis: Uſus Vocis: Argumenta id confirmantia: Exemplum Servatoris: Argumenta contraria: Finis ejus: An compenſatio rei ereptæ à Subdito expectanda? An exteri ei ſubjaceant? Deditio innocentis.*

I.

AMplitudini Poteſtatis Reip. reſtat adjiciendum *Dominium Eminens*, h. facultas transferendi Privatum Jus Subditorum ad neceſſitatem Publicam, ſeu ex *Grotii* interpretatione, quod Civitas habet in Cives & res Civium ad uſum Publicum. *Dominium, Imperium* eſt, h. poteſtas in aliud quidpiam. *Eminens* vero non *vulgare*, quod privatorum unusquisq; in bona ſua & ipſe Princeps in bona ſua Patrimonialia habet; Nec *Publicum* ſimpliciter, cujusmodi eſt Civitatis in res, quas illa ſibi in ſolidum reſervavit, ut reditus Publici, vectigalia &c. Sed *Eminens*, h. quod ipſi Imperio vulgari ſeſe ingerit, illiq; modum præſcribit. Et tamen ne hoc quidem ſimpliciter, ſed propter neceſſitatem Publicam



Digitized by Google

cam; Alias enim nihil diſtincti à Majeſtate ſimpliciter ſpectatâ foveret, quippe quæ ſemper Imperio vulgari modum præſcribit. *Grotius*, quod neceſſitatem publicam diximus, termino uſus publici commutavit, quod factum putamus eo ſenſu, quo termini neceſſitatis & uſus aliquando coincidere poſſunt.

II.

Vocis uſum videtur primò vulgaſſe Grotius, qui *res Subditorum ſub Eminenti Dominio eſſe Civitatis* ſcribit *J. B. III. XX. 7.* Et Dominium Eminens *eſſe, quod Civitas habet in Cives & res Civium, ad uſum publicum I. III. 6.* Item *Supereminenti Dominio Jus exterorum nullo modo ſubeſt: II. XIV. 8.* Ante quem quidem & *Card. de Lugo* hoc termino uſus fuit; Ut Princeps & Reſp. habent quoddam *Dominium Altum & Eminens* in bona Subditorum, quæ in caſu neceſſitatis communis poſſunt diſtrahere, *T. I. de J. & J S. I. I X.* quod allegat *Cruſ. de Dom. Emin. c. I. §. III.* Alii *Dominium Excellentiæ* quoque tradiderunt, & rebus Divinis applicuerunt, quorum phraſes aliaque his ſimilia, ut Grotio derogaretur aliquid, anxie huc traxit *Horn. L. II. c. 5.* Sed controverſia in eo eſt, *an Uſu ante Grotium invaluerit?* Quod N. Idemque & aliis ejuſmodi vocabulis evenit, ut cum antiqua eſſent, noſtro tamen tempore demum vulgari cœperint, quemadmodum & *Rationis Status* vocabulum ab Italis primo vulgatum, cum tamen in Tacito quoq; cunabula ejus quæri poſſint, de quo actum *Cap. III. §. II.*

III. In

Digitized by Google

III.

In re ipſa primo conſiderandum, eam nihil novi alere, aut tale quippiam eſſe, quod diſtinctũ ab aliis Jus Majeſtatis exhibeat, quemadmodum cætera Jura Majeſtatis ſeſe habent, quæ ideo in Majeſtate diſtincta nomina ſortiuntur, quia *Objectis* inter ſe differunt; Sed eſt *velut inſtar modi alicujus univerſalis, qui omnia Majeſtatis jura æque pervagatur, eademque nova tantum amplitudine donat cauſata novis Remp. afficientibus caſibus.* Unde fiet etiam, ut nullum peculiare objectum ipſi aſſignari poſſit, ſed omnia comprehendat, quæ vel Majeſtati in communi, vel juribus ejus ſeorſim aſſignantur, cum hoc tantum diſcrimine, ut non ſimplicier & libere ſpectentur, ſed prout caſui neceſſitatis ſubjacent. Quod qui non expenderunt, complura quæ Majeſtatis ſimpliciter ſpectatæ ſunt huc retulerunt, ſicque ex Dominio Eminenti nihil niſi ſimplicem Majeſtatem fecere, non novis & huc pertinentibus, ſed ſolum non ubiq; in libris Politicis obviis objectis inſtructam. Ideo ad Dominium Eminens pertinere ſcribitur Confirmatio pactorum, Aſſignatio Tutorum & Curatorum, Interdictio bonorum prodigo facta, Jus permittendi ſubditis occupare res ab hoſte aut pirata ereptas, Jus adjudicandi Dominium emptori vel poſſeſſori, ſi legitimo tempore rem bonâ fide ſibi comparatam poſſederit, nec tamen Dominium à tradente potuerit accipere, denique Jus Tributa exigendi &c. Quæ omnia deficiunt conditio-

ditione tranſferendi ad neceſſitatem Publicam, qua Dominio Eminenti maxime opus eſt, niſi illud cum ipſa Majeſtate confundi velimus. Aut ſi ipſi ſatis eſt, eſſe ſummam in Rep. poteſtatem diſponendi de rebus privatorum, jam nihil in Majeſtate peculiare, ſed ipſa Majeſtas erit, cujus objectum in Rep. perſonæ, res, actiones privatæ ſubditorum omnes, eoque & iſta quæ modo allegata ſunt. Neque Tributa etiam aliter comparata ſunt, quæ quidem tendunt in uſum publicum, ſed itidem neceſſitatis caſum non involvunt, cum pendi poſſint, etiamſi neceſſitas non urgeat, idque ut gratum animum ſuum erga labores publicos ſubditus declaret, unde & ſubjectionis teſtimonium eſſe antehac docuimus. Quanquam ſi modus accedat, & magnam partem opum in neceſſitatem Publicam conferre jubeamur, id Dominio Eminenti merito relinquendum ſit, quippe quod veluti modum omnibus Juribus Majeſtatis adjicit, ita objectis etiam eundem præſcribit.

IV.

Dominium Eminens *non minus competere Reip. ac reliqua*, de quibus hactenus egimus, facile agnoſcet, qui Remp. independentem, immenſurabilem, univerſali intellectu & univerſali poteſtate præditam, aut indigentiam, formatamque ex Sufficientia Reip. commoditatem ſingulorum recoluerit. Si enim ſingulorum egeſtati ac defectibus Reſp. aliter conſulere nequit, quam ſingulis eorum rebus ſe ingerendo, quid vetuerit, quo minus

minus relictam ipſis facultatem diſponendi ſuam faciat eoque Dominio Eminenti, quod ipſorum erat, ſibi tranſcribat. Clarius: Imperium privatum nullum eſt, quin ex Publico fluat, quia cum nemo privatorum juri ſuo proſequendo ſufficiat, omnes eo ſemel ceſſerunt, illudq; proſeqvendum in Publicum tranſtulerunt, qvippe à quo ſolo ſufficientia peti poſſit: Nihil e. reliqvum habent, niſi quod à Publico recipiunt. E. Quam rationem pluribus confirmavimus. *Cap. V. §. XIV.*

V.

In Sacris Dominium Eminens exemplo ſuo *Servator* clariſſimum reddidit: Qui cum tanqvam Rex Hieroſolymam ingreſſurus eſt: *Ite*, inqvit, *in vicum proximum & invenietis aſinam. &c. Adducite eam mihi, & ſi quis dixerit aliquid, reſpondete, Dominum iis opus habere. Matth. XXI. 2.* Subdito enim bona adimere, quia Dominus iis opus habet, Imperii abſoluti ſicqve Dominii Eminentis eſt: Qvæ ſuâ luce radiât. Confer. *Hobbes Lev. c. XX.* Pleniori eget, qvod itidem hûc pertinet, decantatisſimum *Jus Regium. I. Sam. IIX.* 11. *& ſeqq.* De cujus ſenſu tamen ſcriptores diſſentiunt. Verum Jus Regium intelligi, inde patet, qvia præter morem Divinum eſt, æqva iniqvis admiſcere. Pleraqve autem qvæ continentur illo, ne ſpecie qvidem à boni Principis Officio recedunt: Nam Subditos muneribus publicis præfici commoda illorum promovet; Eosdemqve decimas præbere æqvisſimũ eſt: Quæ recenſentur *v. 11. 12. 13. 15. 16. 17.*

Sola

Sola agrorum & vinearum ablatio iniquior videtur, tradita *v. 14.* Sed finis cur auferrentur additus quicquid dubii eſt, facilè tollit: *Dabit eam Miniſtris ſuis*, ait Samuel. Jam agros è Communione Civium aſſignari Miniſtris publicis, ut vitam inde exhibeant, ne nunc qvidem inſolitum eſt, ſed omnibus Rebuspubl. receptum. Ne dicamus *Moſem*, Vicarium Divinæ Majeſtatis, antea cuncta hæc ita adminiſtraſſe: Sic milites ſelecti contra *Amalekum. Exod. XVII. 9.* & contra *Midianitas. Num. XXXI. v. 4.* Præfecti conſtituti *Ex. XIIX. 25.* Tabernaculo extruendo admoti Bezaleel & Ahiſamach. *Ex. XXXI. 2. 6.* Et Sacris faciendis Levitæ *Num. Cap. III. & Cap. IV.* Iisdem urbes aſſignatæ. *Num. XXXV.* Hæc omnia igitur, ſi Regem ea qvoqve impoſterum facturum Deus dicit, ecqvid iniqvitatis poſtulari poterunt, cum ante qvoqve facta eſſent, & perſona facientis tantum mutaretur. *Inſt.* I. *Iſraelitas introduci olim clamaturos ob leges ejusmodi v. XIIX. c. I. Et clamabitis in die illa à facie Regis Veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa quia petiiſtis vobis Regem.* Reſp. Indicari *incommoda* Status Regii, *non injuſtitiam*; qvem Iſraelitæ non poterant non aliqvando ægre ferre, cum Statu libero antea aſſveti eſſent, in qvo incommoda iſta minus ſentiebantur. II. *Improbari in Sacris ereptam Nabotho ab Achabo Rege Vineam. 1. Reg. XXI.* Reſp. Id ideò fieri, qvia Achabus abuſum Eminentis Dominii ad privatas actiones ſuas traxerat: Non enim agebatur

batur inter Achabum & Nabothum, tanqvam inter Regem & Subditum, ſed tanqvam inter Privatos duos; Neqve etiam qvæſtio erat, de accipienda Jure Dominii Eminentis vineâ, ſed de eadem permutanda. III. *Adverſari Leges, Deut. XIIX. it. & Ezech. XLVI.* 18. Reſp. Priorem nihil contra Jus Regium edicere, ſed conſilium tantum addere de Jure Regio non abutendo. Poſteriorem verſari in bonis Patrimonialibus Principis, augendis vel minuendis; Bona patrimonialia vero Princeps habet, non qvà Princeps, ſed itidem qva ſingularis & privata perſona eſt. Solent qvoqve vocem Hebr. Miſchpath non jus, ſed rationem, modum, reddere: Hæc erit ratio Regis. Sed ne ſic qvidem contra nos. Qvia totus iſte locus non univerſa Majeſtatis jura, ſed eorundem tantùm aliqvot exempla recenſet. Etiamſi igitur facta, ſicqve modus, ratio dicantur, eo ſenſu tamen dicentur, qvo omnia exempla facta Juris ſui dici poſſunt.

## VI.

Tale igitur eſt Dominium Eminens ipſo Subditorum in Remp. coeuntium conſenſu primo fundatum, horum deinde juribus univerſali ambitu ſuo efficaciter immerſum, non ſine manifeſto Divini Vicariatus in homines indicio: Sic enim & Deus O. M. validiſſimo influxu ſuo omnibus ac ſingulis creaturarum actionibus ſe applicat, easdemqve abſoluto jure ſuo regit, promovet, ſuſpendit, tollit, Unde tanto minus obſtat, qvod

Domi-

Dominio noſtro objici poteſt I. *Turbari ita privatorum poſſeſſiones:* Cui Reſp. Id non magis fieri, qvam per concurſum Divinum Actiones noſtræ turbantur, qvi veluti non impedit, qvo minus ipſi agamus, ſic nec Dominium Eminens, qvo minus res noſtras poſſideamus. II. *Ejusdem rei duos Dominos eſſe non poſſe.* Reſp. Duos Dominos abſolutos & qvi æqvâ libertate, ac in ſolidum de eadem re diſponere poſſunt, concedi; De Subordinatis, qvales Deus & Homines, Princeps & Subditi, negari. III. *Principem invitis ſubditis nihil poſſe eripere, ſimilem enim eſſe Tutori ac rerum Spiritualium adminiſtratori, qui bona pupillorum vel Eccleſiæ alienare nequeunt, nec quenquam in res ſuas ſibi adimendas conſenſurum, quod Arniſaus* urget de *Maj. tit. 10.* Reſp. Inde tantum ſeqvi, Principem à Republ. nihil alienare poſſe, non autem ideo prohiberi in Republ. Dominia mutare: Conſenſu Subditi autem denuò exqvirendo hic non magis opus eſſe, qvam ad bellum ineundum, tributa indicenda &c. In qvæ omnia ſemel conſenſit, dum Reipublicæ membrum ſe primò profeſſus eſt; Eundem vero iterum iterumqve repetitum urgere, erit Magiſtratum continuo oneri petendi conſenſus ſubjicere, qvo fieret demum, ut Magiſtratus nihil fere acturus eſſet, qvam conſenſum ſubditorum rebus ſuis agendis implorare.

VII.

De *fine* breviter: Ille eſt *neceſſitas publica*, veluti Majeſtatis ſimpliciter uſus publicus: Qva

etiam

etiam Majeſtatem ſimpliciter ita dictam à Dominio Eminenti divertere ante tradidimus; Finis *enim pariunt actionum diſcrimina*. Inde ſimul qvos limites accipiat Dom. Eminens cognitu facile; Eos ſc. qvos neceſſitas ipſi præſcribit. Qvos etiam Princeps egredi non poteſt, qvippe qvi Remp. repræſentat. Sic peccavit *Achabus*, cum Dominium Eminens obtentui ſumeret eripiendæ *Nabotho* vineæ, qvia extra uſum publicum actus iſte ſuſcipiebatur. E contrario *Vercingeterix* Gallos ſuos recte jubebat ſalutis publicæ cauſa propria frumenta corrumpere & ædificia incendere, ut iſta rei familiaris jactura perpetuum Imperium libertatemque conſequi poſſent ap. *Cæſ. L. VII. B. G.*

## IX.

De modo Influxus Dominii noſtri dubium eſt, *utrum ſi uſus Publicus & neceſſitas jam ita flagitent, ille omnes æqve, an aliquos ſeorſim tangere poſſit*; Ut ſi tecta civium muris vicina diruenda ſint, damnum hoc ſolos hoſce maneat, an vero à cæteris, qvos damnum iſtud non attinet, ſublevari debeant? Pertinetqve huc tota compenſationis materies hic loci agitata. Reſp. I. Præſupponi, refragandum non eſſe, qvia Rep. etiam nihil jubente, æque periculo ſubjacent. II. Damnum concernere omnes, qvia ſubditi omnes æqvales ſunt, Publici qvoqve eſt æqvalitati ſuorum qvam maxime ſtudere: Eoqve & pars damnum paſſa à cæteris compenſationem merito poſcit. Cur enim

nim his potius qvam iſtis patiendum fuiſſet: Cum hi æqve ac reliqvi, qvi indemnes manent, præſidio publico ſe commiſerint? Cum nemo cogi poſſit ad damnum pro altero ſubeundum? III. Secus eſt, ſi damnum illatum inevitabile ſit, adeo ut tale futurum eſſe prævideri potuerit: Qvale ſi ædes in ſuburbiis tempore belli diruentur; ſegetes perdantur; Horum enim compenſatio poſci neqvit, qvia norant conditionem ejuſmodi talibus locis annexam eſſe, eamqve ipſi dum nihilo ſecius ibi ædes ponunt, tacite q. jam ante confirmaverunt. IV. Tanto minus compenſationi petendæ locus eſt, ſi omnes eadem neceſſitas ſtringat aut æqvale damnum involvat. Publico enim ſatis eſt, ſi neminem ſua culpa deteriorem reddi patiatur: Et nunqvam illud damnis Subditorum ferendis ſeſe obligavit. Unde ſi omnes ſeqviori conditione corripiantur, infortunium univerſale eſt, cui medendo non fuit; Non minus ac ſi commerciorum impeditio cives tenuiores faciat, aut precia rerum augeat &c. Neqve etiam, ſi Reſp. aliqvando illata damna reſarciat, illud adeo fit ex debito, quam in præmium præſtitæ fidei.

IX.

*Exteros* non comprehendi Dominio Eminenti in dubium vocat *Grot. II. XIV. 6.* & ex eo *Cruſ. de Dom. Em. c. III.* §. 17. Qvod, ſi Exterorum nomine intelligantur, qvi extra Remp. conſtituti ſunt, verum qvidem eſt, ſed ἀλλότριον: Qvod enim ad nos non pertinet, qvid opus eſt in qvæſtionem

nem

Digitized by Google

nem vocari, utrum ad nos pertineat necne? Si autem eos intelligant, qui negotiorum gerendorum cauſa inter nos agunt, non videmus, quomodo ut Subditorum Temporariorum nomine, ita oneribus publicis eximi poſſint. Cujus ipſa illa ratio eſt, qvam *Cruſius* in contrarium allegat: Qui enim commoda è Societate percipit, is nec incommoda aut onera detrectare poterit. Jam vero Peregrini tales ideo in Rep. negociantur, ut commoda inde percipiant. E. Trahimusque huc merito exempla, quæ *Cruſius*, paulo poſt ſui oblitus Subditis Temporariis eveniſſe ſcribit. Quaſi Exteri alii eſſent, quam Subditi Temporarii, h. qvi ex cauſa temporaria agnoſcere tenentur ſummam poteſtatem hujus vel illius Civitatis; Et præmonet qvidem, ea non facta fuiſſe jure Dominii Eminentis, ſed eo, qvod neceſſitas in res alterius concedit. Sed illud ipſum quod neceſſitas Principi in Subditorum res concedit, nihil aliud eſt, quam de qvo loqvimur Jus Dominii Eminentis: Ita enim *cum Cantabrica navis & minores quatuor advehentes ex Hiſpania in Belgium ad ſtipendia copiarum Albani Ducis magnam auri vim ſeu tempeſtate ſeu piratarum metu ſe ſubduxiſſent in Angliæ portum, Elizabetha Regina eam pecuniam certa in Belgium non remittere primo in Tabulas referri juſſit, dein extractam navibus ærarii ſui fecit*, cauſata Regni neceſſitatem. *Strad. B. B. Dec. I. L. VII.* Adde *Camden. ad A. MDLXVIII.* Similis fuit penſitatio Oreſundica Laſtgelt dicta, *qua in Oreſunda triceſi-*

*ma pars omnium mercium mutui nomine ardente inter Danum & Suecum Bello exacta fuit, cum promiſſo, ut bello finito refunderetur. Id. Camden. ad A. MDLXXXII.* Iterum naves peregrinas avehendis rebus Reip. neceſſariis ſæpe adhiberi notorium eſt. Quibus fere ſimilia ſunt *Jus Albinagii, Detractionis* &c.

X.

*Effectus* Dominii Eminentis uno nomine eſt *Occupatio Privati Juris:* Quæ in antec. etiam ſatis eluxit. In ſpecies ſuas ſi diducenda ſit, ſpectabit Subditos *Naturales* vel *Exteros*, & Utrorumq; tum *res*, tum *perſonam:* In Subditis Naturalibus ad *res* pertinebit: Diripere prædia vi hoſtili ingruente, aut incendio urgente, prædia pro munimentis, aggeribus aliisqve operibus publicis adimere, ad pecuniam mutuo dandam Subditos compellere, eosdem ad vendendum cogere, Jus qvæſitum auferre, beneficia conceſſa revocare, cujus ſpecimen vid. in deliberatione à *Carolo IX. Rege Galliæ* convocatâ ap. *Thuan. L. XXXII.* Ad *perſonas* referendum Jus Subditos invitos etiam alienandi, aut obſidum loco dandi & ſimilia. Qvorum omnium ratio in uſu publico & neceſſitate inevitabili ſita eſt, quodque nihiloſecius iſta patienda fuiſſent, etiamſi injuncto oneri ſe ſubtraxiſſent. *An innocens dedi vel deferi poſſit*, ambiguum eſt. Reſp. Si velit & conſentiat poſſe, cum tolerabilius ſit unum hominem interire, quam totam Civitatem. Accedit ratio modo allata, qvia

etiamſi

etiamſi recuſaret, nihilominus hoſtiles manus experturus eſſet. Exempla vid. ad. *Grot. II. XXV. 3.* Sed aliter ſe habet, ſi de ſtricto jure qværatur, & *an Civis teneatur ſe hoſtibus tradere?* Quod N. qvia compenſationem nullam expectare poteſt, cum vita nulli æqvivalenti comparari poſſit. *Vasqvii* ratio ap. Grotium eſt, quia natura Societatis Civilis, quam ſui quisque commodi cauſa iniit, id non poſtulat: *Soti* ſimilis eſt in affini qvæſtione, *an cogi poſſit?* Illuſtrata exemplo divitis, qvi egeno ſtipem dare ex miſericordiæ præſcripto tenetur, cogi tamen neqvit. *Grotius* ad priorem rationem excipit: *Civem non teneri qvidem jure proprie dicto, charitatem tamen non pati, ut aliter faciat.* Reſp. Charitatem omnino non pati tantum, ſed jubere etiam, ut aliter fiat, cum amor noſtri & amor proximi in æqvilibrio ſint. Vid. *Cap. III. §. IIX.* Ad poſteriorem, (qvæ tamen re ipſa cum priori eadem eſt, cum in vita ſociali nemo teneatur aut obligetur, quin idem & cogi poſſit) *Aliam eſſe rationem parium inter ſe, aliam ſuperiorum, ubi cum ſubditis comparantur; Superiorem cogere poſſe non tantum ad id, qvod debetur jure ſtricto, ſed etiam ad alia, qvæ virtus qvælibet præcipit; Sicque in magna frumenti penuria cives cogi poſſe, ut qvod habent, in medium conferant:* Reſp. Cauſam diſparem eſſe; In caſu allegato enim compenſationem expectari poſſe, in noſtro nullam eſſe. Inſt. *Nec compenſationem fieri, ſi ſponte ſua ſe tradat.* Reſp. I. Iterum rationem diverſam eſſe, qvia unusqvisq;

Juris ſui, quoad per Publicum licet, arbiter eſt: Eoqve penes Civem eſſe, ſeu repoſcere aliquid, ſeu eodem cedere. II. Nec civem directe ſpectare ſui interitum, ſed tantum ſatisfactionem hoſti præſtandam, mortem ſolùm indirectè inde ſeqvi: Cui ſubeundæ ſeſe tq. Inſtrumentum mere paſſivum præbet. Prout ſe res etiam habet in iis, qui incenſo pulvere tormentario naves disjiciunt. III. Publicum hoc caſu civem, ſi excedat, non tam abſolvere, qvam eidem ignoſcere, cum malum majus, qvod ille avertit, non tollat quidem, ſed tegat malum minus, æqve ac lumen majus minus ſi non tollit, certe tegit. Poteruntqve cuncta hæc clarius eluceſcere in affini quæſito: *An Reſp. Virgines ſtupro tradere poſſit?* Quemadmodum *Aurelius Hiſpaniarum Rex* aliqvot virgines qvotannis ſtupro dandas à Mauris pactus eſſe fertur, de qvo vid. *Marian. L. VII.* Reſp. Nullo modo licitum eſſe, qvia in mala moralia nulla libertas, nec juris quoddam arbitrium nobis relinqvitur. II. Juri noſtro hinc pendenti neminem nos reſtituere; eoque nec illud ab alio occupari poſſe, vi defectus compenſationis; Malorum moralium enim nulla compenſatio. Et III. Etiamſi directe ſtuprum non ſpectari poſſe putetur, nihilominus conſentire non poſſe, quia inſtrumenta nimis activa forent mali committendi.

CAP.

Digitized by Google

# CAPUT XXII.

## De FOEDERIBUS.

*Ratio ordinis : Deſcriptio Fœderis : Fœderum inæqvalium ſpecimina & incommoda: Fœdera cum Infidelibus & Hæreticis : Fœderum varietas : Obligationum publicarum circumſtantia : Obſides.*

I.

DE Republica ut *intra* ſe ſuaque operetur dictum ſatis; Eadem vero ad *Exteros* aliasqve Reſpublicas etiam ſe diffundit: Non minus ac Sol non tantum terram hanc ſibi ſubjectam & lucis indigam illuminat, ſed alia qvoqve luminaria cœleſtia, licet propria luce donata, collucet, ut adeo unita quaſi eorum lux in inferiora ſe exerat tanto fortius: Sic Reſpublica dum exteris ſe adjungit, ut ſaluti ſingulorum ex hominibus provideatur quam optime. Suntque actus ejus iidem, qui univerſæ vitæ Socialis, gemini nempe, Juris proprii translatio, & iſtius ſeu translati ſeu relicti nobis proſecutio. Poſteriorem Bello peragit, priorem Pactis h. tractatibus, tranſactionibus, dn. Confœderationibus, quorum principia ex *Cap. V. de Pactis* repetenda: De Fœderibus qvæ dicenda reſtant hic breviter adjicimus.



Digitized by Google

II.

*Fœdus eſt Pactum Rerumpp. de mutuis auxiliis.* *Pactum* h. translatio Juris mutua, ad differentiam *à ſponſionibus*, h. promiſſis de pacto faciendo, quæ miniſtri Rerumpp. ſæpe præſtant, ſub conditione futuræ à Rep. ſua ratihabitionis. *Rerumpp.* in diſcrimen à contractibus, qui pacta privata ſunt. *De mutuis auxiliis*, in diſcrimen I. à Tranſactionibus Publicis in genere, quæ de qvalibet re particulari fieri poſſunt. II. A Tranſactione Pacis. Pax enim tantum eſt conventio de jure alterius non lædendo.

III.

Porro ex cultura vitæ ſocialis repetendum, *perſonas* atque adeo hic corpora niti applicabilitate & conſequenter etiam æqvalitate, ut apta ſint debito iſti præſtando, quod communis finis exigit. Unde ſequitur; I. Fœdera cum Infirmis fruſtra pangi, cum ſufficientem opem ferre nequeant. Et iterum, Fœdera cum Potentioribus ſuſpecta eſſe, quia cauſæ communis adminiſtratio à nutu potentioris pendere amat, ipſique inferiores è ſociis facile ſubditi fiunt, quippe impares & reſiſtendo & reciproco in Fœderibus debito præſtando. II. Fœdera Rerumpp. diverſis formis conſtantium minus firma eſſe, quod ſingulæ formæ diſtincto & contrario à reliquis fine ferantur, ac proinde communi fine uniri difficile poſſint. III. Fœdera eo etiam minus firma eſſe, quo plures in ſocietatem ipſorum aſſumuntur: Quia nimia

inge-

ingeniorum varietate diſtrahuntur, eoque requiſita applicatione partium excidunt, quod potiſſimum in cauſa bellica uſu venit, ſi adverſa pars primum impetum ſuſtinuerit. Sic de Fœdere *Smalcaldico* ſuperioris ſeculi non male judicavit, quisquis virorum prudentum fuit, qui eo imbecillius reddi, quo ſocii numero creſcerent, dixit. Et *Carolo* V. facile erat cunctando id diſſipare: *Quippe cum ex hujusmodi Societatum ſeu Fœderationum natura optime conjiceret, non diu conſenſionem inter tot Civitates & Principes civilis adminiſtrationis ratione diſſidentes duraturam eſſe, nec æquato Ducum imperio & autoritate ſalutaria conſilia capi aut legi, & cum opus eſſet executioni demandari poſſe proſpiceret. Cumq́ præcipuum fœderis robur in Civitatibus conſiſteret, quarum pecunia militem ali & bellum duci oporteret, ſic judicabat, plebem tali ingenio eſſe, ut cunctationis aut moræ, licet neceſſaria ſit, impatiens, ſi Bellum longius extraheretur, Duces in ſuſpicionem prævaricationis adductura & Belli pertæſa negatis collationibus à ſocietate diſceſſura ſit; Quo in judicio quoque haut fruſtratum fuiſſe eventus docuit. Thuan. L. IV. Hiſtor.* Simile eſt, quod de priſcis *Cruciatis* expeditionibus in Palæſtinam & hodiernis Principum Chriſtianorum adverſus Turcam Fœderibus obſervant, illa nullo notabili ſucceſſu valere, eo quod è multis coaleſcant, qui diverſis intentionibus agantur, nec eandem utilitatem inde ſpectent. IVtum eſt, Vicinos requiri Fœderatos, & quidem vel nobis, ut auxilia tanto

promptius præbeantur, quæ à remotioribus nimis tarde ſubveniunt; Vel hoſti, ut propriis fœderati viribus impetatur.

IV.

*Diverſitatem Religionis Fœderatos disjungere* autumant, qui cum Infidelibus & Hæreticis Fœdera iniri poſſe negant. Nec fruſtra eſſe arbitramur, ſi certum ſit cauſam Religionis noſtræ agi, vel apud nos, vel apud alium Religionis noſtræ Socium; Neque enim fas eſt cauſam Dei propter affectus privatos noſtros adverſus alterum negligi. Secus eſt, ſi Fœdera non nocendi, commerciorum, vel cujuscunque generis Defenſiva ſint, his enim ſtudium ſe defendendi Legalitatem conciliat; Nec multum intereſt, qua ratione ſe aliquis defendat, cum Defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe cenſeatur. *L. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Sic Fœdus non nocendi contractum in Sacris inter *Jacobum* & *Labanum Gen. XXXI. v. 44.* Fœdus *commerciorum* inter *Salomonem* & *Hiramum I. Reg. V.* 12. Nec quicquam intrinſecæ aut naturalis pravitatis hic occurrit, licet circumſtantiæ aliquid ſubinde adjiciant. Quemadmodum *Aſæ* fœdus cum *Syriæ* Rege contractum reprehenditur *II. Chron. XVI.* Non quod in ſe malum eſſet, ſed ob animi vitium, unde procedebat, qvod *Aſa* Deo diffiſus fuiſſet. Sic damni Chriſtianiſmo indirecte illati *Franciſcum I.* Regem Galliæ communiter accuſant, cum illæ Fœdus adverſus Imp. *Carolum V.* cum Turca pepigiſſet, ex quo tempore

pore etiam hæc qvæſtio fere agitata fuit. Succeſſores ejus tamen idipſum continuarunt & *Gramondus* ſpecioſe defendit *magni momenti Romanæ Eccleſiæ eſſe id Fœderis inter Chriſtianiſſimum Regem & Turcam*: Ita nim. Turcam pati Sacras Chriſto Baſilicas apud Conſtantinopolitanos & Galatas, pati Chriſtianos miſceri Mahummedanis & agere libere; Monſtrari loca Servatoris nativitate, miraculis, morte celebria; Quinqvaginta Franciſcanis concedi S. Sepulchri cuſtodiam; Excipere per Legatos Galliæ Ottomannos Chriſtianorum qverelas, per eosdem Barbaræ in Chriſtianos feritati modum poni &c. *Hiſtor. L. III. pag. 208.* Sed his ſecuta Gramondum tempora & indigne habiti Hayæi ambo miniſterio Gallico apud Turcas notiſſimi facile reſponſa parare poſsūt. Fuerunt etiā qvi Gallorum Proteſtantibus Germaniæ lata auxilia obliqvis oculis aſpexerūt, proſtatq; eo nomine famoſum ſcriptum: *Geſta Impiorum per Francos, & G. G. R. Admonitio ad Ludovicum XIII.* qua autor Fœdus Regis cum *Guſtavo Adolpho Rege Sueciæ* & *Belgis* initum & auxilia *Palatinatus* heredibus deſtinata taxat. Sed ſcriptum hoc A. MDC XXXIIX. juſſu Magiſtratus per Carnificem diſcerptum & combuſtum fuit. Vid. *Nic. Rigalt. Apol. pro Rege Chriſtianiſſimo.*

V.

*Fœderum* alia ſunt *Perpetua*, alia *Temporalia.* *Perpetua* nullo temporis termino circumſcribuntur, ab Hebræis noto perpetuitatis Charactere

*Fœdera Salis* appellata. Sed unica hæc eorum conditio, ut nullo tempore definiantur, quam cum æternitate communem habent; Interea rumpi ſolent, quotieſcunque Ratio Status aut commoda alterutrius partis id videntur requirere. *Bodinus* ea pernicioſa eſſe judicat, *quod eum cui Fœdus iniqvum videatur, occaſione oblata Fidem fallere oporteat ob perpetuam Fœderis iniqvitatem:* Sed Reſp. Fœderis perpetuitatem non aliam reqviri, qvam qvæ ſit manentibus iiſdem conditionibus, quæ ſi mutentur, nec Fœderi amplius locus eſt. Iterum Fœdera ſunt *Offenſiva*, quando Socii promittunt ſe eoſdem amicos & inimicos habituros; Vel *Defenſiva*, quando Sociis ſi lædantur auxilia promittuntur, non tamen ſi ipſi alios lædant. Habent & diſtinctionem Fœderum in *Æqvalia & Inæqvalia*; *Æqvalia* pari jure ac lege Socios jungunt; *Inæqvalia* imparem obligationem præſtant. *Bodinus* hæc iniqva appellat, ſed ſenſu paulum alio accepta; Vocat enim inæqvalia tantum, quæ cum imminutione Libertatis ac Majeſtatis altrinſecus ſanciuntur. Videntur tamen amplius extendi poſſe, cum à quavis in obligatione diſſimilitudine inæqualitas inducatur. Fœderum Realium, & Perſonalium diſcrimen ad materiam de Pactis proprie pertinet.

VI.

Ad communem indolem omnium Pactorum Publicorum, h. Tractatuum, Tranſactionum, Fœderum pertinent *Obligationes*, ipſis quidem

cum

cum omnibus privatis pactis communes, ſed hic ſingularibus circumſtantiis ſæpe expreſſæ, quod paciſcentes ſibi non aliter cautum eſſe cenſeant. Tales in Fœderum percuſſione aut Pacis Tractatibus erant apud Romanus *Projectio Lapidis*, aut *Percuſſio Porci*, apud *Macedones Salis* & *Panis Geſtatio*, apud *Germanos, Scythas, Medos Sangvinis Propinatio*. In Pacificatione *Bredana* ſingulare eſt, Hypothecæ loco Bona Regia ab Anglornm Rege adjecta fuiſſe: *Totumq; Fœdus Fide & Jurejurando Regio ſub Obligatione & Hypotheca omnium & ſingulorum Bonorum noſtrorum tam præſentium, quam futurorum nos ſervaturos & impleturos pollicemur:* Quæ verba ſunt Ratificationis Regiæ Articulis Pacis adjectæ. Receptiſſimum eſt *Obſides* dari, h. perſonas in fidem ſervandam promiſſarii arbitrio relinquendas. Sed de Obligatione eorundem ambigunt, ſi promiſſa non ſerventur quorum reſpectu dati fuerunt; Et *Grotius* Jure Gentium externo quidem tunc interfici poſſe ait, ſed interno neutiquam *J. B. III. XX.* 53. Similiter Autor *Elem. Juris* mortem citra injuriam pati poſſe, ſed ex Lege Naturæ eandem minus recte ipſis inferri autumat. *L. I. Def. XII. §.* 44. De priori nullum dubium: Traditio Obſidum enim huc redit, tradentes non recuſare, quo minus in eosdem, qvodcunqve velint ſtatuatur, ſiquidem fidem non ſervari contigerit. Sed an Jus Naturæ illos ſimpliciter eximere poſſit, merito ambigimus, cum nunquam Jure Gentium aliqvid ſanciri poſſit,

poſſit, qvin idem à Jure Naturæ validiſſime confirmetur. Ait qvidem Cl. Vir Jure Naturæ mala quæ hoſti inferuntur temperari poſſe ad rationem pœnæ alias inter homines pacificos uſurpari ſolitæ, ſicqve obſidibus parci poſſe, *quantum ratio belli & neceſſitas nos ipſos Defendendi & ad jus noſtrum perveniendi admittit*. Sed inde nihil aliud ſeqvitur qvam Civitatem cui obſides dati ſunt ex alio capite jure ſuo poſſe cedere, non tamen ideo ex Jure Naturæ hos minus recte occidi. Neqve etiam parcendi hic actus eſt, niſi mera Diſpenſatio, h. Declaratio Obſides ſtricto juri iſti non ſubjacere ob cauſam aliam univerſaliorem. Id vero jus ipſum ideo non imminuit, vel actum juri huic conformem Juri Naturæ opponit. An ſubdito injuria fiat, ſi Obſidis loco hoſti tradatur, facile cognitu erit ex *præc. Cap. §. VII. & IX.*

# CAPUT XXIII.

## *De*

# BELLO.

B*Elli neceſſitas*: *Definitio*: *A quibus geri poſſit?* *De juſtis cauſis Belli*: *Quis valor prætenſionum Illuſtrium*: *An Religionis propagandæ cauſa ſuſcipi poſſit?* *An ob Jus Naturæ à peregrina Republica violatum?* *An in præſidium Innocentium?* *Denunciatio Belli*; *Effectus Belli*: *Pax*, *Amneſtia*, *Reſtitutio*, *Satisfactio*: *Politica*

*ca Militaris: Jus Albinagii, Detractionis, Repreſſaliarum.*

I.

B*Ello* Reip. opus eſt, dum Juſticia deficit: Hujus indicium, ſi rationibus amplius agere nequeat. Privatis nunquam eo nomine qverendi materies, qvia habent Superiorem, cujus juſſu & coactione adverſarium agnoſcere oportet, qvod rationibus agnoſcere recuſabat: Unde vi ſibi mutuo inferenda perpetuo prohibentur. At in Rebuspp. ſecus eſt, quæ Judicem non agnoſcunt, coram qvo diſceptationes fori inſtituant. Vim igitur adhiberi, ipſasqve partes litigantes Judicis perſonam inducere oportet juri ipſarum proſeqvendo.

II.

*Bellum eſt Status hominum vim ſibi publice inferentium.* Qva univerſaliori circumſcriptione opus erat, ut Bella inteſtina, Bella adverſus rebelles &ſ. comprehenderentur, qvæ comprehendi non poſſent, ſi inter ſolas Reſp. Bellum verſari diceretur. *Grotius* vocat *Statum hominum per vim certantium*, qva talis eſt, prorſus eodem modo, nam per vim certare & vim ſibi mutuo inferre plane idem eſt. *Privata duella* cōtineri neqveunt, qvia illicita ſunt, niſi publica auctoritas interveniat, qvod patet ex §. *I.* Ea vero accedente contineri qvidem poſſunt, ſed tunc veluti Bella repræſentativa ſunt, cujuſmodi erat *Duellum Davidis* & *Golia-*

Digitized by Google

*Goliathi, Horatiorum* & *Curiatiorum* &ſſ. Nec *Pugilum* certamina huc trahi poſſunt, quia cauſa deeſt, deficiens nempe Juſtitia, quam ſatis eſt hic præſupponi. Unde & imagines Bellorum potius dixeris, ad eum modum, quo homo pictus homo dicitur, ſeu quo in Theatris aliqvem perſonam alterius gerere dicimus, qui licet perſona ipſa non ſit, perſonæ tamen imago eſt, adeoque omnia habet, quæ durante actu in veram perſonam cadere poſſunt.

III.

Cur omnes Principes haut æqve Bellum gerere poſſint, ratio ex libertate Reip. varioq; modo participandi jure Repræſentationis Reipublicæ pendet: Quod quid in receſſu habeat dicetur *Cap. ſeq.* Sic *Poloniæ* Reges non ſuo arbitratu, ſed volentibus iis, qui in Comitiis vota ferunt, Bella indicunt & inferunt. Nec Imperatorem *ſine Electorum, Principum, ac Statuum vel ſaltem Electorum præſcitu conſilio atq; conſenſu* id Jus habere docet *Capitul. Leopold. Artic. XIII.* Et *Carolum V.* jam tum A. MDXLIV. *Regi Galliæ* non potuiſſe nomine Imperii Bellum inferre patet ex *R. I. de An. MDXLIV. §.* So achten wir. In *Anglia* Rex ſumma poteſtate Belli & Pacis quidem fruitur, ſed jus Tributa imponendi non habet: Quod eſt ipſam vim Belli gerendi adimere, cum Pecunia ſit nervus rerum gerendarum.

IV.

*Cauſas Belli juſtas* reqviri omnes agnoſcunt, exque

eæqve ſunt, ſine quibus citra injuriam in pace vivere non poſſumus. Sed an ſemper tales ſint dictu haut æque facile. In Subditos utique examen earum non cadit, quia facultate judicandi de Statu Publico carent, & ſolum hoc habent, ut pareant. Hinc nec conſcientiam læſuros arbitramur, licet ipſi cogantur partem Belli in ſe ſuſcipere & in Bellum quod ipſi autumant injuſtum eſſe proficiſci: Quia quicquid peccatur hic, id non fit peccato proprio, ſed peccato Principis & alieno. Inter potiſſimas quæ allegantur, generalis eſt Proſecutio Juris ſui; *Speciales*, Vis hoſtilis, Recuperatio ablatorum, Injuria ſibi ſuisq; illata, inhibita commerciorum libertas: Quibus *Verulamius* addit justum Metum imminentis periculi, licet violentia aliqua non præceſſerit: Commendatque eum in finem tempora Regum *Henrici IIX.* in *Anglia*, *Franciſci I.* in *Gallia*, & *Caroli V.* in *Hiſpania*, inter quos eà viguit diligentia, ut nemo eorum vel palmam terræ acquirere poſſet, quin reliqvi duo rem ſtatim ad æquilibrium deducerent, neque pacem fœnore redimere ſuſtinerent; Et adjicit, idem præſtitiſſe Fœdus inter Ferdinandum Regem Neapolitanum, Laurentium de Medices, & Ludovicum Sforzam, Principes alterum Florentinæ, alterum Mediolani: Cui etiam Guicciardinus ſecuritatem Italiæ attribuit. *Serm. Fid. n. XIX.* Id tamen ſecus eſt, ſi incerti ſint metus, adverſus quos à Divina Providentia & innoxia cautione, non à vi præſidium petendum eſt, *Grot. II. I. n.* 17.

Præ-

V.

*Prætenſiones perſonarum Illuſtrium* ſæpe Bella fundare notum eſt; Neque dubium eſt iis vim aliquam ineſſe, ſunt enim indicio Juris proſeqvendi. Antiquiorum tamen minor videtur habenda eſſe ratio; Aliàs enim controverſiæ de Imperiis nunquam finiendæ forent, & litium ſemper nova ſuccreſceret materies. Ne dicamus ipſas Prætenſiones tales cum primum fundarentur, ſine dubio contradicentes, ſicque itidem prætendentes habuiſſe; Et hos quoq; ſi iterum aliæ prætenſiones manſerunt, veluti nunquam poſſeſſiones Imperiorum ſine prætenſionibus ſunt, quæ finis tandem, aut quod principale Jus fuerit talia prætendentium? Hinc non ſine cauſa urſit Jephthes contra Regem Ammonitarum; *Quando Iſrael habitavit in Heſbon & villis ejus, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos, quare tanto tempore nihil ſuper hac re repetitione tentaſtis? Igitur non ego pecco in Te, ſed contra me male agis, indicens mihi bella non juſta.* Judic. XI. 16. Syllabum ejuſmodi prætenſionum V. *ap. Petrum d' Avity, Lucam de Linda, Sprengerum* peculiari ſcripto *de præt. Illuſtribus*, & alios Hiſtoriæ Orbis Terrarum ſcriptores.

VI.

*Bella & Religionis propagandæ cauſa* geſta fuiſſe mediis ſeculis patuit è *Cruciatis* expeditionibus, quas Pontifices Maximi & alii Princeps ὁμόψυχοι armabant in *Saracenos*, ita dictos Hæreticos & alios,

alios, quos religionis obtentu obrui cupiebant. Eratque hoc inter arcana, qvibus & creſcentem Evangelii Doctrinam opprimi Cardin. *Vollaterranus* ſvadebat *Adriano VI.* P. M. *Nullum anteceſſorum Adriani hæreſes reformationibus excidiſſe, ſed* Cruciatis, *quas vocant, excitatis contra eas, Principibus & populis* crucis Symbolo inſignitis. *Meminerit Innocentium III. hac via* Albigenſes *in Gallia Narbonenſi oppreſſiſſe. & eandem ſecutos Pontifices* Waldenſes, Picardos, Pauperes de Lugduno, Arnoldiſtas, Speroniſtas & Patavinos, *quorum præter nudum nomen nihil remanſit, variis in locis extinxiſſe: Neque defuturos in Germania Principes, qui hoc conceſſo à Pontifice, ut liceat ipſis fautorum Lutheri territoria invadere, conditionem ultro ſint accepturi, maxime ſi populi vicini Indulgentiis & peccatorum expiationibus oblatis ad ſuccurrendum invitentur*, ap. *Petr. Suav. Hiſtor. Conc. Trid. L. I.* Sed recte monet *Grotius* I. Veritatem Religionis Chriſtianæ argumentis mere naturalibus perſvaderi non poſſe. Et II. Chriſto omnino hoc placuiſſe, ut ad Legem ſuam recipiendam nemo hujus vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur. *Rom. IIX. 15. Hebr. II. 15. Joh. VI. 67. Luc. IX. 54. Matth. XIII. 24.* In quo acqvieſcimus. Vid. pluribus *J. B. II. XX. XLIIX.* Confer. *Joſephum à Coſta de procur. ſalut. Indor. L. II. cap. II.* Secus eſt ſi Religio prorſus impediatur, in qvo eſt ſpecies Defenſionis. Ideo & *Defenſiva Piorum Bella* utplurimum feliciter ſucceſſerunt, cum *Offenſivis* raro optati ſucceſſus reſponderint.



Digitized by Google

VII.

Simile eſt, *an ob violatum Jus Naturæ exteram Remp. invadere liceat?* Ait ſæpe cit. *Grotius c. I. §. XL.* & Jus puniendi veluti ex Jure Naturali derivat, ſic Bello pœnas poſci poſſe à quibusvis perſonis Jus Naturæ aut Gentium immaniter violantibus docet. Et in Hypotheſi pro Jure occupatæ ab *Hiſpanis America Verulamius, ſe arbitrari,* ait, *conſvetudinem apud Gentes ejusmodi Homines ſacrificandi & multo magis carnes humanas manducandi tantam abominationem fuiſſe, ut erubeſcere cogatur, quicunque certe negaverit, morem hunc execrabilem cum aliis improbiſſimis conjunctum Hiſpanis juſtam cauſam tribuiſſe Territoria eorum invadendi, ut per Legem Naturæ proſcripta, & populum vel reducendi vel expellendi, de Bell. Sacr. p. 1310.* A quibus modeſte *diſſentimus*: Ratio noſtra in Theſi eſt: Pœnas proficiſci non poſſe niſi à ſuperiori; Reſpp. autem ſibi invicem pares ſunt. Antecedens prob. quia qui pœnas ſumit vim coercendi habet; Paris enim in parem nulla vis coercendi eſt, niſi quam ille etiam, qui coerceri debet, in coercentem exercere poſſit: In hypotheſi, quia ſimilis ratio in Rebuspp. noſtris obtineret, eoque nunquam altera ab alterâ etiam citra injuriam illatam ſecura foret. *Sicque cum graviſſime peccent interdum Principes aut Magiſtratus noſtri, licebit vel Gallo, vel Italo, vel Anglo Hiſpanienſis Reip. peccata caſtigare & jus dicere, ut viciſſim inter ſe Principes hac autoritate fungantur:*

Quo

*Quo neque ineptius, neque rebus humanis dici exitialius quicquam poteſt. A Coſta cit. Libr. de procur. Ind. Sal. L. II. c. V.* Igitur ſolum Deum Judicem hi caſus expectant, non Remp. aut Principem aliquem externum. Vid. pluribus *A Coſta. c. I. c. IV. V. VI. & Dan. Wulfer.* doctiſſima *Diſſ. præliminari in Itinerar. Joh. Jac. Saarii*, quosve ille ibi magno numero citat. Inſt. *In Beneficii loco reputandum eſſe, ſi homines à feritate abducantur.* Reſp. Inde ſequi hominem non prohiberi talibus faciendis, non tamen ideo jus habere alterum abducendi. Jus enim ſi haberet, ſuperior foret; Jus vero ſi non eſt, ſed Officium humanitatis jam violenter ad iſtud compelli nequit: Invito enim non eſt obtrudendum beneficium. *Grotii* argumento jam ratione priori ſatisfactum, quia ſi ex Jure Naturali Pœnas derivari oportet, paris in parem aliquod jus foret, quod tamen nullum eſt. Urget quidem ita fore, ut *hoſtis quidem in hoſtem puniendi jus habiturus ſit, etiam poſt ſuſceptum Bellum ex cauſa non punitiva: Quod tamen jus plerique concedunt & uſus omnium gentium confirmat &c.* Sed Reſp. Hoſti in hoſtem jus eſſe, ex diffidationis quaſi contractu & generali Principio: *Vim vi repellandam eſſe*; Non tamen id ideo Jus puniendi eſſe, quia in hoſtem quidvis licet, quod nullo pœnarum genere facile permittitur. Inſt. *Deum olim Amoræos ob delicta eradicari curaſſe.* Reſp. Juſticiam armorum ex Dei imperio pependiſſe, qui novit quid cuique fieri de-

 beat;

*Iſraelitas* vero non jus puniendi habuiſſe, ſed tantum divino Imperio ſe miniſtros præbuiſſe. *Ut e. præcipienti Deo necem filii imperantis religioſe paruit Abraham, utpote vita omnium Domino, ita quoque vel Joſue filius Nave, vel quicunque alius ſententiam Dei in populos reos exequi debuit, & judici ac dominatori omnium manus adminiſtras præbere: Neque tamen ob id licebit vel Patri in filium vel Principi in externum populum quantumvis impium gladium ſtringere.* A Coſta loc. ſæpe cit.

IIX.

Diſpar ratio eſt, *ſi innocentum Defenſio* titulum Belli præbeat; Tunc enim Reſp. lædens non ſimpliciter Jus Naturæ lædit, ſed cum Damno Tertii, eoque vitam Socialem turbat; Cenſenduſque Defenſor perſonam læſæ partis recepiſſe, & in iis ipſe læſus fuiſſe. Quid faciendum, ſi innocentes ſubſidium alienum non inclamaverint, vel inclamaſſe præſumantur, in medio relinquimus: Videntur namque tunc ſubſidiis non ſatis non eguiſſe, vel digna à nobis expectaſſe. Ratio generalis pro juſticia talis Belli eſt: Licere privato unicuique innocentem etiam cum invaſoris cæde, ſi opus ſit, eripere: Similiter e. Reipublicæ licebit in Rempublicam.

IX.

De *cauſis* Bellorum *ſatis*: *Antecedens* eorundem eſt *Denunciatio*. Quæ eſt *quaſi contractus, quo poſthac fit, ut quicquid alter in alterum conſulit, juſte feciſſe cenſeatur.* Hinc ſi abſit in captivos tq.

latro-

Digitized by Google

latrones animadverti poteſt: Ex quo capite Reſp. *Genevenſis Sabaudos* Nobiles, qui ſcalis admotis in urbem irrepſerant, morti addixerũt. *Meteran. L. XXIV.* Ille tamen ea opus non habet, qui *defendendi* cauſa Bellum ſuſcipit; Jus Defenſionis enim ei omnia, quæ contra hoſtem ſuſcipiuntur, in manus tradit. An *denunciatione* Belli *opus ſit, ſi altera Reſp. noſtram manifeſto læſerit?* Reſp. N. Quia Bellum quod tunc ſuſcipitur eſt ſpecies Defenſionis. Nec Offenſio in Bellis è prima armorum illatione; ſed è prima injuria æſtimanda. Vid. plur. *Beſold. T. II. Op. Pol. de Bell. c. V. §. IV.*

X.

*Effectus* eſt, ut *hoſtem quovis modò lædere liceat*: Nam quia ob defectum Judiciorum per indictionem in commutationes invitas easdemque violentas utrinque q. conventum eſt, ut alteri in alterum facultas lædendi conceſſa ſit, quicquid ita quælibet pars aſſequitur, q. per ſententiam Judicis & ex judicato habet, utrâque & judicando & exequendo poteſtatem Judicis occupante: Alia cauſa eſt, quia neſcimus quæ ratio futura ſit hoſtem in ordinem redigendi: Unde media huic fini promiſcue arripimus. Hinc ſequitur *captivos occidi* poſſe; Neque enim aliter hoſtium vires debilitari, aut illi ad pacis conditiones induci poſſunt, ſicque juri noſtro ſatisfieret, niſi ita cogi poſſent. Eadem violentia *infantes & fœminæ, etiam inanimata*, comprehenduntur, quia partes Civitatis ſunt, in quibus Civitas tq. totum æque

ac in aliis pati poteſt. Ideo *Pſ. CXXXVII. 9. Beatus dicitur, qui parvulos Babylonis petra alliſurus ſit.* Sed hæc ex *ſtricto* jure, & ſi propoſitum ſit univerſam Remp. hoſtilem delendi: Sicque Deus ipſe nemini è Cananæorum progenie parci voluit quod univerſam gentem deleri vellet. *Deut. XX. 16. 17. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere &c.* Cui ratio addita: *Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipſi operati ſunt Diis ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum.* Et *Saulus* ideo divinitus reprobabatur, quia contra injunctum ſibi ſtrictum Jus Belli egerat, & è gente *Amalakitarum*, quam univerſam Deus internecioni deſtinaverat, Agagum, ſimul bobus, ovibus, agnis &c. ſervaverat. *I. Sam. XV I. Cæterum* excipiendi *actus, qui ſine vitio morali peragi non poſſunt*, ut *ſtupra, adulteria*: Quia extra vitam ſocialem poſiti ſunt, ac proinde nullo ſociali jure permitti poſſunt. Nec minori conſideratione dignum alias quoq; conſvetudines plerarumque gentium conſenſu & tacita q. conventione invaluiſſe, quibus modus læſioni bellicæ ponatur: Quarum rationes videntur eſſe. I. Reſpectus communis utilitatis, atque ne pericula in bellis nimium intendantur. Præſumitur enim Bello Remp. hoſtilem non interire, ſed in ordinem redigi cupere, cum juri noſtro proſequendo tantum intenti ſumus. II. Ne omnis defendendi copia hoſti adimatur: Cujus iterum cauſa, quia pariter ac privatæ litis accuſando

&

& defendendo, ſic bellicæ controverſiæ oppugnando ac propugnando, tandemque cedendo videntur abſolvendæ eſſe. Defenſionis copiâ relictâ etiam hoſtis redditur inexcuſabilis: Ut teſtemur nos reliquiſſe, quidem ipſi materiam juri ſuo proſequendo, ſed ea ipſa illam excidiſſe. Sicque ipſi captivorum juri hodie modus poni ſolet, ut teſtemur nos non interitum hoſtium ſed conformitatem eorum quærere. *Fœminis etiam, infantibus, arboribus parcitur*; cum & defendendi copiam non habeant, & cædes ipſis illata non ſpem conformitatis, ſed interitum Reip. hoſtilis procuret. Tanto minus clandeſtina violentia veneni &ſſ. locum habet, quia itidem interitum hoſtilis Reip. non conformitatis ſpem præ ſe fert, nec defendendi copiam oppoſitæ parti permittit. Ideo ne ipſis quidem gentibus Deus, quas totas deleri juſſerat, talia inferri permiſit, ſed armata manu vinci & interire voluit; Vid. *Liber Joſuæ* paſſim.

## XI.

*Finis* Belli, ſeu id quod Bello quæri debet, *Pax* eſt: Qua ſi potimur, deſinimus; Videmur enim tunc Jus noſtrum ſatis proſecuti eſſe: Eſtq; *Pax veluti inſtar ſententiæ ab ambobus litigantibus apprehenſa, qua proſecutionem Jurium ſuorum dimetiuntur*. Sic *Cromwellus* cum An. MDCLVII. Regi *Galliæ* in *Flandria* adverſus *Hiſpanum* copias auxiliares mitteret, Nūmis Aureis inter Caſtren-



Digitized by Google

ſes Anglos diſtributis inſcripſit Elogium: *In Bello Pacem Quæro. Thulden. ad d. A. pag. 102.* Pax *eſt conventio de jure alterius non lædendo.* Si propoſitum lædendi non tollatur, ſed ſuſpendatur, non pax eſt, ſed *Armiſtitium, Induciæ.* Pacis partes *Amneſtia, Reſtitutio & Satisfactio. Amneſtiâ* injuriæ mutuo illatæ delentur: Clariſſima ejus deſcriptio *Art. II. Inſtr. Pac. Monaſter. Sit utrinque perpetua oblivio & Amneſtia omnium eorum, quæ ab initio horum motuum, quocunque loco, modove ab una vel altera parte, ultro citroque hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti, quoad perſonas, ſtatum, bona vel ſecuritatem per ſe vel per alios, clàm aut palam, directè vel indirectè, ſpecie juris aut via facti, in Imperio aut uſpiam extra illud (non obſtantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus) inferat, vel inferri faciat, aut patiatur, ſed omnes & ſingulæ hinc inde tam ante bellum quam in bello, verbis, ſcriptis aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, hoſtilitates, damna, expenſæ absque omni perſonarum rerumve reſpectu ita penitus abolitæ ſint, ut quicquid eo nomine alter adverſus alterum prætendere poſſet, perpetua ſit oblivione ſepultum.* Soletque pacificationi tq. fundamentum ſubſterni; Concuſſæ enim tot tumultibus partes aliter coaleſcere nequeunt, cum Bellum, dum durat, ſemper accedentibus novis injuriis ac damnis foveatur. Vid. plur. *Mævius Diſſ. ſingul. de Amne-*

*Amneſtia. Reſtitutione* rebus ademptis qui læſus eſt redditur, cujus iterum clariſſimam deſcriptionem ex *Inſtr. Pac. Monaſt.* ſiſtimus *Art. III. Juxta hoc univerſalis & illimitatæ Amneſtiæ fundamentum, univerſi & ſinguli Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status, (comprehenſa immediata Imperii Nobilitate) eorumque Vaſalli, Subditi, Cives & Incolæ, quibus occaſione Bohemiæ, Germaniæve motuum vel fœderum hinc inde contractorum ab una vel altera parte aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum eſt, tam quoad ditiones & bona feudalia, ſubfeudalia & allodialia, quam quoad dignitates, immunitates, jura & privilegia reſtituti ſunto plenarie in eum utrinq; ſtatũ in ſacris & profanis, quo ante deſtitutionẽ gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerũt, nõ obſtantibus, ſed annullatis quibuscunq;. Satisfactio* fit retributione æquivalentis, ſeu pro accepta injuria, ſeu pro opera poſita: Utriusq; tamen aliquando obſcurior mentio: Veluti in tranſactione *AngloBelgica* inter partes diſſentiẽtes ita cõvenit, ut neutrius mentione facta, *utraque pars* cum plenario jure ſummi Imperii, proprietatis & poſſeſſionis omnes ejusmodi terras, inſulas, urbes, munimenta, loca & colonias, quotquot durante hoc bello aut ante hoc bellum ullis retro temporibus vi & armis aut quoquo modo ab altera parte occupavit aut retinuit eum prorſus in modum, quo ea X. Maii proxime elapſi occupaverat & poſſedit. *Pacif. Anglo Belg. Art. III.*

## XII.

Sicqve & Rem Bellicam tractari oportuit, ne Juris univerſalis Principiis ſterilem relinqueremus. Integrum ejus apparatum exhibere peculiaris voluminis opus eſt, ne dicamus & peculiaris Partis Politicæ: Si enim Politiam Eccleſiaſticam juſtis voluminibus tradi licuit, qvidni & Politiam Militarem? Adeo omnia præſto ſunt, qvæ integrum corpus Publicum alias habet, ipſa Majeſtas, in ea Poteſtas Legislatoria, Judicia, Pœnæ, Dignitates, Subditi &c. Nec immerito ipſam *militiam Rempubl. Repræſentativam dixeris.* Sed hæc intelligentioribus relicta ſunto. *Alia quæ itidem Reip. cum Exteris intercedunt Privatos concernunt, neque Exteros tunc adeo, quam Subditos Temporarios: Exterorum Syllabo tamen comprehendendos, quod Jurium alterius Reip. forte capaces ſint, cum in noſtra ſimplicem protectionem habeant, ſine jure Civium; Sicque & onera ferant, quibus perpetui Reipubl. noſtræ Subditi eximuntur. Exercetur itaque in hoſce tales* Jus Albinagii [le Droit d'Auboine] *ut ſi moriantur hereditaria ipſorum bona Reip. cedant: Quo inter veteres jam tum Athenienſes & Romani uſi ſunt, his totam hereditatem peregrinorum, illis ſextam partem ſervosq; omnes in urbe natos ſibi vendicantibus. Hodie id ſtrictiſſime obſervatur in Ruſſia, Tartaria & univerſo Imperio Turcico; In reliqua Europa in Anglia, Italia & maxime omnium in Gallia, ubi ne Teſtamentum quidem condere permittuntur: Exceptis mercatoribus*

*toribus*

Digitized by Google

*toribus peregrinis, qui mercatus Pariſienſes, Lugdunenſes & Campaniæ frequentant; item Studioſis, & in. Helvetiorum Cantonibus. Vid.* Bodin. L. I. c. VI. *Quibus A. MDCLV. & Anglorum Natio adjecta* vi Tr. Pac. Anglo-Gallicæ de A. MDCLV. Art. XII. *Ratio ejus in eo ſita, quia præſumuntur morientes è Rep. commoda traxiſſe: Satius igitur, ut iſta intra eam maneant, quam ut in aliam Remp. transferantur. Simili nititur* Jus Detractionis, *quod illos manet, qui bona ſua è Rep. noſtra in aliam transferunt. Quia enim & illa præſumuntur in Rep. noſtra comparata eſſe, Reſp. eorum parte frui merito ſinitur.* Jus Repreſſaliarum *favor ad id quod debitum noſtrum eſt perveniendi, fundat, ut ex quorumcunq; bonis de iſta Societate noſtrum nobis vindicemus, cujus viribus debitor noſter tegitur. Vid.* Puffend. El. Jur. I. XI. 29. Confer. Grot. III. II.

# CAPUT XXIV.

## *De*

# VARIETATE RERUMPUBLICARUM.

*Fundamentum Varietatis Rerumpublicarum: Ipſa varietas: Prærogativa ſingulorum Reip. Formarum: Earundem incommoda: Reſp. Mixta: Regnum Limitatum: Theocratia: Fœdus Achaicum: Reſp. corrupta.*

I. Vidi-

I.

VIdimus Rempublicam, atque adeo Majeſtatem diverſis Actibus & Objectis ſuis variatam: Reſtat ipſarum *Formarum* Reip. *varietas*, quæ in differentia perſonarum Summum Imperium tractantium ſita eſt. Respublica enim veluti jus agendi habet, ita perſonam, cui iſtud inhæreat, præſupponit: Quæ vero in ipſa non niſi moralis, h. ad ſimilitudinem veræ perſonæ tantum formata ac proinde actionis expers, eſſe poteſt. Igitur alio eget à quo repræſentetur, & per quem vere agat. Sic Reſpp. quæ ab exteris Principibus reguntur corpus perfectum & Societatem Sibi-ſufficientem quidem conſtituunt, ſicque jus agendi habent, agere tamen neqveunt, niſi per eum, qui licet in aliena Rep. conſtitutus, perſonam moralem ipſarum recipit, eandemq; repræſentat. Similiter in Imperio noſtro *Germanico* tot perſonæ morales ſunt Epiſcoporum, Principum, Ducum, quot vota in Comitiis feruntur; Et tamen totidem perſonis ſingularibus illæ neutiquam exprimuntur, ſed una eademque perſona ſingularis ſæpe tres, qvatuor, qvinq; morales perſonas totidem Principatuum aut Rerumpp. ſuſtinet, à quibus ſingulis deinde Dux, Princeps, Epiſcopus ſeorſim vocatur, non aliam ob cauſam, quam quia omnibus perſonam ſuam ſingularem impertit, quæ perſonas Morales ſingulorum repræſentet. Vice verſa, licet plures aliquando in eodem Territorio Principes

ſint,

ſint, non tamen ideo multiplicantur jura ipſorum, vel totidem Reſpp. gignuntur, qvot Principes ſunt, ſed eadem quæ ante erat, Reſp. permanet, cujus perſonam moralem non amplius unus, ſed plures ſuſtinent: Unde nec in Comitiis jura ſuffragandi numero Principum multiplicantur, quia à Rep. ſeu Principatu, non perſonis Principatum ſuſtinentibus illa pendent. Et in ipſis privatis rebus noſtris unus aliquando unam, aliquando plures functiones, iterumq; plures ſæpe unam functionem gerunt, pro perſonarum moralium, quas repræſentant, varietate.

II.

Jus agendi igitur, quod Reſp. habet, veluti perſona moralis fundat, ita eandem tq. agere neſciam dum perſona Singularis recipit, Jus agendi ſimul aſſumit, ſicque perſonam moralem Reip. repræſentat. Hinc itaque Rerumpublicarum varietas, totuplex nempe, quot repræſentandi modi perſonas ſingulares capere poſſunt; Ipſæq; *Forma earum* nihil aliud quàm *varia Rempublicam repræſentandi genera.* Quodque non niſi triplex repræſentandi ratio detur, jam totidem quoque Rerumpp. genera ſolùm erunt: Unum, *quo unus è Civibus repræſentandi jus accipit*, alterum, *quo ſelecti civium*, & tertium, *quo omnes ſimul iſtud habent*: Quorum primum deinde *Monarchiam* vocarunt, ſecundum *Ariſtocratiam*, tertium, *Democratiam*; Et perſonas Formas haſce repræſentantes, hanc P*opulum*, illam *Optimates*, iſtam *Monarcham*, *Regem*, *Principem*.

III. Ca-

III.

*Cauſa varietatis* hujus ab ingeniis hominum pendet, quæ prout inſtinctu naturali ducuntur, hanc, illam, iſtam formam amplectuntur, eaque regi cupiunt. Sic *Orientem Regibus ſvetum*, jam olim agnovit *Tacitus Hiſtor. IV. 17.* Et *Capadoces* apud *Juſtinum* negabant gentem ſuam poſſe ſine Rege vivere. Item *Judæi*, cum θεοκρατίας ſuæ ipſos tæderet, ideo Regem ſibi conſtitui poſcebant, ut eſſent ſicut univerſæ nationes. *Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noſter & egredietur ante nos & pugnabit bella noſtra pro nobis. I. Sam. IIX. 20.* Nec alia hodienum gentium in tractibus iſtis opinio: Unde apud *Turcas* inter merita vitæ æternæ eſt mori jubente Imperatore Turcico, quod cœcam obedientiam Principi præſtandam velut inſtar partis Religionis accipiant. Neque recentium *Veziriorum* aliquis *Kara Muſtapha Baſſa*, vir ingenio, ſucceſſu rerum & gratia apud Principem eminentiſſimus, ſe ante cõſummatum autumabat, quam ſi mandato Sultani ſui interiret, id ſolùm felicitati ſuæ adhuc deeſſe ratus. Vid. hac de re prolixe diſſerentem accuratum Scriptorem Anglicum *de Statu hodierni Imp. Turcici L. I. c. III. in Diar. Eur. Cont. XXI. init.* Qui & cauſam hujus rei à ſervili ipſorum indole, quam ab ipſa nativitate ducunt, derivat. Et *Belgarum* Legatis in Oriente ſæpe gravi incommodo fuit, quod populi, quibus cum egerunt, Reip. Liberæ Imperium aſſequi non poſſent,

poſſent, oportuitque tunc nomen Principum *Arauſionenſium* ſubſtitui, ut in ipſo tanquam ſupremo capite Belgarum acquieſcerent; Quæ materies & ipſos *Conſiliarios Regni Chinenſis* diu ambiguos habuit, cū Legati Belgici A. MDCLV. inter eos negociarentur. De quo vid. *Joh.* Neuhoff Sin. Reiſebeſchr. *pag.* 161. Similiter *Africani* ingenii ſervilis notantur, cujus cauſam probabiliter colligunt ex maledictione, quam Noachus Chami poſteris imprecatus fuit, *ut eſſent Servi Servorum Gen. IX. 25.* Unde non populi modo Regium Imperium ferre, ſed ipſi Reges quoque nunquam ampla imperia vel condidiſſe vel conſervaſſe obſervantur. De *Americanorum* ſtatu loqvuntur Itineraria paſſim. Soli *Europæi* confidentiores, eoque ſemper liberius haberi voluerunt, unde & Reſpp. Liberas ſibi toties formarunt; Ut *Græci* antiquiſſimis temporibus, mox *Romani*, & nunc *Veneti*, *Helveti*, *Belgi*, *Genuenſes*, &c. Quas *Oriens* vel *Africa*, ſi *Carthaginem* excipias, nunquam vidit. Et ipſi nomini Regio eapropter cancelli alicubi poſiti, quod eſſent qui non quidem nimiam libertatem, nec tamen totam ſervitutem quoque ferendo eſſent. Veluti *Poloniæ*, *Angliæ* Reges ea poteſtate non ſunt, qua Reges *Hiſpaniæ*; Nec *Hiſpaniæ* Rex etiam eodem modo, quo *Caſtellanos* dirigit, *Aragonios* gubernat, plurimum enim horum libertati tribuit, quod illis denegat. *Sprenger. Ax. Stat. XXX.* Quæ omnia denique in ipſo mutationis periculo cla-

rent,

Digitized by Google

rent, ut ſi aliena à moribus populi Forma Reip. applicetur, eadem ceſpitet, ſæpe & imperantibus populum ſubducat, æqve ac calceus ſi pede minor ſit aut major, incommodus eſt & euntem impedit. Sic exemplo *Belgarum* patuit, difficile eſſe liberiori ſtatui aſſvetis Imperium ſingulare imponere; Hi enim prius deſiſtere non poterant, quam *Philippo II.* Fœdere Ultrajectino regnum abrogarent, & in plenam libertatem ſe aſſererent. E contrario *Anglorum* Reſpublica Regimini Monarchico aliàs aſſveta cum Libertatem perempto *Carolo I.* affectaret, incertis motibus & privatis inimicitiis tamdiu agitabatur, donec genii gentis probe conſcius *Cromwellus* cuncta non Regis quidem, ſed, quod perinde erat, Protectoris nomine ſub Imperium acciperet.

IV.

Hinc fluunt etiam *prærogativæ ſingularum Formarum*, ex Ingeniorum nempe, quibus applicantur, varietate æſtimandæ. *Monarchiam* commendat antiquitas & amplitudo, *Ariſtocratiam* & *Democratiam* Libertatis ſenſus, iſtam ſi minor ſit & paucos afficiat, hanc ſi omnes tangat. Sed alterutra harum ſi alteri applicetur, nulla erit, adeoqve commendari tunc deſinit. Nec diffitendum *ſingulas quoq; ſua manere incommoda*; Sic enim *Monarcha* commoda publica in privatum uſum ſuum facilius transferre, quàm plures qui publico proſunt, amicos etiam præ aliis evehere, & denique minori ad publica tractanda capacitate eſſe

poteſt.

poteſt. Sed è contrario in *Ariſtocratia* major æmulatio, in *Democratia* major inconſtantia obtinet, cum interea Princeps à ſeipſo invidia diſſentire nequeat, nec Decretis tam cito inconſtantiam afferre, quippe quæ nullibi frequentior, quam in multitudine. Sed de iis cogitandum, univerſam vitam noſtram ita comparatam eſſe, ut ſine incommodis trahi non poſſit, nec imbecillitatem noſtram ferre, ut aſſequendo ſimus, quantamcunque concipiamus perfectionem: Ac proinde unicuique acquieſcendum eſſe in ea conditione, quam imperfectione minori eſſe ſentit, non autem ſperandam, quæ illâ prorſus careat.

V.

Cur *Formis hiſce nihil derogetur, etiamſi aliter adminiſtrentur*, ac natura earum præ ſe ferre videtur, in Jure Repræſentationis itidem ſitum eſt: Ut *ſi Democratia Ariſtocratice gubernetur*, *Ariſtocratia Monarchice, Monarchia Ariſtocratice*: Quæ omnes integræ manent, etiamſi gubernandi ratio alia ipſis accidat: Quia ipſum Jus Repræſentandi penes ſimplices Formas remanet, quæ deinde ab aliis repræſentari patiuntur. Sic Proceres Jus Repræſentandi ſuum poterunt ſingulari perſonæ repræſentandum committere; Tutores, Curatores Regni Monarcham Infantem aut ſimplicem repræſentare; Iterum Cives ſelecti loco univerſi populi Remp. tractare; Et tamen ideo Majeſtatem non accipere, vel poteſtate abſoluta gubernandi pollere: Ob nullam aliam rationem,



Digitized by Google

quam quia non repræſentant Rempublicam, à qua Majeſtatem accepiſſent, ſed repræſentant eos, qui Remp. repræſentant, ſicque ſunt imago non rei, ſed imago imaginis, quæ nunquam tam perfecta eſt, quam illa quæ à vivo corpore ſumitur.

VI.

Plerique Politicorum præter *Simplices* haſce Formas, Quartam introducunt, quam *Mixtam* vocant, hoc eſt, è binis iſtarum vel omnibus coaleſcentem. Explicationem & applicationem ejus paſſim videre eſt, ideoque hiſce talibus superſedemus. In re ipſa agnoſcendum, adminiſtrationem Poteſtatis Publicæ ſæpe inæqualiter diſtribui, & dum plures ſunt, qui eam gerunt, in iis exiſtere, qui & in dignitate & rerum adminiſtrandarum numero cæteros antecellunt: Unde & eminentiora nomina iisdem attributa; Veluti hominum generi nunquam defuit materies externis honorum ſignis bene meritos proſequendi. Jamque tales Reſpp. ſiquis *Mixtas* vocaverit, non repugnaverimus, nihil erit tamen, quam ambiguo ſenſu Lectorem ludere. Ipſa vero Reſp. Forma an ideo deſinat Simplex eſſe, non ſine cauſa ambigimus, cum non deſinat à pluribus adminiſtrari, licet alter altero plus operæ in Regimen impendat; Gradus enim non variant rem, ſed illuſtriorem tantum reddunt. Æqve ac in Statu Monarchico Miniſtrorum alii plus, alii minus gerunt; Primus vero ſummam omnium, qni tamen ideo non deſinit Miniſter eſſe, licet reliquis emineat; Sic in iſta

Rerum-

Digitized by Google

Rerumpp. Mixtura Proceribus non eximitur, etiamſi ſit, qvi reliqvos & dignitate & rebus gerendis antecellat, perſiſtente clariſſima ratione, qvia, qvicqvid ille gerat, non ſolus tamen, ſed una cum aliis Jus Repræſentandi Remp. habet. Confirmat noſtram ſententiam Natura Majeſtatis, qvæ *conſiſtit in indiviſibili*, h. inter plures dividi neqvit, ne ipſorum qvidem jurium ejus reſpectu, qvippe qvæ à Majeſtate non differunt, ſed ſunt ipſa Majeſtas objectis tantum variata, perinde ac in Sole vis exiccandi & emolliendi objectis quidem divertunt, in ſe autem ſunt ipſiſſimus Sol objectis tantummodo varius: Qvod demonſtratum *Cap. XVII. init.* Atqui in Rep. Mixta unum, Monarcham, parte Majeſtatis, & alterum, Populum, Proceres, alia parte ejusdem frui oportet; Diviſam e. habebunt Majeſtatem, qvod Naturæ Majeſtatis repugnat. *Inſt. Eos in unam Perſonam Moralem coaliturós, qva indiviſibilem poſſideat.* Reſp. Ita revera Ariſtocratiam vel Democratiam evadere, in qva licet alter altero plus operæ ponat, non tamen Reſp. ideo deſinit perpetuo plurium opera adminiſtrari. Alia in contrarium prolixe congeſſit *Beſoldus Diſſ. Sing. de St. Reſp. Mixt. c. II. §. III.* Sed mera verba ſunt, nec reſponſionem merentur.

VII.

Affinis Reip. Mixtæ *de Regno Limitato* materies. Dixerit Aporeticus aliqvis ejusmodi Regna Limitata non tam Monarchias eſſe, (nam ſolus Princeps integram de Statu Publico diſponendi

poteſtatem non habet, ) qvam Ariſtocratias Monarchice gubernatas. Principemque non Remp. ſed Proceres Jus repræſentandi Remp. habentes referre: Inde namque derivatu facile foret, cur modum agendi ei præſcribant, cur jura qvædam relinqvant, cur aliis ipſi participare velint? Qvidni enim imago ad exemplar ſuum componi poſſet. Sic alibi Democratiæ gubernantur Ariſtocratice, h. paucorum arbitrio, nec tamen ideo Statum talem Ariſtocratiam Limitatam dicimus: Pauci enim qvi gubernant, non repræſentant ipſam Remp. ſed Populum: in qvo viva Reip. imago, his interim ab eo imaginem ſuam accipientibus: Confer. *præc. §. V.* & qvæ in ſimili negocio tetigimus *Cap. XII. §. IX.* Sed applicationem hic faciendam procul inſtituto noſtro meritò collocamus. Qvin fieri ſæpe poteſt, ut Princeps ad pertinaciam Subditorum componi & Rationem Status juri ſuo prævalere patiatur: Namq; & Sol ipſe ſæpenumero Ecclipſes patitur, non ratione ſui ipſius qvi perpetuo fulgidiſſimus eſt, ſed rerum qvæ fulgorem ejus haud perinde admittunt vel capiunt.

VIII.

Singulare eſt in veteri *Judæorum* Reip. ipſi Deo placuiſſe hominibns accedere, ſummamqve poteſtatem ejus humano more adminiſtrare: Qvo reſpectu & *Joſephus* Remp. hanc ſignificantiſſime θεοκρατίαν appellavit, *L. II. contra Appion.* qvaſi diceres Remp. in qva Princeps ſit ipſe Deus.

Ecce

Ecce Specimen. I. Dei cum Iſraelitis paciſcentis, & mox Populi jure ſuo cedentis & in Deum id transferentis. *Exod. XIX. 5. Si audiveritis vocem meam, & cuſtodieritis Pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea eſt enim omnis terra; Et vos eritis mihi in Regnum ſacerdotale.* Cui populus v. 8. *Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Secuta mox II. Solennia ſuſcepti Regni *v. 9. Jam nunc veniam ad Te in caligine nubis &c. toto Cap. XIX. & XX.* Tunc III. Leges latæ *c. XXI. & ſeqq.* De religione conſtitutum *c. XXIV. XXV. &c.* Caſus dubii ad eum relati, qvalis Blasphematoris *Lev. XXIV.* Filiarum *Zelaphedad Num. XXVII.* Magiſtratus ordinati *Num. XI.* Ipſe Moſes in vicarium populo præpoſitus *Exod. XIX. 9.* Inde Joſua *Num. XXVII. 18.* Cui etiam populus ſe obtemperaturum recipit, ſed cum expreſſa clauſula divinitus collatum ipſi Vicariatum præſupponente: *Sicut obedivimus in cunctis Moſi, ita obediemus & Tibi: Tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe.* Confer qvæ ad Jus Regium annotavimus *Cap. XXI. §. V.* Qvæ & infinita alia non poteſt ignorare, qvi in Sacris vel mediocriter verſatus eſt. IV. Dn. & finis hujus Regiminis non aliud qvam Divinum ſpirat. Is erat, cum Iſraelitæ Regem deperirent *I. Sam. IIX. Audi vocem populi, in omnibus quæ loqvuntur Tibi, non enim Te rejecerunt, ſed Me, ne regnem ſuper eos.* Dixit & contemptum ſui tonitru & fulgure vindicavit.



Digitized by Google

IX.

Ad *Cognata* Rerumpp. pertinent *arctiores confœderationes Rerumpp.* alias diſtinctarum. Qvalem hodie videre eſt in *Helvetiis*, qvi totidem Reſpp. conſtituunt, quot *Cantones* ſunt, ſed arctiori Fœdere unitas. Simile olim erat priſcum Corpus ſeu Fœdus *Achaicum*, quod tenaci unione ſua omnes Fœderatos iisdem amicis & hoſtibus involvebat, non tamen Rempublicam unam efficiebat, ſed multas, fœdere tantum implicitas, eſſe ſinebat; Cui inter eruditos noſtro tempore *Jac. Gothofredus* Imperium noſtrum Germanicum aſſimilavit; Nec procul hinc forte abeſt, qvod alius *Vir Cl. de Rep. Irregulari* publicavit. Sed hoſce ſuo patimur abundare ſenſu.

X.

Denique de *Rep. Corrupta* tria verba addenda, quæ toties fit, qvoties vel *Imperantes*, vel *Parentes*, vel *ambo à conformitate cum Natura Rationali, vel ſtudio Vitæ Socialis recedunt*. Ejus extantiora *Vis & Dolus*. *Vi* ſi *Magiſtratus* utatur, generali vocabulo *Tyrannus* audit, h. Magiſtratus manifeſta violentia imperans, & Tyrannis manifeſto violentum Imperium; Cujus conſervationem è duobus Principiis ſuſpendunt Politici. I. Ut populum Tyrannus omni nocendi poteſtate privet, qvod fit ablatis opibus, armis, præſidiis. II. Ut eidem & nocendi voluntatem adimat: Cujusmodi eſt, ſi inimicitiam in civibus occulte ſerat, ne dum ſibi diffidunt, conſpirare poſſint. *Vis* ſi *ſub-*

*ditos*

*ditos* armet duûm generum eſt, & vel in *factiones*, vel *ſeditionem* abit. *Factiones* ſunt coitiones Subditorum inter ſe & agitata cum aliis diſſidia; *Seditiones* motus ſubditorum in Magiſtratum. *Dolo* prætextus geniti, & ipſa adeo Politicæ, Simulationis, Rationis Status vocabula in abuſum tracta, non pietati aut Juſtitiæ, ſed rationi probabili, utilitati privatæ &ſſ. accommodata, ut innocuis nominibus fraudes ſpecioſiores fierent. In Subditis inde fiunt inſidiæ & proditiones; *Inſidia* ſimpliciter Propoſitum nocendi Reip. vel Perſonis Publicis; *Proditiones* Propoſitum communicandi cum hoſtibus involvunt. Cur nihil in corruptelis hiſce durabile ſit, non tantum in naturalibus patet, in quibus nullum violentum eſt perpetuū; Sed & in morali cauſa: Qvia homines dum vitam Socialem amplexi ſunt, neceſſario conformitatis cum eadem ſatagunt; A qva cum actus hi diſcrepent, eoſdem nec perſiſtere poſſibile eſt, qvia homines Status ſui memores ad culturam vitæ Socialis, & conſequenter conformitatem cum ea relabuntur. *Effecta* & faciem talis Reip. qui deſiderat, is Taciti hæc expendat, qvibus Romanum Imperium temporum à ſe deſcribendorum ita ſiſtit *Hiſtor. l. 2.* *Opus aggredior opimum caſibus, atrox præliis, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſævum. Quatuor principes ferro interempti. Tria bella civilia, plura externa, at plerumq; permixta. Proſpera in Oriente; adverſa in Occidente res. Turbatum Illyricum; Galliæ nutantes; perdomita Bri-*

*rannia, & ſtatim amiſſa. Coorta Sarmatarum ac Suevorum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam prope Parthorum arma falſi Neronis ludibrio. Jam vero Italia novis cladibus, vel poſt longam ſæculorum ſeriem repetitis, afflicta. Hauſtæ aut obrutæ urbes, fœcundiſſima Campaniæ ora. Urbs incendiis vaſtata, conſumptis antiquiſſimis delubris, ipſo Capitolio civium manibus incenſo. Polluta cerimoniæ, magna adulteria, plenum exiliis mare, infecti cædibus ſcopuli, atrocius in urbe ſævitum. Nobilitas, opes, omiſſi geſtiq; honores pro crimine, & ob virtutes certiſſimum exitium. Nec minus præmia delatorum invisa quam ſcelera: cum alii ſacerdotia & conſulatus ut ſpolia adepti, procurationes alii & interiorem potentiam, agerent verterent cuncta odio & terrore. Corrupti in dominos ſervi, in patronos liberti: & quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi.*

# CAPUT XXV.

## De
# LEGE REGIA.

*Lex Regia apud Jacobum: In Sacris V. T. In Jure Civili Status ejus ſub Auguſto: Locus è Dione & Xiphilino examinatus, cum inſtantiis & reſponſionibus: Continuatio Legis Regiæ ſub ſucceſſoribus Auguſti: Plenior explicatio ejus: Fragmenti Legis Regiæ Romæ adhuc conſpicui examen*

Digitized by Google

*examen ac dilucidatio: Utrũ Lex Regia ſub Principibus poſt Veſpaſianum fuerit? Aliarum Inſtantiarum contra eam examen: Vindices Juſtiniani ac Triboniani.*

I.

LEX REGIA ambiguo ſenſu venit. In *Jacobi Epiſtola c. II. 8. legitur: Si perficitis LEGEM REGIAM ſecundum Scripturas: Diliges proximum Tuum ſicut Teipſum, bene facitis.* Ubi LEX REGIA perinde dicitur ac via Regia *Num. XXI. 22.* qvæ veluti obliqvis viarum diverticulis opponitur, Sic Lex Charitatis, Diliges proximum &c. eſt LEX REGIA, *quippe Via Regia inſtar omnibus patens, omnes proximi nomine comprebendens, quos officio tuo juvare poſſes*: Quæ Bezæ eſt ſentpntia ad *c. l. Jacobi.* Alii LEGEM REGIAM vocatam volunt, q. præſtantiſſimam; Alii ab effectu ita dictam autumant, qvia faciat nos Reges & Sacerdotes &c. Qvibus non immorabimur. Certum eſt *Legis Charitatis* hoc Elogium eſſe, qvod & omnes Interpretes æqve agnoſcunt; Qvi in rationibus attributi hujus Elogii ſi varient, communi Vocabulorum ſorti id impingendum eſt, cum notum ſit, unius Nomenclaturæ varias rationes reddi poſſe.

II.

LEHEM REGIAM deinde in Sacris vocant qvod *Deutr. XVII. 15. & ſeqq.* Regi Iſraelitico præſcribitur; Item quod Samuel Iſraelitis pro-

ponit *I. Sam. IIX.* Quorum *hoc* eſt Poteſtas Moralis Regi in Iſraelitas licita; *Iſtud*, Formula vivendi eidem præſcripta, ne poteſtate ſua abuterentur. De qvibus prolixe egimus *Cap. XXI. §. V.*

III.

LEX REGIA, de qva hic dicere inſtituimus, eſt illa, cujus meminit Imperator *L. 1. §. Sed & hoc 7. C. de Vet. Jur. enucl. Lege antiqua quæ Regia nuncupabatur, omne jus omnisque poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſunt poteſtatem.* Confer *§. 6. Inſt. de J. N. & l. 1. ff. de Conſt. Princ.* Eandem *Legem Imperii* vocat Adrianus Imp. *L. 3. C. de Teſtam. & quemadm. Teſt. ord. Licet enim* Lex Imperii *ſolennibus Juris Imperatorem ſolverit, nihil tamen tam proprium Imperii eſt, quam Legibus* vivere. Et iterum Juſtinianus *Auguſtum Privilegium l. un. §. 14. C. de Cad. toll. Tantum etenim nobis ſupereſt clementiæ &c. tamen nec illi pepercimus, nec* Auguſtum Privilegium *exercemus. Lex Auguſti* ap. Paulum JCt. *l. 14. ff. de Manumiſſ. Imperator cum Servum manumittit, non vindictam imponit, ſed cum voluit, fit liber is, qui manumittitur ex* Lege Auguſti. Et denique res vocabulis hiſce expreſſa *L. 2. §. 11. ff. de O. J. Conſtituto Principe datum eſt ei Jus, ut quoad conſtituiſſet, ratum eſſet.*

IV.

Communis intentio huc redit; Imperatores geſſiſſe ſummam poteſtatem, ſeu abſolutum Jus in Populum Romanum; quod ab Auguſto usque

ſe

Digitized by Google

ſe ita habuiſſe *Tacitus* nos dubitare non ſinit. *Ann. l. 2. Poſito Triumviri nomine, Conſulem ſe ferens & ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatus, Magiſtratuum, Legum in ſe trahere, nullo adverſante; cum ferociſſimi per acies aut proſcriptione cecidiſſent, cæteri nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Neq; provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatus Populiq; imperio ob certamina potentium, & avaritiam Magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.* Nimirum munia Senatus, Magiſtratuum, Legum tractare Jura Majeſtatis ſunt; Neminem adverſari, omnes ſervitio promptos eſſe Signa Subditorum, Suſpectum Senatus populique Imperium indicium propenſarum in Monarchiam mentium. Sic idem *Hiſtor. l. 1. Omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit: Et Annal. l. IX. Non aliud diſcordantis Patriæ remedium fuiſſe, quam ut ab uno regeretur;* Et ante *cit. loc. 2. §. 11. ff. de O. L. Per partes evenit, ut neceſſe eſſet Reip. per unum conſuli.* Atqui unus ille Auguſtus erat, qui *cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit Tac. Ann. l. 1.* Auguſtus igitur ſummam poteſtatem & abſolutum Jus in Rep. Romana obtinuit. Nihil eſt urgere Auguſtum ſubinde proprio judicio videri volu-



Digitized by Google

voluiſſe Senatu Populoque inferiorem; Seu Auguſtum populo inferiorem fuiſſe, quia ipſe voluit & pro tali ſe geſſit. *Sueton. Aug. XXIIX. & ff. Fuere ſimulacra ſpecioſa verbis, re inania: Quantoq; majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infenſius ſervitium*, prout de Comitiis, Conſularibus ſub *Tiberio* loquitur *Tacitus Annal. I. 81.* Ipſum Auguſtum inſtituit Mœcenas apud *Dionem L. LII. Conſulibus honorem relinque, at viribus exue*. Quod qvid eſt, ſi non ſimulare eſt? Unicum exemplum demonſtrationi ſuffecerit: Auguſtus licet poſſet omnium Provinciarum regimen ſuſcipere recuſavit; ſed cum Senatu Populoque paritionem quaſi inſtituit, de qva prolixe agit *Dion. L. LIII.* ita ut quædam Provinciæ Populi, aliæ Cæſaris eſſent. Tam callide tamen diviſionem hanc inſtituit, ut pacatas atque invalidas provincias Proconſulibus relinqueret, ſibi vero retineret, qvæ aut annonam Urbi aut Italiæ ſuppeditabant, aut propter vicinum hoſtem, bellique metum copiis perpetuo teneri debebant. *Scilicet cum omnia jam poſſet & omnibus dominaretur, dominus tamen tamen videri noluit. Ut popularis opinionem ſibi aliquam pacaret, recepta in ſe omni Republica cura negavit ſe omnes velle provincias obtinere aut quas regendas ſumſiſſet in perpetuum gubernare. Ideoq; infirmiores, quia eſſet pacatiores, aliis attribuit; Potentiores Provincias, ut qua plus periculi oſtenderent, ac vel hoſtes accolas haberent, vel novas per ſe ipſa motus ciere poſſent ſibi retinuit. Id faciebat ſub*

*hac*

*hac ſpecie ut Senatus Bonis Imperii tuto perfrueretur, ipſe laboribus & periculis objectus videretur. At ſub hoc prætextu eum vere inermem imbellemq; afficiebat, & ad ſe ſolum arma militesq; transferebat,* inquit ipſe *Dion. L. III.* Diſſimulavit e. quod revera erat: Non autem ideo non erat, quia ſe non eſſe ſimulabat. Simulationem rei aliquid addere vel demere ſane nimis imbecille argumentum Politicum eſt. Confer. *Bachov. ad §. 9. Inſt. de J. N.*

V.

Porro ſententia noſtra in Scriptis *Dionis* & Epitomaſtæ ejus *Joh. Xiphilini* liquido claret. Prioris verba paſſim allegantur; ex *cit. L. LIII.* Poſterioris fere eadem ſunt ſequentia, quibus more ſuo iſta in compendium redegit: *AUGUSTUS dictus eſt; quaſi hominum naturam excederet. Nam ea quæ ſacroſancta & in maximo honore ſunt, Auguſta eſſe dicuntur, quamobrem Græci eum σεβαςὸν nominabant; ſcilicet cultu & honore digniſſimum. Cujus nominis appellatio, quemadmodum* Imperatoris, *ad cæteros qui eum ſubſequuti ſunt, pertinuit; propter ſummum & ampliſſimum eorum imperium. Nec ſunt Reges aut Dictatores appellati, quæ nomina ſemel ſunt profligata è Republica; ſed eorum facta & poteſtas Imperatoris verbo continentur. Hanc autem vim habent ſupra dicta vocabula, ut ex iis poſſint conſcribere milites, colligere pecuniã, inferre bella, pacem facere, ac poſtremò Senatoribus mortem afferre. Sed quod* Cenſores *ſunt, de moribus*

*ribus noſtris judicium faciunt, cenſent populum arbitratu ſuo, legunt in Senatum, & Senatu movent. Quod autem ſunt omnibus* Sacerdotiis *conſecrati, eo* Pontifices *faciunt, & ſacris præſunt.* Tribunitia *vero* poteſtas *eos facit inviolabeles: nam ſi quis eis maledicere, aut vim afferre viſus fuerit, indemnatus, ut ſacrilegus, occiditur. Igitur Imperatores his nominibus fulciuntur, ut omnia habere videantur conceſſu populi. Id vero hiſce nominibus acceperunt, quod antea civium Romanorum datum eſt nemini, ut ſoluti legibus eſſe dicantur, ὡς αὐτὰ τὰ Λατῖνα ῥήματα λέγουσι, hoc eſt, omni Legis Neceſſitate Liberati, nec iis quæ Scripta ſunt ſubjecti. Itaq; dempta nominis acerbitate, regiam obtinent poteſtatem.* In quibus duo obſervanda ducimus. I. Ab Auguſto usque Romanos Principes Regia poteſtate polluiſſe, quod clariſſimum eſt. II. Idem publica ſanctione confirmatum fuiſſe; Quod Decreta Senatus ap. *Dion.* & hic formula: ὡς αὐτὰ τὰ Λατῖνα ῥήματα λέγουσι, *ut ipſa Latina verba dicunt*, confirmat, id enim non niſi de verbis alicujus Legis accipi poteſt. *Barbov. c. l.* aut certe de verbis alicujus Actis publicis inſerti. *Inſt. I. Dionem occaſione illorum, quæ Auguſto decreta erant, excurrere in locum quaſi communem, & qualia uſurparent Romani Principes, reticendo interim Jus eorum, tradere.* Reſp. Concedi poſſe, ſed ideo Auguſtum non excludi, quippe à quo initia hujus poteſtatis ducta fuere, quod antea demonſtratum. Dicere autem eos de facto non de jure talia uſurpaſſe, erit petere

τῷ ἐν ἀρχῇ. Affirmanti incumbet probatio. II. *Dionem Hiſtoriam ſuam ita ornare voluiſſe, ut Domui Auguſtæ placeret, cum Conſul Romanus ſimul Alexandro Mammeæ F. fuerit.* Reſp. Ita univerſam Hiſtoriam veterem in dubium vocari poſſe, ſi ſcribat, quæ ſcripta nollemus; Aut cur non ſimiliter ſuſpicaremur, Te dubia ejuſmodi movere, quia licentiæ majori, quam quæ à Statu Monarchico permittitur, inhies? III. *Dionem formulâ, ut* Latina verba ſonant, *tantum explicare voluiſſe, quid Latinis ſit Legibus ſolvi, atq; cum Græca Formula eandem emphaſin habens ſibi non occurreret, contentum fuiſſe verbum verbo reddidiſſe.* Atqui I. *Dion.* Romanis ſcribebat, ad quos illo tempore tota fere Græcia commigraverat. Cur ergo Græcas Phraſes illis explicaret? II. Nec verba λύεσθαι νόμων, *Solvi Legibus*, à Græcis aliena ſunt, quod vel Tirunculi noſtri in Lexicis facile obſervaverint. Excuſatione igitur opus non erat. Explicationem vero ſi adhibuit, iſtud fecit, quod omnibus vocabulis fieri ſolet, ut circumlocutionibus aliis clariora reddantur ex eadem Lingua. III. *Add.* Xiphilinum etiã de Tiberio dicere, ἐν τινι δόγματι ῥήματι μὴ λατινῷ χρησάμενος. In ſententia quadam verbo minus Latino uſus. *Quod æque abſurdè aliquis ad ſpecialem quandam Legem applicuerit, atq; per* Λατῖνα ῥήματα *Lex Specialis Latino q. Idiomate concepta intelligit.* Reſp. Tiberii e. vocabulum minus Latinum ſententiam præſuppoſuiſſe, qua comprehenſum fuerit; Atq; adeo

adeo hic etiam Verba Dionis ſententiam præſupponere, quam publicam fuiſſe ſubſtrata materies facile docet, quippe quæ tota in publicis verſatur. IV. Dionem, *ut diſſerit de Prærogativa Romanorum Impp. ita ad ſummum dicere, eos LL. ſcriptis ſeu poſitivis ſolutos fuiſſe; Expreſſe enim loqui* περὶ τῶν γεγραμμένων. Inanis exceptio: Non poterat de aliis loqui, quam poſitivis. Hæ ſolæ enim Principi Remp. ſubjiciebant, vel hodienum ſubjiciunt; His itaque ſolis etiam ſolutum dicere oportebit: Solas LL. concernentes aut quaſdam ſolennitates, aut etiam ordinem à Magiſtratibus domi militiæque obſervari ſolitum intelligi, has inviolaſſe Octavium, his ut ſolveretur ipſius interfuiſſe, facile abnuet, qui quid Monarchia Romana fueritit, cognitum habet. Dionis verba clara ſunt: *Omni eum Legum neceſſitate Senatus liberavit.* Explicatio ſtatim ſequitur: *Ut, veluti demonſtratum à me eſt, vere cum plena poteſtate perfecteq; ſui juris, Legibusque ſolutus agere aut non agere omnia ſuo poſſet pro arbitrio.* Id plus eſt, quam ſolennitatibus Juris ſolvi. Plus etiam naturam Majeſtatis requirere demonſtravimus *Cap. XIII.* Præterea *Dion. L. LI.* ubi de honoribus Auguſto à Senatu decretis: *Utq; ad eum provocationes fierent, ac ipſe in omnibus judiciis ſuffragium q. Minervæ ferret.* Suffragium Minervæ veteribus eſt irrefragabile; Jus igitur extremæ Provocationis etiam habuit, quod non habet, niſi qui ſumma poteſtate gaudet. Inſt. I. *Suffragium Minervæ exponi poſſet de conſilio.* Atqui

Digitized by Google

qui Veteres ſententiam, Decretum ita dici volunt, quæ differunt à Conſilio. Videantur Mythologi & Lexica. Scriptura quidem & *Achitopheli* tribuit, Cõſilium ejus habitum fuiſſe divini inſtar. *II. Sam. XVI. 23.* Sed irrefragabile non erat, nam prævalebat ei Conſilium *Huſai I. Sam. XVII. 7.* Et cur non Auguſtum cum Davide potius comparamus, Principem cum Principe; De cujus Judicio dum mulier Theocoitis diſſerit, *Dominus meus Rex*, ait, *eſt ſicut Angelus Domini.* II. *Senatum promiſiſſe quidem ſe pedibus tranſiturum eſſe in quamcunque ſententiam, ſed inde colligi non poſſe, Senatum Populumq; omnem ſuam poteſtatem in eum ſimul tranſtuliſſe.* Reſp. Nec Dionem ſimplex aliquod aut crudum Senatus promiſſum deſcribere, ſed Jus extremæ provocationis, δικάζειν ἔκκλητον, quod qui habet, Majeſtatem habet.

VI.

De *Auguſto* itaque res clara eſt. De Succeſſoribus ejus minores ſcrupuli, qui quod ab eo acceperant, conſtanter retinuere, præſtatione quoque & exercitio auxere. *Tiberium* heredem Auguſtalis Imperii ſummam poteſtatem non geſſiſſe in tanta Hiſtoriarum luce quis negaret? Ne multa accumulemus: *Rei Romanæ arbitrium tribus ferme & viginti annis obtinuit*, inquit, *Tac. Ann. VI. 51.* Quo quid clarius? Unum dubium eſt: Hunc ipſum Tiberium firmato Principatu Populum jure Comitiorum exuiſſe. E. non accepit. E. Lege Regia, hoc ei decretum non fuit. Reſp. Colli-

gendum erat, E. habuit jus exeundi. Quanquam & accepiſſe dici poſſe agnoſcet, qui naturam Majeſtatis perſpectam habet. *Taciti* verba quæ huc pertinent, extant *Ann. I* 15. *Tunc primum è Campo Comitia ad Patres translata ſunt: Nam ad eam diem*, etſi potiſſima arbitrio Principis, *quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum Jus queſtus eſt niſi inani rumore.* Inde ſiquis colligeret, Principem ante hac minus juris habuiſſe, eum facile refellet, quod inſertum eſt: *Potiſſima arbitrio Principis ſtetiſſe.* Sic hodienum Regnum *Galliæ* Jus Comitiorum Ordinibus permittit; Sed non alio quam Romano iſtorum temporum more, ut potiſſima arbitrio Principis fiant. *Caligulæ Jus arbitriumq; omnium rerum permiſſum eſt. Suet. Cal.* 14. *Claudio Dion* αὐταρχίαν tribuit, h. Summum Imperium. Ridiculum eſt argumentari: Eum qui ſummum Imperium habet, mox abſolutum quoque non habere. Summus qui eſt, nemine inferior eſt, Abſolutus qui non eſt, aliquo eſt inferior. E. qui ſummus eſt abſolutus eſt. *Neronis* initiis quidem multa arbitrio Senatus conſtituta eſſe ſcribit *Tacitus Ann. XIII.* 5. Sed præmonet, ipſum ea tantum declinaſſe, *quorum recens flagrabat invidia. c.* 4. Suetonius ab oſtentatione orſum dicit *Ner. IX.* Ideo gratias agenti Senatui reſpondiſſe tradit: *Cum meruero.* Non tamen cum nimiis ſe ſentiret cumulari honoribus: Hos enim recepit, *tantum Patris Patriæ nomine recuſato propter ætatem Id. Suet. c. IIX.* E. Galbæ,

bæ, Ottonis, Vitellii turbulentis temporibus nihil contra abſolutam Poteſtatem colligi poteſt. Ipse Otto priſcæ Anteceſſorum ſuorum ſimulationis memor, *vergente jam die ingreſſus Senatum, poſitaq; brevi ratione, quaſi raptus de publico, ſuſcipere Imperium vi coactus, geſturumque communi omnium arbitrio* Palatium *petit. Suet. Ott. 7. Veſpaſiano deniq; Senatus cuncta* Principibus *ſolita decernit. Tac. Hiſt. IV. 3.* Quo ſenſu mox explicat, qua nec Senatus obſequium ipſi defuiſſe ſcribit.

VII.

Ita unanimi Hiſtoricorum calamo Impp. Romanis abſoluta poteſtas aſſeritur; Atque adeo res Regiæ Legis nomine involuta ſibi conſtat. *An Vocabulum initiis ejus par extiterit*, id nobis quidem curatio non erit. Satis eſt Imperium, Rei Romanæ arbitrium omnium rerum, *αὐταρχίαν* vocari. Non ſemper coæva requiruntur rebus vocabula. Pactum populi Romani interceſſiſſe, tam neceſſarium erat, quam ejusdem intererat, ſummam rerum ad unum redire. Deſiderium propriorum commodorum & mutuus metus, quæ homines in ſocietatem, in Rempublicam animant, eadem Populum Romanum in formam talem Reip. animarunt. *Taciti* verba de *Auguſti* temporibus clara ſunt: *Cæteros Nobilium &c. tuta & præſentia, quam vetera & perîculoſa maluiſſe. Neque provinciæ illum rerum ſtatum abnuebant, ſuſpecto Senatus* Populiq; *Imperio ob certamina potentium & avaritiam Magiſtratuum, &c.* De *Tiberii*

Z 2 tem-

temporibus idem *Ann. I. 7. Sext. Pompejus & Sex. Apolejus Coſſ. primi in verba Tiberii Cæſaris juravere: Apudq; eos Sejus Strabo & C. Turranius, ille Prætoriarum cohortium præfectus, hic Annonæ, mox Senatus, milesq; & Populus.* Non abnuere ſtatum rerum, in verba Principis deinde jurare, quid aliud eſt, quam conſentire in poteſtatem ejus, h. ab eo ſecuritatem paciſci & loco ejus promittere obedientiam? Nec ratio conſenſus latet: Quoniam aliter Jus ſuum ipſi proſequi, aut injurias aliorum propulſare non poterant. Confer. *Cap. XI. §. II. Cap. XII. §. IV.* Pactum hoc vero ſeu ſimpliciter iniverint, ſeu peculiari Formula conſignari curaverint, ſeu denique & Legis nomine ſibi propoſuerint, haud multum referet. Formulam quidem etiam interveniſſe ex *Dionis* verbis antea eruimus. Si tamen abſuiſſet, ſatis erat Populum Romanum Impp. ſuorum abſolutam poteſtatem agnoviſſe.

## IIX.

*Veſpaſiani* tempora vero ſingillatim concernit *Fragmentum Legis Regiæ*, hodienum Romæ conſpicuum, quod ferunt Veſpaſiano decretum, ſcriptoque ſingulari explicatum eſt à *Juſto Ekbardo*, cui Titulus: *Explicatio Legis Regiæ*: Quod tamen parum præſidii ſuppetere poſſe remur, cum aliud non ſit, qvam nova declaratio jam dudum agnitæ à Romanis poteſtatis abſolutæ Imperatorum; Qvam utrum faciat ſubditus necne, parum refert. Quam ſemel recepit obedientiam, eandem & ipſe & poſteri ejus æqve præſtare tenentur, niſi Prin-

ceps

Digitized by Google

ceps ipſum fide ſeu tacite ſeu expreſſe exolverit. An juſtam fictionis ſuſpicionem Lectori movere poſſit, in medio relinquimus. Id non diſſimulandum, rationes hactenus contra illud allatas minus ſolidas eſſe. Generalis nulla eſt: *Sæpe falſas Inſcriptiones pro veris ſubſtitui.* Nam & veræ ſæpe falſitatis accuſantur. Exempla allegari hujus loci non eſt: Videantur Antiqvariorum Scripta. Deinde in ſpecie urgetur I. Verba Fragmenti: *Quibusve ſuffragationē ſuam dederit, promiſerit, eorum Comitiis quibusq; extra ordinem ratio habeatur: Figmentum ſapere*, qvia *Comitia usque à Tiberio Imperatore obliterata, imo everſa fuerint.* Reſp. Non omnia, ſed centuriata tantum, h. ne in poſterum aliqua ſtudiis Tribuum fierent. Tacitus Comitia Conſularia primum Tiberio Principe ac deinceps fuiſſe docet *Ann. I. ult.* De his ſi fragmentum intelligatur, cujus figmenti poſtulari poterit? De nullis in ſpecie Comitiis loquitur, ſed in genere *De Comitiis quibusque:* Talia e. intelligenda quæ iſtis temporibus erant. Inſt. 1. *Comitia Conſularia Judicia fuiſſe & Comitiorum nomine indigna.* Reſp. Iis tamen ſupereſſe potuiſſe, ut Imperatoribus ſeſe non adverſaturos eſſe declararent, quod Tabula hac factum jam initio diximus. 2. *Quis ſic auſit colligere: Senatus Imperium Veſpaſiano à milite delatum comprobavit. E. tum ipſe tum Populus per ſui abdicationem Summum Imperium & ſummam poteſtatem in eum contulerunt?* Reſp. Sanum unumquemque id auſurum: Quia & Senatus & Populus jura ſua jam dudum in unum contule-


Digitized by Google

tulerant. E. & in Veſpaſianum: Denuo autem conferri opus non erat: Quo enim alii ſemel ceſſimus, id manente eadem conditione alterius manet: Poterant tamen factam collationem iterato declarare. 3. *Eo ipſo quod Senatui jus fasque fuerit probare aut improbare Veſpaſiani Imperium, convenienter infertur: E. Senatum nondum exarmatum atque omni Imperio exactum fuiſſe.* Reſp. Falſum eſt, Senatum jus habuiſſe approbandi Imperium: Obedientiam ſuam declarare poterat; Jure iſto exciderat ex quo Summum Imperium Impp. agnovit. II. *Speciatim Inſcriptio hæc aliquoties meminit Auguſti, Tiberii & Claudii, quaſi ſoli conſentiente populo regnarint, cum tamen Svetonius IV. XIV. etiam Calligulæ conſenſu Senatus & irrumpentis in Curiam Turbæ jus arbitriumq; omnium rerum permiſſum ſcribat.* Reſp. Iniqua accuſatio: Fragmentum quia Auguſti, Tiberii & Claudii tantum meminit, ideo alios excluſiſſe. Quin horum tantùm mentionem fecit, quia primi abſolutæ poteſtatis conditores fuere. III. *Sufficiſſet meminiſſe unius Auguſti, cum illi qui in alia à nobis abeunt (videatur vel ſolus Lanſius de Lege Regia) velint hanc vexatã Legem ſub Auguſto latam.* R. Breviter: Non ſuffeciſſet, quia non tantum fundata poteſtas Imperatoria, ſed etiam continuata indicari debuit. IV. *Inſcriptio docet Legem quaſi Regiam ſub Veſpaſiano Imp. renovatam eſſe, eique ſingulares prærogativas delatas eſſe præ aliis, qui eum anteceſſerant Auguſtis. Sed obſtat Tacitus apud quem L. IV. Hiſt.*

*Hiſt. c. I. hac offendas*: At Romæ Senatus cuncta Principibus ſolita Veſpaſiano decernit. *Si non niſi ſolita decreta fuerunt, na fides Inſcriptionis hujus vacillat.* Reſp. 1. Falſum eſt Legem renovatam eſſe, niſi eo ſenſu, quo novam declarationem obedientiæ factam, renovationem obedientiæ dixeris. 2. Falſum etiam ſingularem *Veſpaſiano* prærogativam fragmento hoc deferri; Summum Imperium qvi habet, omnia habet, nulla nova acceſſione augeri poteſt; Si qua parte Fragmenti mentio *Auguſti, Tiberii, Claudii* non injicitur, inconſequens tamen eſt, eos ideo partem talem ſummi Imperii non habuiſſe. 3. Sophiſma Logicum eſt: *Tacitus* ſolita *Veſpaſiano* decreta dicit, E. non niſi ſolita decreta fuerunt, h. decreta fuerunt aliqua, ſed alia remanſerunt, qvæ non fuere decreta. Majeſtas, abſolutum Imperium gradus non admittit; Solita e. Veſpaſiano decreta ſunt, h. omnia, qvæ in ſummum imperium cadere poſſunt. Inſt. *Patronis Legis Regiæ hac tria præſtanda eſſe*: *I. Indicare Principem, ſub quo Lex hac primitus lata fuerit. II. Docere eam ſub ſingulis Principibus renovari conſveviſſe. III. Hoc ſpeciatim factum fuiſſe in gratiam Veſpaſiani.* Reſp. ad I. Id factum fuiſſe ſub Auguſto, qvod demonſtratum *§. IV. & VII.* Ad II. Renovatione non opus fuiſſe, qvia Romani ſemel jure ſuo ceſſerant. Singulos Principes tamen abſolutam geſſiſſe poteſtatem demonſtratū *§. IV.* Declarationem novam vero aliqvando factam exemplo Tiberii *§. VII.* & Caligulæ hoc *§.*

 ad Rat.

ad Rat. II. oſtenſum. Ad III. Id verba *Taciti* docere, qvibus ſolita *Veſpaſiano* decreta dicit. V. *Fragmentum Veſpaſiano concedere proferendos fines Pomerii, uti licuerit Claudio; Et vero non ſolum Claudium iſtos fines protuliſſe, ſed etiam Auguſtum atque alios.* Reſp. I. Claudio poſitó alios non excludi. 2. Tribui hoc *Veſpaſiano* non vi abſoluti Imperii, qvanqvam & hujus beneficio iſtud haberet; Sed eidem tq. Victori; idqve more Reip. Romanæ ſolito. Nam ſecundum Gellium *L. XIII. Noct. Att. c. XIV.* Habebat Jus proferendi Pomerii, qvi Populum Romanum agro de hoſtibus capto auxerat.

## IX.

Secuta *Veſpaſianum* tempora non minori Abſolutæ Poteſtatis luce fulſerunt, qvam illa de qvibus hactenus dictum fuit. *Titus, Domitianus* Paternum tenuere Imperium, Poteſtate non leguntur imminuti fuiſſe. Succeſſores pleriqve favore militum electi, quod eos poteſtate minores non fecit. Perinde ac hodienum fieri ſolent Impp. *Turcici*, qvi etiamſi à militibus evehantur, abſolutiſſimam poteſtatem habent. Inſt. *Et tamen hi Principes ſimul ac Purpuram indepti eſſent, Senatui de Imperio ſuo permittebant, vere an ſimulate non diſcutio, mihi perinde eſt, quia in inſtituto meo utrumvis volueris, ſufficit & favet.* Reſp. Immo plurimum refert diſtinguere, utrum vere an ſimulate egerint. Simulate ſi egerunt, quod demonſtravimus præc. §. *IV.* plusquam imbecille argu-

argumentum fuerit: Principes ſimularunt ſe accipere à Senatu Imperium, E. vere acceperunt. Pluribus aggerendis vix opus eſt. Locus ex *Strabone fin. Op. Geogr.* qvo Populus Romanus legitur Auguſto Imperium permiſiſſe, nihil ad propoſitum facit. ἐπιτρέπειν qvod in Græco extat eſt committere, curæ alicujus tradere, qvod è Lexicis notum eſt; Et vero qvomodo Populus Romanus ſeſe Auguſto commiſerit dictum §. IV. & VII. Aliis ſignificatis Strabonem qvi torqvere velit, viderit, qvomodo propoſito ſuo ſatisfaciat? Ad *Taciti* verba *I. Hiſtor.* *Omnem poteſtatem ad unum conferri Pacis interfuit*, excipitur: *Potuiſſe Remp. ſe in ſinum unius Auguſti conjicere, & tamen hunc ipſum ſubeſſe Senatui, ut ſuperiori.* Reſponſum breve eſt, non potuiſſe. Cauſæ videantur ap. eund. *Tacit. Annal. I, 2. ſupra cit.* Si ſub Senatu fuit, ecqvi munia Senatus, Magiſtratuum in ſe trahere potuit? Qui *omnis exuta æqualitate juſſa Principis aſpectare?* Qvod idem *Tacitus* docet *Ann. I. 4.* *Paterculus L. II. Hiſtor.* *Auguſti* temporibus qvidem tribuit vindicatam Senatui Majeſtatem; Sed verbis ejus plus ſpeciei, quam fidei ineſſe etiam adverſarius aliquis facile agnoverit. Locus *Amm. Marcellini L. XIV. c. V.* Senatus autoritatem, non majeſtatem aut ſummam poteſtatem prædicat.

X.

Perſtat itaq; *Lex Regia.* Vim ejus ſi ubiq; haut pariter exercuerũt Impp. arbitrii ipſorũ fuit. Le-



Digitized by Google

ges ipſorum ſicubi ad Senatum relatæ fuerunt, dicis cauſa id factum eſſe cenſendum eſt, ut nempe umbram ejuſmodi & inſignia ſine re prioris ſplendoris & poteſtatis retineret. *L. 74. C. Theodoſ. de Decurion.* Sic & in *Gallia* ad Senatum Pariſienſem itur, ubi magni aliquid decernendum eſt; Et tamen ſi abnuant Senatores, Reges pro autoritate ſua agunt. Vid. hanc in rem *Orationem Henrici IV. ad Patres Parliamenti habitam ap. Hippol. à Lap. P. I. c. IV.* Si deniqve Populus Romanus vi Juris ſui *Carolum M.* potuit eligere, id ideo factum non eſt, qvia Jus iſtud ſemper retinuit, ſed quoniã extinctis familiis Regnatricibus ad ipſum revertit. Neqvid alias rationes iſti *Caroli M.* Imperio applicemus, qvas iis relinqvimus, qvi de translatione Imperii Romani ad Francos ſcripſerunt. Qvæ alias in Sacratiſs. *Juſtinianum* LEGIS REGIÆ cauſa congeruntur jam dudum diluerunt Doctiſſimi vindices ejus *Thom. Rivius, in Defenſ. Imp. Juſtiniani adverſus Alemannum* & *Joh. Eichelius in not. ad Procopii ἀνέκδοτα.* Pro *Triboniano* ſimul extat *Joh. Chifflerii Apologetica Diſſertatio de Juris utriusq; Architectis.* Qvo ſenſu Princeps dici poſſit Legibus ſolutus eſſe, jam dudum ſcriptis Politicis innotuit. Nos qvicqvid ejus eſt delibavimus *Cap. XIII. §. 4.* Plura non addimus. LEGEM REGIAM in iis qvæ tradidimus liquido clarere arbitramur. Conſentiunt Hiſtoriæ, clamant res geſtæ, ipſa Majeſtas uni commiſſa exigit. Eam diſputari poſſe negari neqvit, ſed incommodum

dum hoc rerum humanarum eſt, omnia earum in dubium vocari poſſe, ipſos ſenſus noſtros, diem, lucem clariſſimam. Noſtræ id eo minus officit, quo longiori annorum ſerie in poſſeſſione fidei ac veritatis fuit. Vocularum unam atqve alteram antiquis eripere & contra ipſam armare erit cornicum oculos transfigere. *Juſtinianum*, *Tribonianum* ſceleris poſtulare, quid aliud qvam mortuis inſultare Leonibus; Qvid? Hiſcerene auderes ſi viverent, & cauſam ſuam ipſi agerent? Quæ non collyria ophtalmica paraturi eſſent, ſi non gravius qvidpiam. Sed filum abrumpimus. Boni ordinis Leges alicubi violatas eſſe agnoſcendum eſt; Sed filum qvod ſeqvendum nobis propoſuimus majori, certe eadem, perplexitate fuit. Cæteros defectus noſtros bonam B. L. gratiam facile excuſaturam vel expleturam ſperamus.

# CAPUT XXVI.

## De QVARTA MONARCHIA.

I.

SCriptores, qvorum Lectione ad intellectum hujus materiæ opus eſt, in primis ſunt *Hiſtorici Græci & Romani*: Quia enim Hiſtoria Sacra in fine Monarchiæ Babylonicæ deſinit,

ſinit, Divina Bonitas his facem q. manu tradidit, ut integra ſeries rerum per orbem geſtarum poſteris conſtaret, ipſa vero Sacrorum Vaticiniorum in iis clareret veritas. Quod etiam D. *Hieronymus* ſenſit, ideo horum recordari judicat graviſſimæ neceſſitatis eſſe probandis iis quæ à Sanctis Prophetis ante prædicta ſunt. *Ad intelligendas autem extremas partes Danielis multiplex Græcorum Hiſtoria neceſſaria eſt: Sutorii, videl. Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Poſidonii, Claudii, Theonis & Andronici cognomento Alipii: Quos & Porphyrius eſſe ſecutum ſe dicit: Joſephi quoque & eorum quos ponit Joſephus, præcipueque noſtri Livii & Pompei Trogi, atq; Juſtini: Qui omnem extremæ viſionis narrant Hiſtoriam, & poſt Alexandrum uſq; ad Cæſarem Auguſtum Syriæ Ægyptii, Seleuci & Antiochi & Ptolomeorum Bella deſcribunt. Et ſi quando cogimur literarum ſecularium recordari, & aliqua ex his dicere quæ olim omiſimus, non noſtra eſt voluntatis, ſed ut ita dicam graviſſimæ neceſſitatis: Ut probemus ea, quæ à Sanctis Prophetis ante ſecula multa prædicta ſunt tam Græcorum, quam Latinorum & aliarum gentium literis contineri.* Præf. in Daniel. Rem ipſam tractarunt Commentatores in Danielem, quales è Patribus *Hieronymus & Theodoretus*; Cæterorum Labores enim ſi non interiere, Typis certe quod ſciamus, commiſſi non ſunt: Quales *Apollinarius, Aretas Cyrillus, Alexandrius, Euſebius Cæſarienſis, qui libros tres ſcripſit pro defenſione Prophetiæ totius Danielis contra Porphyrium &c.* Vid.

Vid. *Beſodner. Bibliotb. Theol.* A a. 2. E Scriptoribus mediorũ Seculorum *Rupertus Tuitienſis*, *Haymo Halberſtadienſis*, *Walafridus Strabus*, *Autor Gloſſa Ordinaria*: Similiter vulgari ſententiæ adhærent *Scriptores Juris Publici* plerique, ut *Petrus de Andlo de Imp. Rom. L. I. c. IV. Theod. Reinking. de R. S. & E. L. I. & II. cap. I. Reinh. König Diſcr. I. §. XLII. Limnaeus I.* P. *L. I. c. III. Joh. Theod. Sprenger. I. P. L. I. c. IV. &c.* Qui omnes tamen pariter ac recentiorum plerique in diverſam à nobis ſententiam abeunt, unde nec recenſendis iis immorandum duximus. Singularibus ſcriptis eandem aggreſſi ſunt *Matthaus Dreſſerus Or. de Monarchiis* contra veterum Judæorum Errorem à Bodino renovatum, *Gabriel de Barlieti Suſpicionibus de IV. Monarchiis & Antichriſto*, *Chriſtophorus Helvicus de IV. Summis Imperiis ſeu Monarchiis Termino I.* Quem etiam ſimul *Barlieti* exhibet *Goldaſt. Polit. Imper. parte IIX. Joh.* P*aul. Felwingerus de Statua Danielis Regno Quarto*: Num ſit accipiendum de Romanorum Imperio *In Diſſ. Polit. p. 540. & ſeqq. Tobias Wagenerus Inſtit. Hiſtor. Libr. II.* Quo itidem *c. Bodinum & Libr. VI.* quo *c. Polanum* agit. Neuter tamen ſeu ſcribendi genus ſpectes, ſeu rerum ipſarum tractationem ſe parem huic negocio probat.

II.

Atque ut ab evolutione Nominis inchoemus: [Non mirum enim eſt, ſi plerique in incertas iverint de Quarta Monarchia ſententias, uſu vocis

Monar-

*Monarchia*, aut quod in Themate noſtro perinde eſt, *Summi Imperii* ambiguo exiſtente.] *Monarchia I.* communiter ſignificat *Imperium ſingulare*, quem ſenſum hic non ferre extra dubium eſt.

III.

Propius abeſt anguſtius ſignificatum, quo Monarchiam accipiunt pro *Imperio Eminenti*, h. tali, quod dignitate & ſplendore alia ſui temporis Imperia antecellat. Quo ſenſu veterum dicta interpretamur, quæ vulgo pro illuſtrandis quatuor Monarchiis adduci ſolent: Ut *Æmilii* cujusdam *Sura apud Vell. Paterc. L. I. c. VI. Aſſyrii Principes omnium gentium rerum potiti ſunt, deinde* Medi, *poſtea* Perſæ, *deniq;* Macedones; *Exinde duobus Regibus Philippo & Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haut multo poſt Carthaginem ſubactam devictis, ſumma Imperii ad populum Romanum pervenit.* Et Claudian. de Laud. Stilicon.

*- - - - - - Sic Medus ademit*
*Aſſyrio, Medoque tulit moderamina* Perſes:
*Subjecit Perſen Macedo; ceſſurus & ipſe*
*Romanis: hæc auguriis firmata Sibylla.*

Ariani *L. II. de Exped.* Alexand. Ἔχρην ἤδη καὶ Πέρσας πρὸς Μακεδόνων ἀφαιρεθῆναι τῆς Ἀσίας τὴν ἀρχὴν καθάπερ οὖν Μῆδοι μὲν πρὸς Περσῶν &c. *Oportebat Aſiæ Imperium Perſis à Macedonibus adimi, quemadmodum Perſæ Medis, ac prius Medi Aſſyriis ademerant.* Eodem pertinet ſucceſſio Imperiorum, quam *Dionyſ. Halicarn.* tradit *proœm. Antiq.* Rom. ubi comparationem ſingulorum inſtituit

ſtituit & reliquis omnibus Romanum longè præfert. *Si aliquis*, ſunt verba Interpretis, *mentem adhibens ad Principatus Civitatum & Gentium cujuſq; ſeculi memoriæ traditos, poſteaq; conſiderans unumquemque ſeorſim, & inter ſe comparans, diſcernere velit, quis eorum maximum ſit adeptus Imperiũ, resq; geſſerit bello paceq; clariſſimas, omnes ante ſe memorabiles Principatus Romanum Imperium longe ſuperaſſe inveniet; nec Imperii tantùm magnitudine & rerum geſtarum decore, quas nulla adhuc pro dignitate exornavit oratio, ſed temporis etiam diuturnitate, ab initio Principatus ſui usq; ad ætatem noſtram. Nam Aſſyriorum quidem Regnum, pervetuſtum & in fabuloſa rejectum tempora, exiguam quandam obtinuit partẽ Aſiæ. Medum autem quod illud evertit, & propagatum eſt amplius, haut multum habuit diuturnitatis, ſed inter quartam diſſolutum eſt progeniem. Perſæ vero Medis ſuperatis, Aſiæ ferme totius demum domini extiterunt, aggreſſi etiam Europæ gentes non multa in ditionem redegere, nec annis multo plus ducentis in Imperio permanſerunt. Macedonum vero Principatus, qui vim Perſicam fregit, magnitudine quidem Imperii ſuperiores omnes præteriit, tempus autem neq; ipſe multum floruit, ſed poſt Alexandri obitum ruere in pejus cœpit. Etenim diſperſus ſtatim à ſucceſſoribus in multos Principes, & poſt eos ad ſecundam usque aut tertiam generationem progrediens imbecillis ipſe per ſeipſum fuit, tandemque à Romanis deletus: quanquam nec ea potentia terram omnem dicto audientem fecit, aut totum mare. Neque enim Africa dominatus eſt,*

*parti*

*parti ſanè magnæ, niſi juxta Ægyptum. Nec Europam ſubegit totam, ſed plaga quidem Septentrionali ad Thraciam usque progreſſa eſt: Occidentali vero usq; ad Adriaticum mare deſcendit. Hæc igitur ſuperioris hiſtoriæ clariſſima Imperia tantarum virium tantique roboris ſunt diſſoluta: Græcas enim potentias haut dignum eſt opponere, nec Imperii magnitudinem habentes, nec illuſtrationem temporis tantam, quantam hæc habuere &c. At Romana quidem Civitas terræ toti, quæcunque non eſt inacceſſibilis, ſed quæ ab hominibus incolitur, imperat: Maris ea totius quoq; Domina: neq; ſolum Mediterranei, quod eſt inter columnas Herculis; ſed etiam Oceani, qua navigari poteſt; Prima ſolaq; omnium, quæcunq; ex omni ævo referuntur, ortũ & occaſum Terminos Imperii ſui faciens, neque tempus ei poteſtatis breve, ſed quantum quidem nulli aliarum Civitatum, nullique regnorum contigit.*

IV.

Sed ſenſu tali *Monarchiam* hic accipi non poſſe, inde colligimus, quoniam ita *non quatuor*, ſed *plures* Monarchiæ jam dudum numerandæ fuiſſent, recenſentibus jam tum ipſis, quorum teſtimonia jam produximus, Scriptoribus. I. *Aſſyriorum.* II. *Medorum.* III. *Perſarum.* IV. *Macedonum* Monarchias: Sed hæc ad hominem; Dici vero præterea poſſet de *Seſoſtris* in Ægypto victoriis indeque formato Statu Regio ampliſſimo: de quo vid. *Herodot. L. II.* De *Scytharum Imperio*, quod condidere fugato *Vexori* Ægyptiorum Rege: Inde enim

*enim reverſi Aſiam perdomitam vectigalem fecere modico Tributo magis in titulum Imperii, quam in victoriæ præmium impoſito.* Juſt. *II.3.* Et de *Sinarum* Regno, quod à primis fere Regnorum initiis potentiſſimũ extitit, Vid. *Martin. Hiſtor. Sin.* paſſim. Quid? Quod ad noſtra usq; tempora plures ejusmodi Monarchiæ in numerum ducendæ eſſent: Qualis foret hodiernum *Imperium Turcicum*. Non amplitudine tantùm, ſed diuturnitate etiam priſcis iſtis ſi non majus, certè comparandum. Quippe quod in Europa habet meliorem partem *Hungariæ, Boſniam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Epirum, Græciam, Peloponneſum, Wallachiam, Moldaviam, Thraciam, Archipelagum*; In *Aſia*, *Aſiam minorem, Pontum Euxinum, Palæſtinam, Syriam*: In *Africa, Mare Rubrum, Ægyptum, Barbariam ad Regna Feſſæ & Maroci.* Et Monarchia *Hiſpanica*, à *Ferdinando Catholico* ad noſtra usque tempora maximè autem ſub *Philippis II. III. & IV.* & ab A. MDLXXIX. usque ad A. MDCXLI, quo præter ordinaria *Caſtiliæ* & *Arragoniæ* Regna, *Novum Orbem, Baleares, Sardiniam, Siciliam in Mari Mediterraneo, R. Neapolitanum, & Statum Mediolanenſem in Italia, Comitatum Burgundiæ* ac *Provincias dn. Belgii*, una cum adjecta *Portugaliâ, tota fere Africa* & *Aſia litoralis Hiſpanico* Imperio comprehendebatur, eoque ipſo Imperio Turcico decuplo major erat; Adeo ut non ſine cauſa gloriatus ſit *Villalpand. præf. in Ezech. p. 7.* Solem, nullo certè Regum aut Imperatorum è præſenti aut præ-

teritis ſeculis exemplo, quacunque ſe die noctéq; vertat, nunquam in Philippino Regno occaſum cernere, eoque ſemper aliquam Regiæ ditionis terram colluſtrare. Adde *Lanſ. Or. pro Hiſpan. p.174.* Ut proinde non qvatuor ejuſmodi Monarchias, ſed plures & primis longe majores, nec primis tantùm temporibus, ſed hodienum reperire ſit.

V.

Et premi Autores pondere hujus argumenti, exemplo ſuo docet ſcriptum *Degorei Whear* Angli, quod *Relectionum Hiſtoricarum* nomine venum it, quo cum laborioſe in qvatuor Monarchiarum hoc negocio verſatus fuiſſet, *Sectione V.* tandem quærit, quare *Quatuor* iſta de quibus locutus fuerat *Imperia, Summa* dicantur? Et, *non me latet,* reponit, *alias multas Reſp. & Dynaſtias, alia Regna atque Imperia, hinc illinc per Orbem Terrarum ſuperiorum etiam trium ſummorum Imperiorum tempore floruiſſe; Inprimis autem dum prima & ſecunda vigebat Monarchia: e.g. Ægyptiorum, Sicyoniorum, Spartanorum, Æthiopum, aliorum, de quibus frequens mentio apud antiquos habetur, horumque nonnullos late aliquando rerum potitos legimus:* Venit ad occaſum mundique extrema Seſoſtris, Et Pharios currus Regum cervicibus egit; *Ita cecinit* Lucanus L.X. Et Juſtinus *Vexorem tradit Regem Ægypti ad Pontum usque produxiſſe Imperium.* L.I. Strabo *etiam Thearchonem Æthiopem usq; in Europam cum exercitu proceſſiſſe teſtis eſt. Denique*

rerum

*rerum Dominos aliquando Æthiopes fuiſſe claros & potentes uſq; ad Trojana tempora Memnone regnante ſcribit* Plinius L. VI. c. 29. *Præ cæteris tamen omnibus prædictas quatuor Monarchias longe eminuiſſe notius eſt, quam ut probationi diutius immoremur. Namq; id ſemper meminiſſe oportet, haut ita à nobis* qvatuor Summa Imperia Monarchias *vocatas, quaſi omnes omnino regiones & gentes complecterentur; ſed quod magnam Orbis Terrarum partem tenuerint; tantamq; habuerint potentiam, ut cæteros Reges compoſcere, iisq; Leges imponere facili labore poſſent. Siquidem idcirco voluit Deus Monarchias conſtitui* (Melanchthonis verba, Chron. L. I. p. 10.) *ut homines legibus, judiciis & diſciplina probabili regerentur.* Sed quid eſt, quod *Wheario* iſtam Monarchiarum ſuarum eminentiam tam notam fecit, ut probatione nulla opus habeat? Aut ſi ideo quatuor Monarchiæ habendæ fuerunt, quia cæteros Reges compeſcere potuiſſent, cur Seſoſtris & aliorum Ægypti Regum Imperium non etiam Monarchia fuit, cum vires eorum non minores fuerint ſecutis poſtea Monarchiis? Aut qui demonſtrabit Babylonios potuiſſe cæteris Regibus omnibus etiam politioribus tantum, Leges imponere: Sed de his jamjam plura dicenda veniunt.

## VI.

Namque *Univerſale* in omnes aut plerasque ſaltim politiores orbis partes *Imperium, Monarchiæ* nomine intelligi videntur velle, qui noſtris

temporibus Quintam aliquam Monarchiam vel promiſerunt vel futuram metuerunt. Veluti *Hiſpanicum* Imperium cum ſuperiori ſeculo tot incrementis inclareſceret, Monarchiæ talis, h. quæſiti univerſalis Imperii, ſuſpicionem prudentioribus excitavit. Qva de re proſtat *Speculum Conſiliorum Hiſpanicorum, in quo Regis Hiſpaniæ machinationes variæ pro nova Monarchia fundãda repræſentantur Lugd.* 1617. Et in *Oratione Wilh. Ancelli Henrici IV. ad Fridericum Palatinum* Legati graviſſima extat querela de hujuſmodi Conſiliis *Philippi II. Philippum XXXVI. abhinc annis, atque ex quo in Hiſpaniam reverſus ſit, nihil aliud animo agitaſſe, quam ut quod magnanimus ac præpotens* Pater *ejus fruſtra armis tota vita conatus fuerat, aſtu & fraudibus verficeret*, & Monarchiam totius orbis Chriſtiani, *Principibus cæteris ſub jugum intolerandum miſſis uſurparet &c* apud *Thuan. init. Libr. CXVIII.* Adde *Trutin. Stat. Eur. Diſſ. prælimin. Et Commentatorem ejus p. 5.* Cui ſimilia ſunt qvæ impotens laudum Gallicarum ſectator *Aubery*, de Rege ſuo gloriatur: Imperium ejus non niſi Cœlo & Oceano terminatum iri, ipſi deberi Titulum Maximi, Delphino heredi ejus Ludovico XV. Qvintam monarchiam &c. Qvæ vid. *in Excerptis è Scripto ejus editis L. III. c. III. num. 22. 29. 35. &c.* Sed quemadmodum veteres iſtæ, & ab omnibus receptæ Monarchiæ, *Aſſyriorum* & *Perſarum*, vix Aſia egreſſæ, intactâ politiſſimâ tum temporis Græcorum natione; & *Alexander M.* Græcos quidem,

quidem, ſed nunquam *Romanos*, licet jam in florem eductos, ſibi obnoxios habuit, atque adeo longè adhuc ab Univerſalis Imperii opinione abfuerunt: Ita hodie etiam, quantacunque magnitudine Imperia aliquando veniant, nunquam tamen ipſorum progreſſibus ſui termini deſunt, ut, etiamſi velint, ultra progredi prohibeantur, ipſis vel intrinſecus mole ſuâ laborantibus, quippe in tot terrarum ſpacia & populos diffuſis: Unum enim Ingenium tot gentibus par eſſe nequit; Aut confidentia elatis, & per ſecuritatem & otium tabeſcentibus, dum ſola magnitudinis opinione ſe tutos arbitrantur: Vel extrinſecus affectis odio & invidia vicinorum, quibus nihil prius, quam conſilia capeſſere, ut rebus ſuis formidabilem fortunam evertant. Quæ plenius expoſita vid. ap. *Forſtner. in IV. Annal. Tac. p. 599.* Ut proinde nec extiterit, nec viribus humamnis aptum videatur Univerſale ejuſmodi Imperium, Ne dicamus, ne optandam quidem eſſe tantam Imperii amplitudinem, ob easdem, quas diximus, rationes. Unde & *Tiberium* proferendi Imperii incurioſum ſcribit *Tacitus Annal. IV. XXXII.* Conſilio haud dubiè perſpicaciſſimi *Auguſti*, qui breviario ipſi relicto adjecerat: *Coercendam eſſe intra Terminos Imperium. Id. Annal. I. XI.*

VII.

Commenti ſumus ejuſmodi Imperia *Monarchiæ* nomine hic deſignari, *quæ Veteris Eccleſiæ Statum in protectione ſua habuerint.* Quod ante-

 quam

quam probetur, præſupponendum eſt, commumune quatuor Monarchiarum fundamentum eſſe, quod ex *Colloſſo Nebucadnezaris, Quatuorq; Beſtiis Danielis petitur.* Ita Veteres unanimi conſenſu, è quibus de *Colloſſo Nebucadnezaris* nunc indicamus *Sulpit. Severum L. II. c. IV. Secundum Prophetæ interpretationem imago viſa figurā Mundi gerit. Caput aureum Chaldæorum Imperium eſt, ſiquidem id primum & opulentiſſimum fuiſſe accipimus. Pectus & brachia argentea, ſecundum Regnum annunciant. Cyrus enim victis Chaldæis atq; Medis, Imperium ad Perſas contulit. In Ventre æreo tertium Regnum portendi pronunciatur, idq; impletum videmus, ſiquidem Alexander ereptum Perſis Imperium Macedoniæ vindicavit. Per Crura ferrea Imperium Quartum, idque Romanum intelligitur, præ omnibus ante Regnis validiſſimum: Pedes vero partim ferrei, partim fictiles, dividendum eſſe Romanum Regnum, ita ut nunquam coëant, præfigurant: Quod æque impletum eſt &c.* De quatuor Beſtiis *Iſidorus Peluſiota L. I. Epiſt. 218. Divini Viri Danielis illa celebris atque hominum ſermone pervulgata viſio, Aſſyriorum & Medorum ac Macedonum Regnum, ut uniusmodi atq; ex una quodq; ratione conflatum, uni Belluæ comparavit, aliud nimirum Urſæ, aliud Leænæ, aliud Pardo. Quarta autem viſio h. horrenda bellua (utpote ingentem ſtuporem afferens) ferreis dentibus ſepta, æreisq; unguibus armata, devorans & comminuens & conculcans, nec ad ullius animantis ſimilitudinem accedens, Romanorum Imperium perſpicue*

*ſpicue deſignabat, utpote ex omnibus nationibus compactum, omnique robore ac gloria in ſeipſo præditum, neque enim uno nomine exprimendum vidit* Prophe*ta Principatum illum, qui potentia ſua jugum in omnes extendit, atq; Dominicæ incarnationis tempore in infinitum Imperium proceſſit.* Quibus B. Hieronymus quatuor quadrigas Zachariæ adjungit. *Comm. in Zach. VI. 2. In Quadriga prima Equi rufi erant, cruenti & ſanguinarii, & Babylonicâ crudelitate terribiles. In Quadriga ſecunda Equi nigri Regnum Medorum atq;* Perſarum *&c. In Quadriga tertia Equi albi Macedones, ſub quorum Rege Antiocho Maccabæorum victoriam legimus. In Quadriga quarta Equi varii fortes; Scimus enim Romanorum Reges alios in gentem Judæam fuiſſe clementes, ut Cajum Cæſarem, Auguſtum, & Claudium, alios perſecutores atque terribiles, ut Caligulam, Neronem, Veſpaſianum.*

IIX.

Iamque intelligenda eſſe Imperia talia, *quæ Eccleſiæ veteris Statum in protectione ſua habuerint, probamus I.* Quia veluti Spiritus S. per totum S. Codicem intentio eſt Eccleſiam ſuam informare, ita eadem in his vaticiniis præſumitur fuiſſe, ut futura Eccleſiæ ſuæ fata prædiceret. Quo reſpexit Autor inviſi alias ſcripti *Hippolitus à Lapide de Rat. St. P. I. c. XIIX. Nam Spiritus S.* inquit, *in hoc Danielis vaticinio non abſolutè mundana & mere Politicum futuri mundi Regimen reſpicit, ſed ad Eccleſiam imprimis collimat: Idque unice agit, ut oſten-*

 *dat.*

*dat, quis Status & quæ futura ſint flagella militantis in his terris Eccleſiæ, cujus hiſtoriam ita perſequitur, quatenus illa hiſtoriâ & fatis præcipuorum mundi Regnorum implicatur. Et inde*, pergit, *collegimus, quod unumquodq; horum Imperiorum tum incipere & deſinere dicendum ſit, quando Eccleſiæ fata aut illi conjuncta, aut ab illo ſeparata fuerunt.* Nec abludit ratio *Cornelii à Lap.* quam inter alias reddit, cum quæſiviſſet, cur aliorum Regnorum æqve potentium, uti Scytharum, Tartarorum, Chinenſium, Turcarum, non meminerit Daniel: *Quia Daniel*, inquit, *& Judæi hæc quatuor Imperia fere tantum cognoverunt, eorumq; potentiam & Tyrannidem experti ſunt &c.* Et mox: *Horum tantum ſeriem pertexit hic Daniel, utpota quæ ſola ad ſe & ad hiſtoriam ſuæ Gentis, puta Synagogæ Dei pertinerent. Comm. in Daniel. c. II. & Gabriel de Barlieti in Suſpicionibus de IV. Monarchiis, & Antichriſto c. II. Deſcribit ex divina revelatione imaginem adminiſtrationis præſentis & futuræ. In Regnis quatuor mundanis, quantum ea ad electum & ab omnibus gentibus ſegregatum populum attinebant.* II. Quia initium Monarchiæ *Babylonicæ* ſumitur à *Nebucadnezare. Tu es Caput aureum, Daniel. II. 38.* Et ratio præcedit. *v. 37. Quia Deus tibi Regnum, potentiam, firmitatem & gloriam dedit*, &c. Statimque ſequitur *v. 39. Exſurget Regnum alterum humilius Tuo*, ubi Regnum ipſius *Nebucadnezaris* appellatur more uſitatiſſimo, quo à conditoribus Regnorum Regna nomen ferre ſolent. Jam vero *Nebucadne-*

*cadnezar*. Eccleſiam veterem in ſuam poteſtatem primo redegit, cum interea Regnum *Babylonico-Aſſyrium* totis mille annis ante ipſum jam duraſſet. E. intuitu Eccleſiæ dictum fuit, quod ibi traditur. III. Quia quatuor Beſtiæ dicuntur contrituræ Eccleſiam. *Quatuor ſunt Reges ſurrecturi è Terra, qui accipient Regnum Sanctorum Excelſorum. Dan. VII.* 17. Sed tamen interpretatio hæc ſine lite non eſt: Vertit ita Junius: *Hæ Beſtiæ, quæ ſunt quatuor, quatuor ſunt Reges ſurrecturi è terra; qui accipient Regnum hoc, Regnum Sanctorum Excelſorum, qui poſſeſſuri ſunt Regnum ipſum usque in ſeculum, & usq; in ſeculum ſeculorum.* Cæteri plerique LXX. *Vulgata, Lutherus, Toſſanus, Piſcator, Galli, Angli: Hæ quatuor Beſtiæ Magnæ, quatuor ſunt Regna, quæ conſurgent de terra: Suſcipient autem Regnum Sancti Dei Altiſſimi, & obtinebunt Regnum &c.* Pro noſtra facit ſequentis in Textu explicationis ab Angelo factæ ſeries, cuius veluti tria membra ſunt. I. De futuris Regnis. II. Perſecutione Eccleſiæ. III. Felici Statu Eccleſiæ ſecuturo: Ita eadem hiſce de quibus ambigitur verbis tq. in ſumma, & de quibus mox plura dicturus eſſet, ipſum comprehendere voluiſſe non ambigimus. Vid. *v. XXIII. XXV.* & *XXVII.* quibus eadem verba fere, additâ tantum pleniori explicatione, repetuntur.

IX.

*Monarchia* itaq; non eſt Imperium Eminens, quia plures quatuor Monarchiis jam dudum nu-

merari oportuiſſet; Nec Imperium Univerſale, quia Imperium tale nec extitit, nec ſperari in rebus humanis poteſt: Sed *Imperium, ſub quo Vetus Eccleſia ſtationem ſuam habuit.*

X.

Jamque extra dubium eſt, Monarchiam primam fuiſſe *Babyloniorum*, ſecundam *Perſarum*, tertiam *Græcorum*: Sub hiſce enim Eccleſia Judaica Stationem ſuam habuit, quæ omnibus nota ſunt. Et *Oroſius* quidem *cit. Corn. à Lap. in VII. Dan.* Imperium *Carthaginenſe* loco Perſicæ Monarchiæ ſubſtituit, *L. II. Hiſtor. c. I. & L. II. c. II.* Sed ſine calculo, forſan & ſine ratione. Neque *Bodino* etiam immorabimur, qui & Imperii ſeu Monarchiæ nomen & vaticinia Danielis ſoli *Babyloni* alligat. *Method. Hiſtor, c. VII. Cogitanti ſibi diutius, quid Propheta innuere vellet, nihil commodius occurriſſe, quam interpretari de Babylone qua in poteſtatem Medorum, Perſarum, Græcorum & Parthorum pervenerit, quæque ſæpius vaſtata ac tandem deleta fuerit &c.* Quarta igitur quæ ſit, cuiq; attribui debeat, pleniori dilucidatione eget.

XI.

*Romanum Imperium non eſſe Quartam Monarchiam probamus.* I. Quia Romani prioribus tribus Monarchiis nunquam ſucceſſerunt: *Euphrates* enim ut plurimum Imperii eorum terminus fatalis fuit; quem non tantum prudentiores Imperatorum ipſi ſtatuerunt: *Non immoderatis cupiditatibus morem gerens omnia undique parare &*

*& dominio adjungere ſuſcepi, ſed duos Imperio noſtro Limites, tq. à natura fixos & datos* Iſtrum & Euphratem *ſtatui*, inquit apud *Julianum*, ipſum Auguſtum, *Auguſtus Imperator*, in *Caeſar*. *I.p.845.* Et *Adrianus* Συνέστειλε τοὺς τῆς βασιλείας ὅρους ἐντὸς εὐφράτου ποταμοῦ; *Coercuit fines Imperii intra Euphratem*, inquit, *Eutropius L. IIX.* Sed etiam Romani ut ſtatuerent, non unà clade experti fuerunt. Bella enim quæ trans *Euphratem* cum *Parthis* ſeu P*erſis*, (qui nobis iidem, & in quibus veri haut dubie priſcorum Monarchiarum ſucceſſores extabant) geſſere, plerumque infelicem ſucceſſum habuerunt: quod in cladibus *Craſſi*, *Valeriani*, *Juliani &c.* liquet. Jam vero trans Euphratem magna pars Imperii priorum Monarchiarum ſita erat, quam quia vincere non potuerunt, nec novam Monarchiam condidiſſe dici poſſunt. Ut enim Imperio alicui novum ſucceſſiſſe dicatur, non ſufficit, ut novum iſtud in amplitudinem aliqvam diffundatur, ſed oportet etiam, ut prius ab hoc vincatùr, cedatqve victæ nationis & nomen & Imperium in nationem victricem, tanqvam prædominantem. Ideo *Babylonii*, cum Monarchiâ exciderent, ceſſerunt victi victoribus *Perſis*, futuræ nationi prædominanti; Et Perſicum Imperium non ante deletum dici poterat, qvam *Alexander M.* ſubjugatâ natione *Perſicâ* illud in Græcam nationem transferret. *Parthi* autem è contrario orbem qvaſi ex æqvo cum Romanis tenuerunt, ac proinde à Romanis nec victi, nec hi

in

in locum eorum ſucceſſiſſe eoqve nec jus Monarchiæ ibi olim fundatæ in ſe tranſtuliſſe, dici poſſunt.

XII.

II. Vaticinium de qvarto Regno ex *Coloſſo Danielis* petitum Romano Imperio commode applicati non poteſt. *I. Regnum iſtud diviſum fore. Qvia vidiſti pedum & digitorum partem teſtæ figuli & partem ferream, Regnum diviſum erit. Dan. II. 41.* h. Regna diverſa futura eſſe, prout etiam à *Junio* redditur: *Quod autem vidiſti &c. Regna diverſa erunt.* Imperium *Romanum* enim qvam diu ſtetit, unum fuit, à pluribus qvidem ſæpe adminiſtratum, ſed non niſi unius Imperii nomine. Talis erat *Triumviratus Auguſti*: *Τὴν κατὰ πάντων δυναστείαν κοινῇ ἐποιήσαντο*, *Dominationem in omnes communem eſſe jubent*, inqvit de congreſſu *Auguſti, Antonii* atqve *Lepidi Xiphilin. p. 166. Confer. Sueton. in Aug. c. IIX.* Secuta etiam Imperatorum *Polyarchia* indiviſam autoritatem retinuit; quare & Legibus Imperii omnium nomina ex æqvo præmiſſa. Nihil eſt pro diviſione Imperii allegari diſcordiam civilem Romanorum, qvando *Populus in Senatum, Sylla in Marium, Cæſar in Pompejum, Auguſtus in Antonium*, & alii deinceps in alios inſurrexerunt. Quæſo enim quæ Reſpublica ſine motibus ejuſmodi fuit? Neque priores *Babyloniorum* & *Perſarum* Monarchiæ eorum expertes fuere, *Balthaſere* Babylonio à Chaldæis occiſo, & *Dario Medo* Imperium ejus ſuſcipiente,

*Dani-*

*Daniel. V. 30. & VI. 1.* Magis deinde in Imperio *Perſico Pſeudo-Smerdin* toto biennio foventibus, *Artoxerxe Mnemone* & *Cyro* Juniori in funeſtiſſima diſſidia exardeſcentibus &c. Nihil ſingulare igitur de Qvarta Monarchiâ prædixiſſet Angelus, ſed idem quod prioribus etiam eventurum eſſet, immo quod cum omnibus Rebuspp. commune habuiſſet. Neq; ſolidius ratiocinantur, qvi Romanum Imperium ideo diviſum dicunt, qvod variæ gentes obedientiæ ei præſtandæ ſe ſubduxerint, ut *Hiſpani, Angli, Galli,* &c. Qvia I. Iterum communem omnibus magis Imperiis ſortem Angelus propoſuiſſet; Qvemadmodum & noſtro tempore *Hiſpania Portugallia* Regno, eoque pertinentibus Regionibus *Africæ* & *Aſiæ*; Et Imperium *Turcicum* ſuperiori ſeculo Regno *Perſiæ* excidit. II. Huc applicari neqvit, qvod *verſ. 43.* de *commixtione ferri & luti*, h. fruſtra tentata ſæpius conjunctione, perpetuoqve ſeminandarum novarum litium deſiderio, ſcribitur. Qvando enim Nationes iſtæ *Romano* Imperio iterum adjungi deſiderarunt, aut adjunctæ, denuo receſſerunt? Addit *Corn. à Lapide*: Veluti ex duabus tibiis oriri ſcribuntur decem digiti pedum, & tota ſtatua in eis deſinere, ita Romanum Imperium in fine mundi diviſum iri in decem Reges, quorum nullus futurus ſit Rex Romanorum, ſicut nullus digitus ſit tibia. Sed qvam male, ad vaticinium de qvatuor Beſtiis paulo poſt dicemus. Idem ſpecioſius urgent, qvi diviſionem iſtam in Orientali

Græco-

Græcorum & Occidentali Latinorum Imperio qværunt. Qvibus Reſp. I. Imperium Romanum totis V. ſeculis ante integrum ac indiviſum fuiſſe ac proinde repugnare viſioni propoſitæ, quæ nil niſi diviſionem infert. II. Nullis conjugiis diviſa hæc Imperia coaluiſſe, quod futurum tamen viſione prædictum fuit.

II. Conatum de diviſione per Conjugia tollenda futurum irritum. *Quod autem vidiſti ferrum miſtum teſta ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ verſ. 43.* Nunquam enim Romani Principes ita res ſuas inſtituere: Et *Pompeji cum Cæſare*, *Antonii cum Auguſto* affinitas ante diſſidia ipſorum contracta. Inſtat qvidem Cl. Vir. ὁ δεῖνα: *Id voluiſſe ſibi connubia Conſtantini, Irenes filii, cum filia Caroli M., qvam qvidem poſtea occaſione & inſtinctu Matris Irenes dimiſerit: Immo ipſam Irenen promiſiſſe Carolo M. totum Orientis Imperium & ſui ipſius conjugium, Diſſert. Polit. de Statua Danielis p. 556.* Sed Sacer Textus non de conſiliis aut ſpe ineundi Conjugii, ſed de inito conjugio loqvitur: *Commiſcebuntur ſemine humano, ſed non adhærebunt ſibi.* Sunt etiam, qvi Verba Danielis de commixtione gentium externarum cum Romanis intellecta velint. Et *Sulpitius Severus* diſertè: *Deniq; commiſceri teſtam atq; ferrum, nunqvam inter ſe coëuntem materiam, commiſtiones humani generis futuræ à ſe invicem diſſidentes ſignificantur, ſiqvidem Romanum ſolum ab exteris gentibus*

*bus aut rebellibus occupatum aut dedentibus ſemper pacis ſpecie traditum conſtat: Exercitibusq; noſtris, Urbibus atq; Provinciis, permixtas Barbaras Nationes, & præcipue Judæos inter nos degere, nec tamen in mores noſtros tranſire videmus.* Sed Reſpondit jam *Cornelius à Lapide: Hanc diviſionem* Provin*ciarum etiam tunc fuiſſe, cum maxime floreret Imperium* Romanum*; Nec hanc fuiſſe cauſam ruentis Imperii, qvod fortiores gentes infirmioribus ſociatæ eſſent.*

XIII.

III. Multo minus Vaticinium de Qvatuor Beſtiis, redditaqve ejus ab Angelo interpretatio Romanorum qvadrat Imperio. *Beſtia qvarta* Re*gnum Qvartum erit in Terra, Qvod majus erit omnibus* Regnis*, & devorabit univerſam terram & conculcabit & comminuet eam. Dan. VII. 23.* Seu enim Monarchia ſit Imperium Eminens, Romani cum Parthis ex æqvo partes orbis potiores tenuerunt; Seu noſtro ſenſu Eccleſiam ſub ſe habeant, Romani nunqvam ante natum Servatorem in Judæos tam iniqvi fuerunt, ut vel Statum civilem eorum ſublatum voluerint, aut Sacra conculcaverint. Porro: *Cornua decem ipſius* Regni *decem* Re*ges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus & tres* Reges *humiliabit. Ib. v. 24.* Sed qvæſo qvi decem iſti in Romano Imperio Reges? Prompta qvidem Reſponſio, tot Regna indigitari, qvæ ex Imperio Romano formata fuerint. Ita *Lutherus præf. in Danielem:* Er mahlet aber daſſelbe

Römi-

Digitized by Google

Römiſche Königreich alſo / daß es zum erſten ſoll zertrennet werden in zehen Königreiche / das ſind zehen Hörner / Syria / Egypten / Aſia / Grecia / Africa / Hiſpania / Gallia / Italia / Germania / Anglia. A qvo merito diſſentimus, cum I. Exceſſu hic peccetur: Qvod enim eſt vel fuit poſt natum Chriſtum iſtud Imperium Aſiæ, qvod à Græco diverſum fuerit? Qvæ diſtincta Imperia *Ægypti* & *Africæ* unqvam extiterunt? Et iterum Imperia *Ægypti, Syriæ, Aſiæ*? Aut qvos ille Reges *Italiæ* dicet, qvi novem cæteris Regibus coætanei fuerint? Extitere qvidem *Sultani* Ægypti, *Syriæ*, Reges *Hieroſolymitani*, *Impp. Conſtantinopolitani, Trapezuntini*: Aliqvando etiam Reges *Africæ*, ſed diverſiſſimis temporibus; Et cur non Reges *Bulgarorum* quoque adducuntur, qvi, decreſcente *Conſtantinopolitano* Imperio, maximam partem *Daciæ* triplicis tenebant, qvosqve ipſi Imperatores Græci honoratiſſimo *Baſilei* h. Imperatoris Titulo dignabantur, cum Imperatores *Occidentis Francicos & Germanicos tantum* ῥῆγας, Reges contemptim vocarent, de qvo pluribus actum *Not. Dign. Ill. p. I. Diſſ. I.* Cur præteriti Reges *Legionis*, *Caſtiliæ*, *Arragoniæ*, *Cypri*, qvos omnes media ſecula tulerunt? II. Nó minus defectu laborat hoc interpretamentum: Oportuiſſet enim addi *Portugalliam, Hungariam, Bohemiam*, qvæ citra controverſiam ad Imperium Romanum olim pertinuerunt; Tranſimus Regna *Poloniæ, Suediæ, Daniæ*, de qvibus, an *Romanorum* Imperium exceperint, ambigitur. Paulo aliter

aliter *Hieronymus: Omnium Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententiam eſſe, in conſummatione mundi, quando deſtruendum eſt Regnum Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe dividant, & undecimum ſurrecturum eſſe Regem parvulum, qui tres è decem Regibus ſuperaturus ſit*, ap. *Oecolamp. Comm. in Daniel. L.II.* Sed implicitos hæc opinio habet *Chiliaſtarum* errores: Et qvam iſti, qvos ita dicit, Eccleſiaſtici Scriptores ſentiendi talia certitudinem habuerunt? Adeo difficile eſt numerum denarium rite applicari. Qvod ſenſerunt alii, adeo numerum certum pro incerto & multitudine poni rati ſunt, & denarium quidem ſelectum, utpote myſteriis deſtinatum. *Hodie ſola Europa*, inqvit, *Oecolampadius* noſter, & *Hieronymianam* Denarii applicationem rejicit, *qvæ portio minor Romani Imperii eſt, non in pauciores quam decem Reges ſecta. Eſt enim Luſitanus, Hiſpanus, Anglus, Gallus, Danus, Suedus, Polonus, Bohemus, Ungarus, Neapolitanus, & alii ab Imperatoris juſſibus non minus liberi, quam Reges ipſi. Quantum autem in Africa & Aſia deceſſerit, facile cogitabis. Et nihilominus fera iſta & infima pars imaginis, qvam vidit Nebucadnezar, nondum contrita eſt, & incertum qvanto tempore permanſura. Igitur, qvantum mihi judicare datum eſt, non auſim ſubſcribere illis, qvos Hieronymus Eccleſiaſticos appellat. Qvin potius denarius, ſicut & ſeptenarius plenitudinis numerus eſt perfectam tetradem cum ſuis incluſis numeris continens. Reſultat enim Denarius ex unitate, binario,*



Digitized by Google

*ternario & qvaternario. Et ſolet Scriptura multitudinem ſic annunciare. Num. XIV. Tentaverunt me jam per* decem vices. *Job. XXIX. En* decies *me confunditis. Mat. 25. Et ſimile eſt Regnũ cœlorum* decẽ virginibus. *Eſa.* Decem jugera *vinearum facient laguneulam unam. In quibus & ſimilibus orationibus exſibilabilis eſt ſuperſtitioſus Interpres. Unde etiamſi in ſexcentos Principatus, qui per cornua recte ſignantur, dividatur Romanorum Monarchia, quia non poteſt ab aliquo externo populo ſupprimi, ſemper manebit nobis multicornis illa beſtia. Principio bifariam Regnum ſectum eſt, nunc multifariam. Et cornua illa omnia impetunt populum Dei, operatur enim in illis virtus Draconis, ſicut & in Antichriſto, etiamſi infirmius. Et ſiqvidem non divexarint Chriſtianos, utiq; ad Chriſtum pertinent, non ad Beſtiam, quicunque Reges gloriam Chriſti confiteri non erubeſcunt. Comm. in Daniel. L II. p. 84.* Sed Vaticinia de fatis Eccleſiæ ipſas circumſtantias qvoq; certò determinare ſolent. *Affligent poſteros tuos qvadringentos annos. Gen. XV. 13. Filii veſtri paſcentes in deſerto qvadraginta annos ferent pœnam ſcortationum veſtrarum Num. XIV. 35.* Simile paſſim occurrit in ſeptuaginta annis captivitatis Judaicæ. Et in toto *Daniele* certi numeri deſignantur *Septuaginta* Septimanarum, quatuor Beſtiarum, qvatuor Regnorum ex Alexandri Imperio formandorum &c. Deinde certum hic numerum indicari in eo claret, qvia certus ex eo numerus eximitur, ternarius. *Alius conſurget & tres Reges humi-*

*humiliabit*. Et cur non eodem modo numerum qvaternarium alarum & capitum Beſtiæ tertiæ pro incerto habent, maxime quia Angelus eum ſucceſſoribus Alexandri M. non applicat? Nimirum hic explicari poterat; In Denario autem omnia δυσνόητα. Dn. qvis Chriſtianos Principes hodiernos dicet Chriſtianam Religionem perſeqvi? *Sed*, inqvit, *tunc non pertinent ad Beſtiam*. Reſp. Ergo nec ad cornua. eoqve vel jam extitiſſe, vel expectari adhuc oportet Beſtiam.

XIV.

IV. Quatuor iſta Regna ſeqvi debet tranqvillitas Eccleſiæ & Nativitas Chriſti. Prius: *Et judicium ſedebit, ut auferatur potentia & conteratur & diſpereat usq; in finem; Regnum autem & Poteſtas & Magnitudo Regni quæ eſt ſubter omne cœlum detur populo Sanctorum Altiſſimi*. Dan. VII. 26. 27. Poſterius: *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli Regnum, qvod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur: Comminuet autem & conſumet univerſa Regna hæc & ipſum ſtabit in æternum*. Dan. II. 44. Qvod de Regno Chriſti accipiendum eſſe, nemo diffitetur. Nec multum refert intelligendam urgere Idololatriæ everſionem, qvam Servator effecturus ſit; cætera autem Politicæ Dominationis ſalva futura. Qvicqvid enim ille fecerit, ſatis eſt ſi conſtet ipſum *Temporibus iſtorum* R*egum, ſ. in diebus* R*egnorum illorum* natum eſſe; Deinde cum Regno ejus ſurgente Regna illa collapſa eſſe:

Qvod *Seleucidarum* & *Lagidarum* Regnis qvidem accidit, non autem Romano Imperio, qvod poſt natum Dominum demum in ſummum florem evectum fuit. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta q. in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento*, & nullus locus inventus eſt eis, inqvit, *Daniel. c.II. v.35.* Inſt. *Danielem non accipiendum eſſe de uno aliqvo tempore & ſimul, ſed de omni & longe poſt ſeqventi; non enim putandum eſſe* Regna *hæc eſſe ſimul & uno tempore comminuta, ſed paulatim & per varia intervalla, nunc his, nunc illis* Regnis *ad fidem Chriſti converſis.* Reſp. Concedi, Regnis illis paulatim decreſcendum fuiſſe; Sed nec *Danieli* de decrementorum gradibus ſermonem eſſe, verùm de eo tempore, qvando locum non amplius inventura, h. deſitura ſint. *Tunc*, inqvit, *contrita ſunt*. Et qvando iſtud? Clare Daniel commate præc. cum lapis abſcinderetur de monte ſine manibus, h. cum Chriſtus ſeſe mundo exhiberet. Qvæ omnia in Textu liqvidiſſime clarent. Rurſus: Chriſti nativitatem aſſignari temporibus iſtorum Regum; *Seleucidas* vero & *Lagidas* jam tunc interiiſſe. Atqui fatentur ipſi, *Seleucidas* tum adhuc ſuperfuiſſe, licet precario tantum à Romanis Regno potirentur, quia *Tacito* teſte *Hiſtor. 2. 5. Epiphanes* pro *Ottone* impigre pugnans (qvod demum poſt Chriſtum natum contigit) vulneratus fuiſſe dicitur: Qvi *Antiochus Epiphanes Comagenus*, uti ex *Joſepho* conſtat, Rex Syriæ fuit, & qvidem *Comagenes*.

Jam

Digitized by Google

Jam vero in Regno qvod à primis initiis usq; diviſum fuit, ſatis eſt ſi aliqvi ſuperſtites manſerint. Tam diu enim exhauſtum non fuit, aut interiiſſe dici poteſt, qvam diu aliqvis ſuperfuit in eo. Deinde qvid vetat, verba, *In temporibus iſtis*, accipi pro *ſtatim*, aut *non diu poſt iſta tempora.* Exc. Id gratis confingi. Sed videantur initia c. XXXIIX. & XXXIX. Jeſaiæ, ubi *in tempore illo* plane non tempus præſens, ſed ſucceſſionem temporis ſignificat.

## XV.

Oſtendimus *Imperium* R*omanum non eſſe Qvartam Monarchiam*, ac ſimul quid contrariis aliorum rationibus reſponderi poſſit non obſcure ſuggeſſimus: Qvapropter eas allegari ſatis erit. Citatus Autor Statuæ Danielis has profert: I. *Ex* R*egnorum inter ſe confecutione; Nam cum Græcorum Monarchia,* [*qva excepit Perſicam: Perſica verò Aſſyriacam*] *poſt obitum Alexandri in qvatuor partes eſſet diſcerpta, puta in Ægyptum, quam tenuit* P*tolomaus Lagi, in Aſiam Majorem & Syriam qvam poſſedit Seleucus Nicanor, in Macedoniam, qvam occupavit Caſiander, & Aſiam alteram, qvam Antigonus* R*ex, nothus Philippi, XIIX. annis gubernavit: nullum ſucceſſit regnum aliud, qvod univerſa in ſuam poteſtatem redegerit, qvam* R*omanorum.* II. *Cum in textu Danielis diſerte dicatur* verſ. 44. tempore *REGUM ISTORUM, CHRISTUM naſcendum eſſe; Ille verò ſub Romana Monarchia natus cum ſit, neceſſe omninò eſt, Romanum Imperium unū*

*& qvidem poſtremum è qvatuor Univerſalibus Regnis eſſe.* III. *Deniq; omnia ea, quæ de ferreis pedibus luto commixtis, nulli regno ita per omnia congruunt, uti Romano, ſicuti prolixè & eleganter deducit hoc ipſum in ſuo* Hiſtoriarum Sceleto Johan. Jonſtonus in Coloſſo Danielis, *ad qvem brevitatis cauſa provocare lubet.* in *Diſſert. Pol. p.* 543. Ultimæ enim §. *II.* noſtro ſatisfactum. Mediæ §. præcedenti. Prima perit τὸ ἐν ἀρχῇ, qvodqve ſcrupuli in ea reliqvum eſſe poteſt, jamjam eximemus.

XVI.

Etenim qvia omnia, quæ *Danielis* vaticiniis de Qvarto Imperio continentur, *Seleucidis* & *Lagidis*, h. Regibus Syriæ & Ægypti congruunt, argumento eſt, penes iſtos hoc Imperium fuiſſe. I. *Ait Daniel* de Pedibus Coloſſi, iis Regnum diviſum ſignificari: Atqvi qvod geminum eſt, id utiqve diviſum eſt. II. Reges hi continuis fere Bellis ſe invicem enervabant, unde Regna iſta modo firma, modo fragilia futura merito prædictum fuit. III. Subjicit, Ipſa commixtum iri inter ſe humano ſemine: Atqvi id ſæpe factum in duobus hiſce Imperiis. Sic *Antiochus Theos* duxit filiam *Ptolomæi Philadelphi Berenicen; Ptolomæus Epiphanes* filiam *Antiochi Magni & Antiochi Epiphanis ſororem Cleopatram; Alexander, qvi ſe filium Antiochi Epiphanis nominavit, filiam Ptolomæi* Philometoris. IV. Sed addit non cohæſura eſſe, h. non obſtantibus his amicitiæ vinculis in nova diſſidia erupturos: Sic *Seleucus Gallinicus* Berenicen nover-

novercam ſuam cum parvulo fratre ex ea ſuſcepto interfecit: Qvo facinore perpetrato, inqvit *Juſtinus*, & infamiæ maculam ſubiit, & *Ptolomæi* bello ſe implicuit. Qvi pluribus de progreſſu hujus Belli videndus *L. XXVII.* Iterum *Antiochus Magnus* Bellum intulit *Ptolemæo Philopatori*; Et poſt, mortuo Ptolemæo Philopatore, contra fœdera, Ptolemæo Epiphani. Poſt *Antiochus Epiphanes* prætextu tutelæ Ptolemæi Philometoris ſuſcipiendæ, mox *Philometorem* contra *Phyſconem* fratrem juvandi, animum occupando Ægypti Regno applicuit, ac præſidia Memphi aliisqve Urbibus impoſuit, ſed à Romanis abſterritus pedem retulit. Tum *Ptolemæus Philometor Alexandro* & filiam eripuit & tradidit *Demetrio Nicanori.* Prorſus eodem modo, qvo noſtris temporibus illa *Galliæ* & *Hiſpaniæ* odia tam gravia ſunt, ut nullis nuptialibus vinculis contineri poſſint.

XVII.

Idem clarius liqvebit, ſi Angelicam Interpretationem vaticinii de Qvatuor Beſtiis *Dan. VII. 24. 25.* illuſtraverimus. Indicantur illo I. *Decem Reges ſurrecturi eſſe*: Qvos qvidem veterum Hiſtoricorum variæ ac incertæ de Rebus Syriacis poſt *Alexandum M.* Relationes deſignari vix patiuntur; Ipſiqve Viri Doctiſſimi ſententiæ noſtræ Patroni, tam male diſpoſita ac tantum non imperfecta ſerie, qvam à nobis etiam improvide antehac ſuſceptam libere fatemur, Reges hoſce enumerant, ut non ſine cauſa nunc non actum, ſed

nihil nos acturos eſſe verendum ſit. Videantur *Cl. Junii Notæ Biblicæ in h. l.* Item *Comment. in c. VII. Dan.* Grot. *not. in h. l. &c.* Nec magnopere referet, ſi cum *Oecolampadio* noſtro plenitudinis aliqvem numerum Denario hic indicari putemus, ſolereqve Scripturam ita multitudinem annunciare: De qvo jam ante actum. Ut eruantur tamen Hiſtoriæ profanæ pariter ac Sacræ accuratior obſervatio forte permittet. Itaque repetimus è Superioribus, Scopum Spiritus S. in toto hoc Themate verſari circa futurum Eccleſiæ V. Teſtamenti Statum deſcribendum; Ac proinde *Palæſtinam* potiſſimum reſpici, nec alios Reges numerandos, quam qui Palæſtinæ præfuerunt. Jam vero poſt obitum *Alexandri M.* Decem Reges hanc tenuerunt, usque ad illum, qui crudelius in eam conſulturus eſſet. Hos nominamus: *I. Antigonum. II. Demetrium* Poliorceten. *III.* Ptolomæum Lagi. *IV.* Ptolemæum Philadelphum. *V.* Ptolemæum Evergetem. *VI.* Ptolemæum Philopatorem. *VII.* Ptolemæum Epiphanem. *IIX. Antiochum Magnum. IX. Seleucum* Philopatorem. *X. Antiochum Epiphanem.* Singulos, & iſta quidem ſerie, Palæſtinam tenuiſſe probandum eſt. *I.* De *Antigono* ac *Demetrio Poliorcete* Hiſtorici nos dubitare non ſinunt. Juſtinus L. XV. *Tenebat* Ptolemæus *Ægyptum cum Africæ parte majore & Cypro &* Phoenice, *Caſſandro parebat Macedonia cum Græcia.* Aſiam & Partem Orientis occupaverat Antigonus, *cujus Filius Demetrius prima Belli congreſſione à* Ptolemæo *apud*

*Cala-*

*Calamam vincitur &c.* Sed Gaza fuit, quam Calamam ille dicit. Et corrupte Calama pro Gaza legi è Bongarſii Notis in Juſt. jam obſervavit *Ortel. Theſ. Geogr. L. Cal. Ad Urb. Gazam.* Demetrius Ptolemæum *offendit fuſusq; eſt octo mille captivis & quinque millibus deſideratis. Plutarch. in Demetr. Ptolemaus ad vetuſtam Syriæ Gazam caſtra ponit. Ita etiam Demetrius ex hibernis undiq; evocatis in Gazam veterem militibus hoſtis adventum præſtolabatur.* Diod. Sic. Bibl. L. XIX. *Gazam quoq; primo iſto conflictu amiſit & circa medium noctis Azotum pervenit. Diod. Sic. ib.* Et vero Gaza, Azotus Urbes Syriæ, Palæſtinæ proximæ verſus Ægyptum ſitæ erant. Vid. *Sacer. Codex* paſſim. Quas ſi habuit *Demetrius* propiorem ſibi etiam *Palæſtinam* habuit. *Ptolemaum* quoque *Syriam* populari, Urbesque ſolicitare & vi in poteſtatem ſuam redigere cauſa Belli hujus Antigono erat. *Plutarch. ib.* Igitur Antigonus Syriam habuit: *Ptolemaus* enim hunc Syria expellendi animum gerebat. Jamque *Cilles Ptolemai* Dux cum copiis aderat Demetrium tota Syria ſummoturus, qui medio tempore militum defectibus armisque parandis intentus urbes inſtitit in poteſtate retinere, mox *Cillem* fundit & caſtra cum ipſo cepit Duce: *Quod naufragium Ptolemaum Syria exegit. Plutarch. in Demetr. Quocirca excedendum Syria judicans præcipuas urbes à ſe occupatas ut Acen Phoenice Syriæ & Joppen Samariamque & Gazam Syriæ deſtruxit. Diod. Sic. L. XIX.* Quo quid clarius? Joppe, urbs Palæſtinæ

 erat

erat hodieque eſt, quam occupaverat *Ptolemaus*: *Antigoni* e. ante fuerat, eandemque ille recepit. *Antigonus porro cum citra periculum Syriam totam Phoeniciamq; recuperaſſet in Regionem Arabum, qui Nabataei vocantur, expeditionem ſuſcepit.* Diod. Sic. c. I. Et Demetrius *his devictis juxta Lacum Aſphaltiten caſtra poſuit.* Idem ib. Iterum vel in Palæſtina vel juxta eam. Lacus enim Palæſtinæ adjacet. Conferatur Aſſertio *Antiochi Epiphanis* ſeq. *§. XIIX.* qua ſuam in Syriam prætenſionem ſtabilit, quæ totum hoc negocium extra omnem dubitationem petit. *Syriam* e. & in ea *Palaſtinam Antigonus* habuit & *ſucceſſuum magnitudine elatus Regis nomen ſibi impoſuit, eundemq; Titulum & honorem etiam Demetrio concedens.* Iterum Diod. Sic. L.XX. *Demetrio Pater Diadema miſit, ſcriptaq; Epiſtola Regem appellavit.* Plut. *in Demetr.* Sic non tantum Syriam tenuere, ſed etiam ut Reges tenuere. De *Antigono* res in propatulo eſt; De *Demetrio* adhuc dicendum. *Plutarchus* iterum de eventu prælii, quo cecidit *Antigonus. Ita pralio decreto victores Reges totum Imperium, quod Antigono & Demetrio parebat, ſicut magnum corpus diſcerptum diviſerunt inter ſe, illorumque Provincias conjunxerunt ſuis, quas ante tenebant. Demetrius quinqve millibus peditum & qvatuor equitum fugam cepit. Syria tamen non ſtatim excidit: Ideo cum inſperato ipſi oblata eſſet Seleuci affinitas, navigavit cum tota claſſe in Syriam.* Plut. ib. *Seleucus deinde popoſcit à Demetrio Sidonem & Tyrum.* Id. ib.

Syriam

Syriam ergo itidem aliquamdiu habuit; Aut ſi ſolus etiam eam non habuit, ſatis erit, ipſum paternorum Regnorum Socium Regem fuiſſe. Seqvuntur II. *Quinq; Ægypti Reges* Palæſtinæ poſt Antigonum & Demetrium Domini vel Protectores. In genere *Juſtinus*, cum de conqveſtu *Antiochi Epiphanis* agit, ipſum invaſiſſe ait *Phoenicem* cæteraſque Syriæ quidem, *ſed Juris Ægyptii Civitates L. XXXI. init.* Et de incolis *Syriæ* *Polybius L. V. Fit enim neſcio quomodo, ut Cœleſyriæ populi ad venerandam hanc familiam Ægypti Regum inclinent.* De *Ptolemæo Lagi Joſephus L. XII. cap. 1.* Ipſum Hieroſolymam aſtu occupaſſe: Nimirum victores Antigoni ac Demetrii illorum Provincias ſuis conjunxerunt, *Plut. L. ante cit.* Adde rationem *Ptolemæi Philopatoris Legatorum* ap. Polybium jamjam citandum. De *Ptolemæo Evergete* Joſ. L. XXI. c. III. Ipſum iratum fuiſſe Oniæ ſummo Sacerdoti, qui Tributum XX. Talentorum *à majoribus ejus Regibus de ſuo dari ſolitum pendere* dubitaverit, minitatumque miſſo Hieroſolymam Legato, *ni faceret, ſe Regionem militibus ſuis diviſurum & novas colonias eò deducturum.* Solitum e. Tributum fuit, Regibus datum, & quidem ab Oniæ majoribus: Unde ſine dubio nec *Ptolemæi Philadelphi* tempora excluſa fuerunt. Porro *Ptolemæus Philopator Syriam* tenuit, donec *Antiochi M.* bello peteretur: Cui quidem *Syria* cauſam præbuit, Legatis *Antiochi* communem cunctorum Regnorum conceſſionem urgentibus, qua *Antigono de-*

*victo*

*victo Caſſander, Lyſimachus, Seleucus de communi ſententia ad conſultandum congregati in unum, Seleuco Syriam univerſam decreto ſuo attribuerint.* Polyb. Hiſtor. L. V. At objecere Ptolemæi Legati: *Ptolemæum Lagi filium Syriæ Imperium quæſiviſſe ſibi, quippe ea Lege arma ipſum conſociaſſe cum Seleuco, ut Aſiæ quidem univerſæ Dominatus Seleuco pararetur; Cætera vero Syriam & Phoenicen propriã ut ſibi faceret.* Polyb. ibid. *Et Ptolemæus quidem illo tempore Syria excidit, Theodoto eam Regi Antiocho prodente, mox vero pugna ad Raphiam feliciter commiſſa eandem recepit, cum omnes Civitates in dominatu ipſius inſtaurando & deficiendo ad illum de celeritate inter ſe certarent; Et cum jam ante animos hominum Benevolentia erga Ægypti Reges occupaſſet, non mirum eſt id accidiſſe.* Polyb. L. ante c. Sic tandem Palæſtinæ Dominium ad Ptolemæum Epiphanem & ab eo ad Atiochum M. pervenit. De Utroque Joſephus *Ant. XII. 3. Defuncto Philopatore Filius ejus magnum Exercitum duce Scopa miſit in Cæleſyriam qui & multas ejus Urbes & noſtram gentem vi in poteſtatem ejus retraxit. Aliquanto autem poſt Antiochus ad Fontes Jordanis eum Scopa prælio congreſſus fit ſuperior, cumq; recepiſſet occupatas à Scopa Urbes Cæleſyriæ ſimul & Samariæ, Judæ quoq; ultro deditionem fecerunt receptumq; intra mœnia ejus Exercitum & Elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præſidium in arce à Scopa relictum impigre auxilium tulerunt &c.* Adde Teſtimonium Polybii L. XVI. ib. citatum.

Atque

Adque adeo III. è Seleucidis primus, in Palæſtina vero poſt obitum Alexandri octavus ſucceſſit *Antiochus Magnus*. De cujus filiis *Seleuco Philopatore & Antiocho* Epiphane & nullum eſt dubium. *Magno Antiocho exempto rebus humanis Seleucus ejus filius heres inſtitutus eſt, qui Fratrem Antiochum Obſidem apud Romanos tradito ejus loco Demetrio Filio liberavit. Is cum in patriam reverteretur & jam Athenis propinqvus eſſet Seleucus ex inſidiis Heliodori cujusdam ex ſuis interficitur. Heliodorum porro Regnum ſuſcipere conantem Eumenes & Attalus vi pepulere. Antiocho in Regem ſubſtituto, cui viro blandiebantur maxime.* Appian. Syriac.

XIIX.

Clariſſime in his, decem Reges elucere autumamus, qui continua ſerie ab obitu *Alexandri M.* usque ad perſecutionem *Eccleſiæ Judaicæ* Palæſtinam tenuerint. Ex abundanti eſt, ſi porro docuerimus, *Seleucidarum* ſucceſſioni etiam hunc numerum reſpondere: Id tamen eo lubentius ſuſcipimus, quo plures Commentatores in Seleucidis hic recenſendis occupari ſcimus; Accedit eós nō quidem ipſo Dominio, prætenſionibus tamen Palæſtinam ſibi vendicaſſe. Repetatur Expoſtulatio Legatorum Antiochi M. cum Ptolemaicis ex Polybio ante citata. Et Antiochus Epiphanes cum Græciæ Legatis jura ſua in Cœleſyriam demonſtraret, *Antigonum*, dixit, *primum à quo Regnum Syriæ conditum, ea loca imperio tenuiſſe: Proferre deinde in medium inſtrumenta conceſſionis poſt mortem*

*tem Antigoni Selcuco à Macedonicis Regibus facta. Secundum iſta Antiochum Patrem Bello noviſſimo Cæleſyriam recepiſſe, multumq; eo jure niti.* Sed ad propoſitum. Primus Rex iterum *Antigonus*; Hunc enim ea loca imperio tenuiſſe Antiochus Epiphanes jam dixit. II. *Demetrius Poliorcetes*; Nam Rex ſimul Patre fuit. III. *Seleucus Nicanor*, cui Macedonios Reges Syriam conceſſiſſe, ajebat itidem Antiochus Epiphanes. IV. *Antiochus Soter*. V. *Antiochus Theos*. VI. *Seleucus Callinicus*. VII. *Seleucus Ceraunus*. IIX. *Antiochus Magnus. Rex Sextus à Seleuco. Appian. Syriac. init. Qui & Antiochi, quem Theon dixere, nepotem fuiſſe itidem indicat.* Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου, τοῦ Ἀντιόχου, *Antiochus Seleuci Filius, Antiochi Nepos, init. Syriac.* Et Fratrem Seleuci Ceranni ſcribit Polybius: μετήλλαξε δὲ καὶ Σέλευκος ὁ Σελεύκου τοῦ Καλλινίκου, τοῦ καὶ Πώγωνος ἐπικληθέντος, Ἀντίοχος δὲ διεδέξατο τὴν ἐν Συρίᾳ βασιλείαν ἀδελφὸς ὢν αὐτοῦ. Hiſtor. L. II. Quæ Græce citari oportuit; Inepta enim eſt interpretis Latini translatio, quam afferre piget. Reddenda vero ſunt: *Obiit & Seleucus, Seleuci Callinici, qui & Pogon dictus fuit, filius; Antiochus vero quippe Frater ejus, Regnum Syriæ ſuſcepit.* Confer eundem *Hiſtor. L. IV. fol. 315.* Et iterum *Appian. fin. Syriac.* qua ſex Seleucidas eodem ordine, quo nos eos exhibuimus, deſcribit. De IX. *Seleuco Philopatore* & X. *Antiocho Epiphane* iterum nullum dubium. Repet. quæ ad finem præc. §. dicta ſunt. Atque adeo in Seleu-

Digitized by Google

Seleucidarum Regno etiam numerus Denarius Danielis comparet.

## XIX.

Jamque poſtremus poſt eos exurget, *qui erit I. Diverſus à prioribus. II. Tres Reges deprimet; Et III. verba adverſus Excelſum loquetur ac IV. Sanctos Excelſarum deteret, adeo ut V. Cogitet ſe mutaturum Tempora & Jus, tradenturq́ VI. per manum ejus usq́ ad tempus, tempora, particulamq́ temporis. Dan. VII. 24. 25.* Hunc fuiſſe Antiochum Epiphanem per ſingula vaticinii commata docebimus: I. Erit diverſus à prioribus Ἐπιφανὴς μὲν κληθεὶς, ἐπιμανὴς δὲ ἐκ τῶν πράξεων ὀνομασθεὶς. *Epiphanes quippe vocatus, ſed ob res inſane geſtas Epimanes nominandus.* Polyb. *L. XXVI.* & ex eo *Athen. L. II. c. VII.* & inprimis *L. V. c. V. It. L. X. c. X.* ubi id ipſum ex Polybio prolixe illuſtrat: *Antiochum nonnunquam ſecedentem ab Aulæ ſtrepitu, in quemcunque Civitatis locum veniſſet cum duobus tribusve famulis comitibus aſpectum fuiſſe deprehenſumque. Sæpiſſime cum argenti ſculptoribus & auri fuſoribus in ipſorum officinis copioſe verba funditantem & de artis ſubtilitate cum celatoribus & alius opificibus ingenioſe, ambitioſeque ratiocinantem: Præterea in popularium hominum cœtum ſe demittentem, quisquis forte occurriſet, cum eo ſolitum confabulari: Cum advenis vilisſimis & peregrinis compotare: Si quando Juvenes quosdam ſimul convivari ſenſiſſet, nullo adventus ſui dato ſigno, illo commeare, laſcivientem & comeſſabundum, nec aſpernantem figlina vaſa,*

vaſa, nec cantantium rudes concentus, ut inexpectato ejus acceſſu territi huc illuc dilaberentur & aufugerent: Eundem ſæpius exuta Regia veſte, amictum Toga, forum circumire, velut in comitiis Candidatum, & Magiſtratus ambientem nunc hos dextra prenſantem, nunc illos amplectentem rogantemque ſuis ut ſuffragiis alias Tribunus Plebis crearetur, alias Ædilis: Magiſtratum vero quem petebat adeptum in eburnea ſella curuli ſedentem, uti mos eſt Romanis, de forenſibus Actionibus, commerciis, ac contractibus cognoviſſe, magnoq; & alacri ſtudio jus dixiſſe, eamq; ob rem anſam dubitandi præbuiſſe cordatis modeſtiſque viris, quibusdam eum ſimplibem eſſe atq; facilem ſuſpicantibus, quibusdam inſanum. Ejusmodi quoq; fuisſe in dandis muneribus illius Ingenium, ut qui nunc dorcadum talos donaret, nonnunquam Phoenicobalanos, interdum aurum, aliquando forte obvios, quos nunquam viderat, inſperatis muneribus afficeret. Porro in publicis Balneis eum lavaſſe, etiam cum frequentisſima Plebis turba occuparentur, precioſiſſimorumq; Unguentorum fictilia tum ad eum referri ſolita, quorum odore oblectatum quendam dixiſſe, Fortunatos eſſe Reges, qui iis delibuti ſvaviter olerent, hominiq; nihil Antiochum reſpondisſe, verum poſtridie eo ingreſſum, ubi lavabat ille proletarius, unguenti nobilisſimi nempe ſtillaticæ myrrhæ maximum fictile in ejus caput effundi juſſit, omnesq; lavaturos aſſurrexiſſe & in unguento illo ſeſe voluntates, at ob lentorem labentes, Regemq; etiam ipſum, riſum excitaſſe. Denique cum luxum recenſuiſſet, quibus ſimiam

Conſu-

Digitized by Google

Conſulis Romani Æmilii Pauli egerat, de Convivali apparatu ſermocinantur: *Ad epulas ſternebantur aliquando mille triclinia, aliquando mille quingenta cum ornamentis maximi precii. Negocium id totum Rex ipſe tractabat, qui vectus equo viliore & pompa intercurſans alios jubebat progredi, alios ſubſiſtere, in conviviis ad cœnaculorũ aditum ſtans alios introducebat, alios in lectis componebat, miniſtrorum qui fercula portabant Dux ipſe & circũambulaturus nunc aſſidebat, nunc reſupinatus accumbebat, nõnunquam interea buccea depoſita nonnunquã patera, exurgebat proſiliens, circumibat menſas compotantium, propinationes alias ab aliis recturus excipiens cum iis jocabatur, qui feſtivum quidpiam recitarent.* Produ*cto jam in longum tempus eo congreſſu, cum jam exceſſiſſent multi, Regem Hiſtriones Mimi totum veſtibus occultum & allatum humi poſuere, velut unum quendam ex ſuis conſortibus. Is a. Muſicorum concentu, & numeris incitatus Hiſtrionem egit cum ridiculis ſcurris, adeo ut præ pudore cuncti diffugerint.* Quæ omnia velut Rege indigna ſunt, ita diverſiſſimum à prioribus Antiochum manifeſto indicant, Nec eſt quod pro ipſo allegari poſſit, niſi unici iſtius ab Athenæo ibidẽ facta mentio: *Ipſum omnes, quotquot regnarunt Sacrorum magnificentia, quæ illius ſumptu in claris urbibus fiebant, cultuq́ ac veneratione Deorum exuperaſſe: Id conjectare licere ex ipſius dono, quod apud Athenienſes cuſtoditur, item ex eo, quod in Olympii Jovis Templo dicavit, & ex ſtatuis, quas in delubro Apollinis Delii circum aram ponendas cu-*



Digitized by Google

*ravit.* At clauſula, qua finem & cōvivio iſti & huic capiti imponit Athenæus totam hanc etiam molē disjicit. *Omnia porro, hæc ſic abſoluta & exculta ſunt partim iis, quibus in Ægypto perfide violato fœderis pacto, Regem Ptolemæum Philometora adhuc puerum defraudaverat, partim iis quæ amici utenda cōgeſſerant, partim rapinis & ſpoliis plurimorum templorum, quæ expilaverat: Mirantibus tum conviviis Regis mentē, qui revera ἐπιμανὴς i. furioſus potius eſſet, quam ἐπιφανὴς i. Splendidus.* Ita benefacta probris, Sacra profanis, faſque nefaſque confudit Antiochus hodie Sacrilegus, cras Sacrificus: Breviter, Rex diverſiſſimus non modo à prioribus, ſed omnibus Regibus.

XX.

Idem II. *Tres Reges depreſſurus* dicitur: Qui fuerunt non è gente Seleucidarum; Neq; n. vel Fratrem Seleucum Philopatorem ſuſtulit, cum inſidiis Heliodori ille ceciderit, vel Demetrium Seleuci Filium ad Romanos miſit, quem ipſe Seleucus ſciens atq; volens eo ablegavit. *Fratrem Antiochum Obſidem apud Romanos tradito ejus loco Demetrio Filio liberavit. Is cum in patriam reverteretur & jam Athenis propinqvus eſſet, Seleucus ex inſidiis Heliodori cujusdam ex ſuis interficitur. Appian. Syriac.* Sed vel tria Regna, *Ægypti,* quod ejectis *Ptolemæi Epiphanis* liberis expugnaverat, mox tamen iterum à Romanis eo pulſus; *Syriæ*: Seu *Heliodorum* ſpectes, quem *Regnum ſuſcipere conantem Eumenes & Attalus vi pepulere, Antiocho in Regem*

Digitized by Google

*gem ſubſtituto. Appian. l. c.* Seu *Demetrium Seleuci Filium*, ad quem jure Succeſſionis Regnum pertinebat, *Antiocho* interea illud occupāte; Et *Armenia*, in cujus Regem *Artaxam* exercitum duxit, eundemq; captivum egit. Iterum *Appian. l. c.* Vel tres *Ptolemai Epiphanis* liberi, *Ptolemaus Philometor*, *Ptolemaus Phyſcon* & *Cleopatra*, Soror eōrum eademq; P*tolemai Philometoris* conjux Vid. *Joſeph. XIII. 6.* quibus omnibus varie illuſit, *donec circa Alexandriam exercitum habenti Popilius à Romanis miſſus tabellam afferret, in qua hac ſcripta inerant: Non pugnare in* P*tolemaos Antiochum. Appian. l. c. Juſtin. L. XXXIV.* P*olyb. l. c.*

XXI.

Pergit Sacrum vaticinium ac III. dicit: *Eum verba adverſus Excelſum locuturum, Sanctos attriturum* &c. h. *Deum blaſphematurum & acerbiſſime populum ejus perſecuturum*: Quæ notiſſima de Antiocho. IV. *Illum mutaturum jura & tempora*, h. Sabbatha, Feſta, Circumciſionem inhibiturum & ipſam Dei Legem conculcaturum, quæ omnia Antiochum perpetraſſe è Libris *Maccabaorum* elucet. V. *Sanctos, in manus ejus traditum iri usq; ad tempus, tempora & particulam temporis*, h. per ſpacium Annorum trium & dierum decem; Nam die decimo quinto menſis *Ciſlevi* A. CXLV. Regni *Seleucidarum* hoc effectum eſt I. *Macc. I. 57.* deinde vero die XXV. Menſis *Ciſlevi* A. CXLIIX. legitimus Dei cultus inſtauratus eſt I. *Macc. IV. 52.* Tempora n. Danieli annos eſſe patet ex *Dan. IV. 16.*



Digitized by Google

*& XI. 13. &c. Tempus* itaq; *Annum* ſignificat, *Tempora* biennium, *Particula temporis* dies decem. Juvantq; nos hac in re ipſi, qui textum hunc de AntiChriſto accipiunt, è quibus *Corn. à Lapide* allegat *S. Hieron. Theodor. Vatabl. in h. l. S. Auguſt. L. XX. Civ. Dei, 10. Iren. L. V. 30. Cyrill. Catech. 25. Hippolyt. de Conſumm. Seculi,* & paſſim veteres, qui tempus reddunt annum, tempora duos annos, *dimidium temporis* [ita enim reddunt, quod nos particulam temporis] dimidium annum. Et probat: *Quia ita ſe explicat Daniel cap. XII. Cum enim v. 7. dixiſſet deſolationem AntiChriſti duraturam in tempus & tempora & dimidium temporis*, mox ea v. XI explicat dicens: *A tempore, quo ablatum fuerit juge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducendi nonaginta, qui circiter tres annos cum dimidio efficiunt.* Sententiâ in temporis hac circumſtantia noſtræ non diſſimili: Sic enim iterum Junius noſter ad *verſ. 12. Dan. XII. A tempore quo ablatum fuerit &c. Id eſt à tempore iſtius deſolationis per Antiochum factæ præterlabentur anni tres, menſes ſeptem & dies q.tredecim, usq; ad illud tempus, quo cultum à Juda inſtauratum Antiochus permittet confirmabitq; Diplomate: Quod factum eſt die decimo quinto Menſis Xanthici, i. penultimi, Anno Centeſimo quadrageſimo octavo Seleucidarum* II. Macc. XI. 33. Tunc ad v. 12. Beatus qui præſtolabitur & perveniet ad dies mille trecentos triginta quinq;: *Id eſt, ſed multo adhuc melior conditio futura eſt poſt dies quadragintaquinq;, quibus exactis*

*populus*

*populus Judæorum plane à Tyranno iſto liberabitur.* *Hoc autem factum eſt morte Antiochi Epiphanis, qui deceſſit de vita ineunte Anno centeſimo quadrageſimo nono Seleucidarum I. Macc. VI. 16. Nam etſi nominatim menſis diesq; minime in Hiſtoriis exprimitur, non dubium eſt tamen, quin ſub principium anni extinctus ſit, ut evidentiſſime conſtat ex iis rebus, quas geſſit filius Antiochus Eupator eodem anno.*

## XXII.

Superſunt ſcrupuli tollendi. I. *Quartum Regnum omnia comminuturum dici in ambobus vaticiniis*: Quod de πανωλεθρία accipiunt Hieroſolymæ à Romanis illata. Sed nos illud partim de cultu Divino in *Seleucidarum* Regno plane prohibito accipimus, quod nec *Babylonii* in ipſa captivitate Judæorum, nec Perſæ, nec *Alexander M.* feciſſe leguntur: Immo ne *Romani* quidem, qui licet Imperium Judæorum, non tamen Sacra eorum exciderunt. Partim de inteſtinis inter Seleucidas & reliquos motibus intelligimus, quibus & ſuas & aliorum ditiones miſere devaſtarunt. II. *Deum Nebucadnezari revelaſſe, quæ in poſtremis temporibus futura ſint*: Quæ de mere poſtremis accipiunt; Nos autem de *poſtremis Eccleſiæ Judaicæ*, vel ſimpliciter de ſecuturis temporibus, quẽ ſenſum Textus facile ſuſtinet. III. *Non unum fuiſſe Imperium, ſed Imperia multa.* Reſp. 1. Et tamen ſi Imperio Græcorum Alexandri M. annumerentur, è dictis Regnis itidem unum effici. Judæi certe unum vocant מלכותיון. V. *Grot. in h. l.* II. Unum

eſſe ratione *Palæſtinæ*. Repet. præced. §. 4. III. Ipſum *Hieronymum* huic objectioni à *Porphyrio* motæ reſpondere in Dan. 7. *Ipſosq; Reges non unius ponit Regni, v.g. Macedoniæ, Syriæ, Aſiæ & Ægypti ſed* de diverſis Regnis unum efficit Regum ordinem, *ut videli. ea quæ ſcripta ſunt: Os loquens ingentia, non de AntiChriſto ſed de Antiocho dicta credantur*. IV. *Prophetiam Danielis c. IIX. Alexandrum & ſucceſſores ejus unum Regnum facere*. Reſp. Conjungi etiam Monarchiam Babylonicam & Perſicã; Viſio enim contigit tempore Belſazeris, qui Babylonius adhuc erat. V. *Quartum Imperium Chriſtianæ Eccleſiæ ſuccubuiſſe*. Reſp. I. Romanum Imperiũ igitur non eſſe Quartam Monarchiam; Hoc enim temporibus Chriſtianiſmi maxime floruit. Fuiſſe autem II. in Succeſſoribus Alexandri M. cum illi circa tempora nati Servatoris interierint. VI. *Chriſtum ſub Quarto Imperio debuiſſe naſci*. Reſp. Debuiſſe naſci in fine ejus; Totum Coloſſum enim omnesq; ejus partes viderat Nebucadnezar, cum Lapis è monte decideret, quatuorq; iſta Imperia comminueret: Quarta Beſtia etiam cuncta peregerat, *Dan. VII.* cum Antiquus dierum veniret. *ib. v. 9. & 26.*

XXIII.

Igitur quicquid Daniel de *Quarto Imperio* prædicit, id Statui Eccleſiæ ſub Seleucidis ac Lagidis aptiſſime congruit; Ipſaq; prædicta tranquillitas Eccleſiæ, unà *Libertas Reipublicæ* Judaicæ, & Nativitas Servatoris mox ſecuta. Quæ omnia, cum à Romanis alieniora ſint; non immerito concludendum

dendum ducimus: Quartam Monarchiam nõ eſſe Romanorum Imperium, ſed Regna Seleucidarũ & Lagidarum. Quod antehac etiam agnoverunt ex antiquis *Porphyrius* & *Polychronius*, quos eo nomine paſſim ut refutent, citant. Ex recentioribus Doctisſimi Viri, Junius, *Comm. in Daniel.* & *Not. in Verſionem Bibl.* Polanus, *Singulari Or. de Quarta Monarchia*, *Piſcator not. in Dan. II.* & *VII.* Alſtedius, Temporarius, Grotius, *Not. in Dan. II.* & *VII.* Hornius *Not. in Sulpit. Sev.* &c. Hugo Broughtonus *ad c. II. 23. Dan.* confidenter ſcribit: *Error eorum qui hic intrudunt Romanos pernicioſus eſt toti Danielis Libro, Chriſtianiſmo, omnibusq; Hiſtoriis, nec patrocinium habet in hac Prophetia.* Et Cl. Conringii hæc ſunt verba de Germanorum Romano Imperio c. XI. p. 93. *Haut negamus ab urbe Roma nomen datum ampliſſimæ Reip. Germanicæ & dari hodieq;. At Jus Imperii & Majeſtatis Reip. illius noſtra non dependet ab urbe Roma. Igitur ſi Imperii Romani voce intelligas vaſtam aliquam Remp. cujus jura ad illam urbem pertineat, ut factum olim, dudum deſiit Romanum Imperium omne. Si vero ad nominis illius Majeſtatem tuendam ſufficit unius urbis regimen, durat Romanum Imperium hodieq;. Neque vero [illegible]abit quicquam à Divinis vaticiniis; licet vulgo exiſtimetur æternitas quædam magni alicujus Imperii vere Romani iis promitti. Certe ſomnium & Nabuchodonoſoris & ipſius Danielis, quod habetur Divinationum illarum Cap. VII. quæ vulgo ſolent de Romano Imperio etiam accipi, vix Cæſarea tempora videntur attingere, quod cum aliis, tum & Joſ. Scali-*

 *gero*

*gero recte viſum. Scilicet totum illud de non niſi quatuor magnis futuris Monarchiis ſeu Imperiis Mundi, plus habet famæ, quam veri; Quippe cum olim in Aſia jam ante Alexandrũ tot numero floruerint ampliſſima Imperia Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, non a. duo tantum, quod vulgo creditur: Aſia eadem poſt Romani Imperii interitum ibidem habuerit hodieq; ex parte habeat vaſtiſſima Regna Saracenorum, Turcarum, Tartarorum, Perſarum & Sinenſium: Europa vero viderit Francorum Regnũ maximum jam ante adeptum Cæſareum nomen, etiam nunc vero floreat vaſta Hiſpanorũ potentia & Gallorum.* Conf. Cl. *Autor Limnæi Enucleati L. 1. c. III.* §. 2. Item *Voſſius Iſag. Chronol. Diſſert. I. fin. c. 1.*

Hæc ſunt, quæ de nobili hac materie dicenda duximus, quam veritatis fulciri patrocinio, nulli ambigimus. Veneramur interea Sacroſanctã Imperii Romani-Germanici Majeſtatẽ, per tot ſeculorum memoriam ad Invictiſſimum Imperatorem noſtrum immortali cum gloria derivatam: Cujus Auguſtiſſimi magnitudinem Nominis, non Romani tantum, ſed totius terrarum Orbis Imperio digniſſimam, gratulabundi proſequimur. Nec rejicimus plane illorum calculum, qui Imperium ſine fine & æquales cum Orbis machina periodos decurſurum quam feliciſſime ominantur. A Benevolo Lectore autem iterato petimus, ut quæ minus recta à nobis tradita videbuntur, ea mitiorem in partem interpretari haut gravetur.

*F I N I S.*

Digitized by Google

# POLITICA PARALLELA

CONTINUANDIS & ILLUSTRANDIS MEDITATIONIBUS POLITICIS addita & XXIV. CAPITIBUS Expoſita

à

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,
D. ET HIST. PROF. PUBL. ORD.
In Acad. FRANCOFURTANA.

*FRANCOFURTI ad ODERAM,*
*Typis* Hæred. JOH. ERNESTI, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

# CAPUT I.

## De PRÆCOGNITIS POLITICÆ.

*I. Diverſitas defectuum in Naturalibus & Moralibus. II. Deſiderata Doctrinæ Morralis. III. Cur Oeconomica minus exculta ſit? IV. Cur ſingularibus hypotheſibus in Politicis inhærendum? V. De Grotii, Puffendorfii, Seldeni, Hobbeſii ſcriptis. VI. Scriptores qui fabuloſis argumentis negotia Politica tractarunt.*

I.

RErum *Politicarum* & generalius *Moralium* omnium pariter ac *Naturalium* inſignes hactenus defectus fuere, ob rationes tamen plane diſpares. *Naturalium* ſcientia, quam Phyſicam dicunt, quia in mere Univerſalibus & rationibus inde formandis occupata fuit, cum ſingularia defuerint, quibus niterentur. E contrario in *Moralibus* ſingularia ſe mediocriter habuerunt, nec unqua-

unquam deſuerunt recte & ſocialiter vivendi exempla; Sed rationibus hactenus carere viſa ſunt, quibus neceſſitas talium factorum demonſtraretur: Unde & horum maximum contemptum ſequi oportuit, magna parte hominum ea ex opinione ſuſpendente. Igitur veluti iſthic Experimentorum, ſic hic Rationum ſatagendum eſt, nequid temere ſuſcipi videatur, ſed omnium ſua ſibi inſolubilis conſtet connexio.

II.

Quid à *Politica* expectandum ſit infra docebitur. Inter *Doctrinæ Moralis*, uti vulgo, utut minus adæquatæ, *Ethices* nomine circumfertur, *Deſiderata* hic recenſenda ducimus. I. Quod Ethicam aliam forment à Præceptis Moralibus Divinis, cum his neceſſariò ſtandum eſſe indubium ſit; Ethicam vero ſi alia doceat falſa, ſi pauciora vel minus perfecta tradat, inſufficientem eſſe oporteat: Quare nec de nihilo eſſe remur Diſſertationem *Guil. Ameſii* in Philoſophematis, *Ethicam à Theologia Practica non differre*. II. Vera Principia Actionum humanarum non tradunt: Illa enim quæ pro iis habet, *Electio*, *Deliberatio* & ſſ. modi potius Principiorum talium ſunt, quam ipſa Principia, quæ in intellectus, voluntatis, ipſiusq; rationis explanatione conſiſtunt. Hinc III. nihil de debilitatibus & vitiis intellectus, cujusmodi opinio, error, abſurditas, vel etiam de robore ejusdem, ut certitudine, fide vulgo tractatur; Et de ignorantia quidem nonnulla ſcribunt, ſed in-

limi-

limitibus ejus diſtingvendis prorſus frigidi ſunt; Dari enim & ignorantiam doctam, Moralium qui gnarus eſt, facile concedit, ſingularique Diſſertatione eam Doctiſſ. *Voëtius* illuſtravit. Huc referendus etiam totus locus de *captivanda ratione*, quam Practicam eſſe negari non poteſt; Docet enim quid & quousq; in ratiociniis noſtris agendum ſit. IV. De *Virtutibus Intellectualibus* nonnulli quidem aliqua prodidere, ſed illas in quinq; vulgo traditis habitibus quærunt, Sapientia, Scientia, Intelligentia, Prudentia, & Arte: Quæ prorſus *ἀλλότρια*, nec ipſæ virtutes Intellectuales, ſed virtutum Intellectualium objecta ſunt. V. Nobilem partem, quæ itidem ad Principia Actionum noſtrarum pertinet, prorſus prætereunt, *de Fatis & Fortuna*, in quibus tamen magna pars actionum noſtrarum luctatur; Et Phyſici hanc materiam quidem tractari aggreſſi ſunt, ſed indebite, cum eorum ſit cauſas rerum naturalium tractare; Fato autem & Fortunæ in rebus naturalibus nullus locus eſt, cum nihil aliud ſint, quam modi quidam Arcanæ Dei Providentiæ eoque reſpectu cognitionis noſtræ, non ratione rerum ipſarum hos titulos acceperint. VI. *Virtutem* ab omnibus adjunctis ſuis fere denudant: Unde ambigunt fere, quorſum diligentiam, conſtantiam ſimiliave referant, quas cum in omnibus virtutibus reperiamus, pro virtutibus ſingularibus habere non poſſumus; ſed tantum pro modis ſeu adjunctis virtutis in genere, eoque ſimul vir-

tute

tute explicari opus habent. VII. *Inſufficientiſſima eſt virtutum enumeratio*, quæ tantum abeſt, ut undenario numero *Ariſtotelis* comprehendi poſſint, ut infinitæ ſint, certe totidem, quot rerum gerendarum occaſiones.

III.

*Oeconomica* autem ferme tota adhuc deſerta jacet, cujus rationem reddit *Naudæus*, quia res iſta minus arte valeat, quam experientia & uſu circumſtantiisque rerum, temporum, & actionum particularibus, quas in artem vel methodum vix poſſibile ſit reducere, maxime cum viri docti & librorum ſcriptioni incumbentes earum ferme rerum omnium ignari deprehendantur; illi vero qui frequenti exercitatione ſecreta *Oeconomica* penitiſſime callet patres familias, mercatores &ſſ. apti non ſint quicquam de illis ſcripto committere: Ut proinde mirum non ſit, inquit porro *Naudæus*, quod præter Oeconomicum *Xenophontis* & duos *Ariſtotelis* Libros de Domeſtica Doctrina, quibus fimbrias quaſdam attexuit Leonhardus Aretinus, vix quicquam memoria dignum literis conſignarit. Unus autem noſtro tempore *Ludovicus Septalius* Medicus *Mediolanenſis* gloriam omnem retulit, quæ ex ejuſmodi tractatione ſperari poterat, edito eleganti Libro de Re Familiari, in quo ita minute ac diligenter cuncta perſequitur, ut telum ferme ſemper ad intima penetret, quemadmodum etiam feciſſe videmus *Hieron. Cardanum in ſuo Proxeneta*, & Libris de Utilitate

ex

ex adverſis capienda &c. Hactenus *Naudæus in Bibliogr. Polit.*

IV.

Selectus hypotheſium Politicarum ſi cui faſtidio ſit, ei qua rem ipſam reponimus univerſum ambitum Rerum Politicarum tales exigere. Cæterùm nec facilè alicui adverſandum opinamur, quamcunque noſtræ contrariam aſſumat ſententiam. Studia noſtra Academica ſimilia ſunt hypotheſibus Aſtronomicis, quæ licet ſibi invicem contradicant, eundem finem tamen aſſeqvuntur, nempe motuum cœleſtium noticiam, licet cum hoc diſcrimine, quod altera facilius, altera difficilius ac per plures ambages ad ſcopum ſuum perveniat; Sicq; in ſtudiis noſtris cum nihil fere ſit, quin in diverſas ſententias diſtrahatur, cunctis tamen ad communem ducimur Scopum perficiendi animum ad inſerviendum rebus humanis, licet cõmoditas obtinendi varia ſit, aliaq; aliâ facilior. Ipſam vero Doctrinam ſeu Præcepta Politicæ aut quæcunq; alia nõ magnopere curanda cenſenti reſpondemus, eſſe hæc inſtar fulcrorum excitandis fornicibus admotorum, quibus opus eſt, quamdiu fornix nondum exiit, eâdem perfectâ hæc removentur quidẽ, at inſipiens foret, qui ſine fulcris molem ejusmodi ſurgere potuiſſe exiſtimaret.

V.

Scriptores Politici ex parte in *Med. Polit.* recenſiti. Cenſuram eorum exhibet *Naudæus ante cit. Bibliogr. Polit.* Nos iiſdem Scriptores Juris Gentium annumeravimus utpote in Fontibus

rerum

rerum Politicarum aperiendis occupatos; Tales *Grotius*, *Puffendorſius*, *Seldenus*, *Hobbeſius*, Libris paſſim notis. De *Grotio* juvene adhuc, cum Maris Liberi jura aſſeruiſſet, *Baudii* ſententia fuit, *Libr. II. de Ind. Bell. Belg.* Se de ejus indole, doctrina, probitate, & admirandis laudibus in omni genere virtutum, nihil tam magnifice dicturum eſſe, quod ejus meritis reſpondere queat. Quam laudem vel ſolis Libris de J. B. & P. meruit: Reip. ſuæ tamen inprimis ſtuduiſſe argumento erunt, quibus Jura Belgii ſui paſſim, vel directe, vel indirecte, proſecutus fuit: Qua quidem re Viri Politici munere probe functus fuit, cum hujus ſit omnia in commoda Reip. ſuæ vertere; Sed an ea cum univerſalibus Juris Socialis Principiis æquè cohæreant, in incerto eſt. *Cl. Puffendorſii* de eodem ſententia eſt, ipſum primum quidem fuiſſe, qui Jus Gentium tractaverit, fatendum tamen eſſe, non pauca plane præteriiſſe, quædam levi tantummodo brachio tractaſſe, quædam tamen admiſiſſe, quæ & ipſum hominem fuiſſe arguerent; *Inprimis autem*, ſubjicit, *non exiguam nobiliſſimo operi labem aſpergunt, queis paſſim à receptis Orthodoxæ Eccleſiæ Sententiis diverſus abiit: Qui quidem magnorum Ingeniorum infeliciſſimus labor mihi ſemper viſus fuit, circa Divina aliquid novare, cum tanta aliarum rerum ſuperſit copia, in quam alicui innoxie cornicum oculos configere liceat. Et per iſthac etiam vere & utiliter dictis autoritas detrahitur, ac plurimorum aſperrimæ cenſuræ provocantur, qui*

*qui aliàs contra tales viros ne hiſcere quidem digni erant*: Præf. *in Lib. de Jur. Nat. & Gent.* Ipſius utique *Cl. Puffendorfii* ex parte non diſſimilia fata ſunt; Sed ipſe cauſam ſuam agit agetq; ſtrenue. Dolenda certe rei literariæ iſta infelicitas, qua gloriæ nobis vertimus, ſiquid boni ab altero prolatum impetere poſſimus: Quaſi verò non omnibus nobis in excitãda è ruderibus Imagine Divina laborandum ſit, quod certe non ſubtrahendo rebus inventis, ſed addendo effectum dabitur. Mechanici longe melius in rebus ſuis verſantur, quibus, ſi bonæ frugis ſunt, nõ rem ab aliis ſuæ ſortis male geſtam carpere, ſed eandem etiam perfectã magis perficere curatio eſt; Unde & tanta rerum à Mechanicis dependentiũ noſtro tempore ſublimitas. At nos meliorum hautquaquam ſatagentes, ſatis nobis ducimus aliena refutaſſe. Sic quid res non ſit, ſcimus cum ignariſſimis, quid vero demum ſit, æternùm ignoramus. *Seldeni* Labor de Jure Naturæ & Gentium ſecundùm Hebræos univerſalis non eſt; Sed eundem vel explicationem Juris Gentium ex Hebræorum commentariis, vel Jus Gentium Hebræorum Legi & Conſvetudinibus applicatum dixeris. In *Hobbeſii* Libris eorum, quæ de Cive & Civitate agunt (nam reliqua nobis neutiquam curatio eſt) Scopus generalis eſt è primis Principiis Naturæ Rationalis ac vitæ Socialis res Politicas eruere: Qvo quidem nomine præ cæteris laudandus eſt, cum nemo Politicorum ante illum id auſus fuerit. Specialis eſt dirigere



Digitized by Google

principia ſua ad Monarchiam, qui ſi genium gentis ſpectes, in qua vixit, non minori laude dignus eſt, licebitq; aliis eadem principia ad Statum Ariſtocraticum & Democraticum applicare, modo ſciat iſtos potius, quam Monarchiam Reipubl. ſuæ congruere. In aliis ſcriptis, quæ publicavit itidem, eo nomine laudandus eſt, quod è primis principiis moralibus, licet haut perinde vulgò notis, res ſuas eruere conetur. Sed rurſus etiam culpandus, quod Sacra ad conceptus ſuos trahat, cum hos ad Sacra pertrahere indeq; perficere debuiſſet. Profani tamen, qui videntur apud eum occurrere, loquendi modi, non poſſunt plenum Atheiſmum inferre, nunquam enim qui rebus moralibus mediocriter incumbit, Atheus eſſe poteſt, tanto minus *Hobbeſius*, qui ad prima usq; principia moralium progredi conatur. Quod vero maximè ſapere videtur, id vel Securitatem dixeris vel Neutraliſmum quendam, ut Deum quidem colat, ſed modum colendi à S. Codice derivandum eſſe non neceſſarium agnoſcat; Eſſeq; hunc animum ejus, ex eo patet, quod ſuperius diximus, ipſum Sacra ad conceptus ſuos morales trahere, cum è contrario moralia, quæ habemus aut invenire etiam poſſumus, è Sacris peti debeant, qvippe quæ clarius ſemper rem exprimunt, qvam ſine iis exprimi poteſt. Acciditq; hic ipſi, quod Chymicorum multis aliisque rerum naturalium ſcrutatoribus, qui dum in cauſis ſecundis indagandis nimii ſunt, eis ita alligantur, ut ulteriùs eoq; ad

Deum

Digitized by Google

Deum usq; pergere non opus eſſe judicent, unde ſimiliter in Neutraliſmum incidunt. Brevius: Hobbeſius Principia Vitæ Socialis verè explicat, ſed malè applicat: Unde omnis illa in doctrina ejus perverſitas, quam tamen Chriſtiano vitandam eſſe meritò cum piis probisq; omnibus pronunciamus. Concludimus judicio Autoris Gallici in *Itiner. Anglic. pag. Edit. Germ.* 411. 412. Es werden ſehr wenig gefunden / welche die Sachen genauer durchſehen denn Er und die der Natürlichen Wiſſenſchafft eine ſo lange Erfahrung beygebracht hätten; Ja Er iſt ein überbliebenes von dem Bacon, unter welchem Er in ſeiner Jugend geſchrieben/und an allem/ was ich von Jhm gehöret/ und was ich in ſeiner Art zu ſchreiben mercke/ ſehe ich wol/ daß Er viel davon behalten. Er hat durch das Studieren ſeine Weiſe die Dinge zu wenden/und greiffet gerne in die Gleichnüſſen; Aber Er hat natürlich viele von ſeiner ſchönen und guten Eigenſchafft / ja auch von ſeiner feinen Leibes Geſtalt. Er hat der Prieſterſchafft ſeines Landes/den Mathematiſten zu Oxfurt und ihren Anhängen eine Furcht eingejaget / darumb Jhre Majeſtät mir Jhn einem Bähren verglichen / wider welche Er die Doggen / umb ſie zu üben anreitzet; ſonder Zweiffel hat Er die gekrönte Häupter in den Gründen ſeiner Welt Klugheit höchlich verbunden / und wenn Er die Lehren der Religionen nicht berühret / oder ſich begnüget hätte die Presbyterianer und genannte Biſchöffe ſeines Landes anzugreiffen / finde ich nichts darin zu tadeln.

VI.

Hiſtoricis inter Politicos Libris aſſimilandi, qui fabuloſis argumentis negocia Politica exhibuerunt. Talis *Barclai Argenis*, qva turbas publicas Autor deſcripſit, easdemque vel unius Regni, qvod tamen dictu difficillimum, vel multorum, oſtenſa velut in complexu argumentorum Rebellionis varietate. Similis ejusdem Liber eſt, quem *Euphormionis* nomine prodidit, quove omnium Europæ Rerumpublicarum vitia & virtutes Satyrico ſermone proſequitur. Eodem referunt *Sidnai Arcadiam*, quæ ſi non aliud, profundas Ingenii Anglici ſpeculationes ſiſtit. In Germania noſtra ſimilem laudem promeruit *Joh. Michaël Moſcheroſch*, dum *Philandri* von Sittwald nomine varia Arcana Politica varioſque Status hominum deſcripſit. Præcedenti ſeculo eodem modo ſe commendavit ingenioſus Autor Scripti der Reinicke Fuchs / *Nicolaus Baumannus*, primo *Ducis Juliacenſis Secretarius*, inde Ducum *Megapolitanorum* Miniſter, cum *Aula Juliacenſi* per adulatorum artificia pulſus fuiſſet. Unde conditionem rerum Aulicarum, artes adulandi & ſimul iis fata ſua Libro iſto deſcribenda ſibi ſumſit. In Gallia *Franciſcus Rablæſius Pantagruele* ſuo idem conatus fuit, Scripto, quo Democratica libertate & ſcurrili interdum dicacitate Regni Galliæ cunctos Ordines qvaſi in ſcenam ſub fictis nominibus introduxit, & populo deridendos propinavit. Vid. *Thuan. Lib. VI. de Vit. ſua ad A. MDXCIIX.*

Simi-

Digitized by Google

Similibusque ſcripta vulgo dicta Romanica involucris incedunt, qvalia Lyſandri & Calliſtæ, Herculiſci & innumerabilia. Sed communiter iis parum ſani ineſt, neq; extra amores fere quicquam deſcribunt, quorū caſus cum infiniti eſſe poſſint, mirum nihil eſt, ſi ſpiſſiores appareant. De priſci Æſopi Fabulis extat inſigne judicium priſci Apollonii Thyanæi apud *Philoſtrat. Vit. Ej. Lib. V. c. V.* Æſopum verò quid eſſe cenſetis, dixit ad Socios. Poëtam, reſpondit Menippus, omnino fabuloſum. *Ego vero,* inqvit Apollonius, *accommodatiores ad ſapientiam, Æſopi, quàm cæterorum fabulas eſſe cenſeo. Qvæ enim de heroibus confictæ ſunt, de qvibus tota eſt materia* Poëtarum, *audientium aures corrumpunt, illicitos ac nefandos eorum amores referentes, ceu fratrum, vel ſororum nuptias, & in Deos calumniam, & filiorum eſus, atque illiberales aſtus, & mutuas altercationes. Hæc enim cùm veluti geſta proferantur à Poëtis, homines ad amorem & zelotypiam inducunt, & divitiarum regniq; cupiditatem: (nec ſe derelinquere arbitrantur, cùm Deos imitentur) Æſopus verò ſapientiæ cauſa primo qvidem talia dicentes non eſt ſecutus, ſed viam qvandam propriam adinvenit. Deinde tanqvam* ii, qvi vilioribus cibis pulchrè convivas excipiunt, *ex rebus parvis magna qvædam intelligi facit, & fabuloſo ſermone propoſito, eo ipſo, quid agendum ſit, aut non agendum, oſtendit. Qvapropter veritatem magis etiam qvam cæteri Poëtarum videtur attingere. Illi namq; qvaſi per vim probare nituntur vera eſſe, quæ*

*à ſe dicuntur: Iſte verò ſermonem proponens, quem ita ut eſt, fabuloſum eſſe quisq; novit, aliquid verè dictum de rebus non veris eſſe demonſtrat. Præterea Poëtæ, cùm ſuam narraverint fabulam auditoribus, vera necne ſit, inqvirendum relinqvunt. Is verò ſermonem qvidem falſum referens, & morum præcepta ex eo trahens, alicujus utilitatis cauſa loqvendi falſitate ſenſum eſſe demonſtrat.* Lutherus noſtro tempore easdem Fabulas Germaniæ tranſcripſit & notabili hoc Elogio porro commendat: Diß Buch von den Fabeln der Mährlein/ iſt ein hochberühmbt Buch geweſen/ bey den Allergelährteſten auff Erden/ ſonderlich unter den Heyden. Wiewol auch noch jetzund/ die Warheit zu ſagen/ von euſſerlichem Leben in der Welt zu reden/ wüſte ich auſſer der Heil. Schrifft nicht viel Bücher/ die dieſem überlegen ſeyn ſolten/ ſo man Nutz/ Kunſt und Weißheit/und nicht hochbedächtig Geſchrey wolt anſehen; Denn man darin unter ſchlechten Worten und einfältigen Fabeln/die allerfeineſte Lehre/ Warnung und Unterricht findet/ (wer ſie zu brauchen weiß) wie man ſich im haußhalten/ in und gegen der Obrigkeit und Unterthanen ſchicken ſoll/ auff daß man klüglich und friedlich/ unter den böſen Leuten in der falſchen argen Welt/ leben möge. Tom. V. Jen. fol. 285.

CAP.

# CAPUT II.

## De

# JURE NATURÆ.

*I. II. Definitio Juris Naturæ. III. Definitio Rationis: Libido, Intemperantia cur Brutales ſint? Cur Ratio corrupta ſit cauſa depravatarum Actionum noſtrarum? Cur Cognitio reflexa Rationem indicet? Cur proximus à Deo gradus ſit Creaturarum Rationalium? Cur Imago Divina in Ratione conſiſtat? Cur Homo beneficio Rationis imperet? De Brutorum virtutibus. IV. Quid ſit Dictamen Rectæ Rationis? V. Explicatio verborum Imper. de Jure Naturæ: VI. Servandum fuiſſe etiamſi nulla Lege juſſum fuiſſet: VII. Decalogū omnia Juris Naturæ Præcepta continere: An Inceſtus Decalogo prohibitus ſit? IIX. Tria vulgo nota Principia Juris Naturæ ex Natura ejus proxime derivari; Nec tamen inter ſe differre. IX. Jus Naturæ apud omnes eſt idem, omnibus æque notum, Perpetuum, Immutabile: Quo ſenſu Diſpenſationes admittat? X. Jus Naturæ Primævum & Secundarium. XI. Rami Juris Naturæ, Amor Dei, Noſtri, Proximi: Præcepta Juris Naturæ Infinita. XII. Di-*



Digitized by Google

*XII. Diſcrimen Juris Naturæ à Jure Gentium: Cur Diſtinctio Dominiorum, & Contractus ſint Juris Gentium, Lex Furtorum vero & Fides Contractibus præſtanda pertineant ad Jus Naturæ?*

I.

JUS NATURÆ, nobiliſſimam totius Vitæ Rationalis & Socialis partem, & utriusque veluti *fundamentum* primo tractandum ſuſcipimus: Quod quidem ad doctrinam moralem proprie ſpectat, quia tamen Parallelismos Meditationum Politicarum noſtrarum exhibitum venimus, nihil commodius nos hic tractaturos cenſuimus, quam ſi illud *Juri Gentium* Parallelum ſiſtamus. Præſtabimus id more ac ordine nobis ſolito citra ambages prolixamque rerum pompam aut cætera iſta rejicula, quibus neceſſarium rerum apparatum vulgo obruere ſolent.

II.

*JUS NATURÆ eſt conformitas cum Natura Rationali.* Dictamen Rectæ Rationis alii vocant eodem ſenſu. *Conforme* cum Natura Rationali illud eſt, *quod Naturam Rationalem* cõſervat, *perficit & auget*, ac proindè contrarium ejus, Naturam Irrationalem deſtruit. Sic *Pietas* eſt *Juris Naturæ*, congruit enim cum naturâ rationali, quia creatura non poteſt exuere reſpectum, quem Creatori debet: Cujus iterum cauſa, quia effectus nunquam poteſt negare dependentiam à cauſa ſua, aut

Digitized by Google

aut ſi quid horum fieret, eo ipſo contradictio involveretur: Effectus enim ſine dependentia à cauſa non eſt effectus: Creatura ſine Creatore non eſt creatura, & conſequenter, ut creatura ſit, Deum ab eô coli oportet, ne ſibi ipſi contradicat, & ſeipſam evertat.

III.

Pleniſſima hujus rei declaratio ex *Naturâ Rationis* pendet: De hac enim niſi certi quid conſtet, nunquam vel Naturam Rationalem vel Dictamen Rectæ Rationis ſatis aſſequemur. Et quidem prætermiſſo aliorum de nobili hac materia cogitatorum examine opinamur, *Rationem eſſe facultatem cognoſcendi rem in natura ſua*: Quo conceptu & præſenti propoſito noſtro lucem clariſſime affulſuram, & *Hominum* actus à *Brutis* evidentiſſime diſtinctum iri confidimus. Cognoſcere eſt repræſentare aliquid animo, quod cum ſenſualibus creaturis omnibus commune habemus. Cognoſcere rem in naturâ ſuâ actus noſtros diſcernit à cognitione Brutorum, qvæ res qvidem etiam apprehendunt, ſed ſub ratione boni privati ſui, non autem ut in naturâ ſua ſeſe habet; Ideò ipſæ actiones noſtræ tunc brutales fiunt, cum in rem tendunt, non ſecundum naturam ejus, ſed ſub boni privati apprehenſione. Et *Libido brutalis* eſt; Cohabitationis carnalis natura enim in procreatione ſobolis conſiſtit, qvam libido ſub ratione jucundi alicujus privati, eoqve non ſecundum naturam ſui apprehendit. *Intemperantia brutalis*



Digitized by Google

eſt; Brutorum more enim in alimenta tanqvam in jucundum aliqvod privatum ferimur, cum natura ſua ad conſervationem noſtri deſtinentur. Et generaliter *Ratio corrupta*, decantatum illud in Scholis Theologorum Thema, *Fons depravatarum actionum noſtrarum merito ſtatuitur*; Deficit enim cognitione rerum in naturâ ipſarum propriâ, ac proinde non poteſt actiones congruas edere. E contrario *cognitio reflexa* in qua in *Medit. Pol. Cap. IV.* Rationem conſpicandam propoſuimus, partem conceptus hujus explet; Si enim naturam rerum per rationem apprehendimus, etiam naturam cognitionis apprehendimus, eoqve in cognitionem noſtram reflectimus. Cur proximus à Deo creaturarũ rationalium in genere Entium gradus ſit, hinc etiam derivabitur. Cognitione rerum enim in natura ipſarum hoc unicum ſublimius eſt, eaſdem producere. Ipſa *Imago Divina* conſiſtit in *Ratione*, *Deus* enim perfectiſſime & ſe ipſum & omnia extra ſe cognoſcit. At in corpore nulla noſtri cum Deo ſimilitudo eſt; DEUS enim eſt Spiritus: Sola mens e. Dei imaginem gerit, qvia itidem res in natura ſua cognoſcere apta eſt. Solus homo beneficio Rationis imperat rebus terrenis, eandem ob cauſam; Ratio enim eſt facultas cognoſcendi rem in natura ſua; Solus homo ergo qvia vi cognitionis hujus cuncta ad fines ſuos dirigere poteſt, Imperio dignus eſt. Ratiocinia enim ſeu *Syllogiſmi* ex eadem fluunt, h. e. facultas ex notioribus & prioribus

igno-

Digitized by Google

ignotiora & poſteriora colligendi: Non tamen ſimpliciter, ſed colligendi ex naturâ rerum; Si univerſaliùs id acceperis, in Bruta etiam aliqvid eorum cadere videbitur, ſed rurſus non niſi ſub ratione boni privati ſui. Vid. *vulpis* ratiocinia in *Sperlingii Phyſ.* Deniq; etiam de virtutibus Brutorum aliisqve qvæ Rationem præ ſe ferre videntur, judicium inde formabitur: Eas videlicet non proficiſci ex cognitione rerum in natura ſua, ſed itidem, quia tales actiones bono privato eorum congruunt. Conf. qvæ de Vitâ ſociali eorundem diximus *Medit. Polit. Cap. IV. §. VII.* Neqve erit amplius, cur *Arriagæ* Inſtantiam de Ratione Brutorum metuamus: *Difficilem eam negatu eſſe; Agi enim de actu exiſtente in Brutô, de quo nos nullam habere poſſumus experientiam.* Reſp: Omnino nos habere experientiam; Tota die enim videmus bruta non naturam rerum cognoſcere, ſed bonum tantummodo privatum, ex iis ad ſe redundans. Vide plura ejuſmodi dubia *Medit. Polit. Cap. IV, §. IIX. IX.*

## IV.

Itaqve veluti Ratio eſt *Facultas cognoſcendi rem in Natura ſua*, ita Dictamen Rectæ Rationis eſt *Conformitas agendi ſecundum Naturam Rerum*, adeoqve nihil Juris Naturæ erit, quin idem Naturæ Rerum congruat, & è contrario ea, quorum Ratio ex Natura Rerum reddi non poteſt, non poſſunt dici Juris Naturæ eſſe, & contra Jus Naturæ erit omne, qvod fluxum Naturæ Rerum turbat,

ſeu

ſeu qvod in Natura Rerum aliqvid evertit. *Pietas* eſt Juris Naturæ, congruit enim cum Natura Rationali, h. agnoſcimus Naturæ Rerum congruere, ut creatura Creatorem qvam poteſt reverendiſſime ſuſcipiat; *Juſtitia* itidem Juris Naturæ eſt, Naturæ Rerum enim congruit, ut unusqvisqve ſuum habeat; Veluti è contrario per *Injuſtitiam* periclitatur Status Rei humanæ, cum illa turbet æqvalitatem Jurium; Et Impietas turbat Naturam Rerum, tollit enim reſpectum inter Creatorem & creaturam.

V.

Ab *Imperatore* Jus Naturæ vocatur, *Qvod Natura omnia Animalia docuit*. Sed rem communem habere cum Beſtiis non eſt indicium Juris Naturæ, ſed tantummodo ſignum communis neceſſitatis ac inſtinctus. Itaqve autumamus id de Brutis non tanqvam *Subjecto*, ſed tanqvam *Objecto* Juris Naturæ accipiendum eſſe: Tantam ſc. eſſe neceſſitatem Juris Naturæ, ut ne in Bruta qvidem aliter conſulere poſſimus, qvam ratio Juris Naturæ exigit. Vel etiam tantam eſſe evidentiam ejus, ut ne Bruta qvidem, dum ad bonum privatum ſuum ſine ratione tendunt, actiones Juri Naturæ contrarias edant. Unde & porro ſequitur, verbis iſtis *Imperatoris* aliqvid Juris Naturæ qvidem exprimi, non tamen niſi meram propoſitionem eſſe, qvibus aliqvid de Jure Nat. prædicatur, minime omnium vero Definitionem ejus continere; Neqve enim omnia, qvibus alterum de

altero

Digitized by Google

altero prædicatur neceſſario definitionem conſtituunt, quod ſua luce radiat. Alias inſtantias morales haut magnopere urgebimus: Quales: Naturam omnia animalia docere, ne ultra ſitim bibant, & tamen ultra ſitim bibere ſine ebrietate non eſſe contra Jus Naturæ; Et qvam *Taylor* itidem affert de congreſſu cum fœmella gravida, qvem Bruta recuſent, tamen concubitum talem cum conjuge gravida non eſſe contra Jus Naturæ.

## VI.

*Conſenſu Gentium* ſeu univerſarum, ſeu moratiorum Jus Naturæ non nititur: Cui rei jam qvoad Jus Gentium ſatisfactum in *Medit. Polit. Cap. II. §. IV.* traditumqve Jus Gentium univerſum futurum fuiſſe, etiamſi per impoſſibile conſenſus Gentium non extitiſſet: Idemqve pro Jure Naturæ hic allegandum. Cui confirmationis ergo adjicimus: *Conſenſum Gentium tantum oſtendere, quid poſſimus facere, non autem qvid fieri oporteat*: Neqve aliter ſe haberi videtur, qvam ad eum modum, qvo conſentimus in æſtimium Gemmarum, ignari qvam ob cauſam tanto, nec alio precio venire debeat, niſi qvod eximia ſpecie ſe nobis commendent; Sic Jus Naturæ ſolum externum decus ſplendorqve opinionis commendaverit, niſi ipſa Natura Rerum cauſam ejus fundet, & cur Gentes ipſam amplexæ ſint, conſpiciendum præbeat: Confirm. qvia plane dubium eſt, qvæ Gentes pro moratis habendæ ſint, niſi iterum Naturam

turam Rerum in ſubſidium vocemus. Græcis enim omnes Nationes erant Barbaræ extra Græciam, Romanis omnes extra Imperium, Judæis qvoq; non alia de univerſis Gentibus opinio fuit, dum Ethnicos eſſe viderunt. Sibi ſolis ergo hi moratiorem naturam attribuerunt, non aliis, & alii ſine dubio eandem iis denegarunt, & rurſus Judæi, Græci, Romani ſibi invicem eam negarũt, ut proinde hinc pateat plane in incerto eſſe, qvæ tandem Gens morata, qvæ Barbara ſit. Facitqve huc Qvæſtio, qvam in Aula *Darii Perſarum* Monarchæ inter Græcos & Indos agitatam fuiſſe Herodotus ſcribit *in Thalia c. XXXIIX. Darium Græcos è ditione ſua accitos percontatum eſſe, quanta pecunia vellent defunctis parentibus veſci: Illis negantibus ulla ſe pecunia hoc eſſe facturos, eundem Græcis præſentibus, & quæ dicebantur per Interpretem diſcentibus, Indos Callatias qvi parentibus veſcebantur, interrogaſſe, qvantum accipere pecuniarum vellent, ut Patres defunctos igni comburerent; Sed Indos vehementer reclamaſſe & meliora Regem ominari juſſiſſe.* Deniq; ſi amorem prolis excipiamus, qvem cum Brutis communem habemus, qvia proles natura nobis ſimilis eſt, nulla Lex Naturæ eſt, qvin apud Gentem aliqvam intermittatur. Sic Furta libera erant apud *Lacedæmonios*, *Inceſtus* apud *Perſas*, *Latrocinia* apud *Idumæos* &ſſ. Nihil e. conſenſus aut diſſenſus Gentium in Jure Naturæ efficit, ſed cõnexio cum natura rerum, qvam ſi Gentes ſeqvantur *moratiores* ſunt, ſi non ſeqvantur,

tur, *Barbara* ſunt, & Jus morale ideo non deſinit eſſe, ſed excipitur merito, qvod *Xenophon* de Perſis dicit, *non eo minus Jus eſſe, qvia à* Perſis *contemneretur.* Confer. *Cap. VII. §. IIX Cap. XI. §. ult.* Cl. Puffendorf. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. IIX.c.III. §. VII. & ſ.* Hobbes. *de Civ. c. II. §. 1.* Ad qvorum argumenta tamen tria verba notanda duximus. Ajunt ad *Conſenſum univerſi generis humani provocare non poſſe.* *I. Qvia alias homini ratione actu utenti impoſſibile foret contra Legem Naturæ peccare, ipſo enim in diverſum abeunte conſenſum humani generis jam eſſe mancum. II. Qvia iniqvum ſit Naturæ Leges ab eorum conſenſu recipere, qvi eas violant ſæpius qvam obſervant.* Reſp. ad I. Nec hominem ratione actu utentem, h. cognoſcentem res in natura ſua, (id enim eſt ratione actu uti) poſſe contra Jus Naturæ peccare; Et ſi peccat ipſum ratione actu non uti; Agit enim contra Naturam Rerum ex *prac. §. II. & III.* Ad II. Revera qvidem iniqvum fore, ſi à conſenſu hominum Jus Naturæ violantium illud peti debeat; Sed etiamſi conſenſus omnium præſto eſſet, nec qvisqvam eorum id violaret, nihilominus inde Juri Naturæ nihil accederet, cum obſervandi ejus norma non ab ipſis, ſed à Natura Rerum ſumenda eſſet. Ex *eod. §. II. & III.* Pergunt: *Nec ad omnium gentium conſenſum provocandum eſſe, qvia non omnium populorum mores & inſtituta ſint cognita; Neq; etiam moratiorum populorum conſenſum allegari poſſe: Nullam gentem enim ultro ſe Barbaram agnituram, nec*

nullam

*ullam ſibi tantum tributuram, ut ad ſuos mores reliqvas omnes exigi poſtulet.* Reſp. Barbariem tamen & qvæ Gens Barbara ſit, perſpici poſſe, neq; referre utrum gens aliqva id agnoſcat nec ne, ſufficere ad indicendam Barbariem receſſum à connexione cum Natura Rationali, qvod infra demonſtratum *Cap. XI. §. ult.*

VII.

Alii *Decalogum* Juri Naturæ aliqvid rei vel roboris addere pie ſenſerunt: Qva de re ita ſtatuendum ducimus. I. *Jus Naturæ*, veluti moralia in univerſum, *licet nulla Lege juſſum fuiſſet, nihilominus æqve ſervandum fuiſſe, eoqve ſi qva Lege jubeatur Divina vel Humana*, non effici & formari, ſed *illuſtrari & confirmari.* Sicqve & præcepta Decalogi obſervari oportuiſſet, etiamſi Decalogus nunqvam latus fuiſſet, qvia Principia naturalia ſunt, qvorum contraria etiam ideo ſevere animadverſum fuiſſe legimus, longe anteqvam Decalogus ferretur. Sic Deus homicidium *Caini* perpetuo exilio mulctavit, *Noach* in exutam à filio reverentiam ſibi debitam maledictione graviſſima animadvertit, *Judas* ſcortationem nurus ſuæ vivicomburio puniendam decrevit. Qvæ omnia indicio ſunt, Præcepta Decalogi obſervata fuiſſe, anteqvam Decalogus ferretur, cauſa perpetua hac manente, qvia conformitas cũ Natura Rationali, h. ipſa natura rerum non aliter ferebat. II. *Decalogum tamen* Juri Naturæ & in univerſum Præceptis Moralibus adæqvatum eſſe, ſeu *omnia Juris*

Digitized by Google

*Juris Naturæ aut Moralia Præcepta continere.* Deus enim Decalogum tanqvam perfectiſſimam Summam rerum agendarum populo ſuo concredidit: Qvæ niſi fuiſſet, tam ſolenni promulgatione vel accurata cuſtodia haut opus fuiſſet. Aliæ rationes paſſim apud Theologos habentur, qvas etiam tot Seculorum Praxis confirmat. In contrarium tendunt è Chriſtianis recentibus nonnulli, qvorum pleraqve qvæ dici poſſunt diligenter collegit *Taylor. Duct. Dub. Lib. II. c. II. Reg. IV.* Sunt ex Inſtantiis ejus potiores. I. *Eſſe inter Leges Naturæ, qvibus à Decalogo proviſum non ſit, & in ſpecie Legem Inceſtus vitandi, qva ne per conſeqventiam qvidem ad præceptum aliqvod referri poſſit. Si dicas Generali Præcepto de non fornicando eam includi; Reſpondet, ita fornicationem qvidem prohiberi, ſed neutiqvam inceſtum fieri, niſi omnis fornicatio pro inceſtu habenda ſit.* Reſp. I. Præceptis Decalogi non tantum prohiberi Peccata, ſed omnes Peccatorum gradus, ſeu illi ex præcepto ipſo ſumantur, ſeu ex alio Præcepto Peccata hæc augeant; Lex inceſtus vero eſt intenſior fornicationis gradus. Sed inſtat iterum, *ſub ratione inceſtus non prohiberi.* Reſp. I. Nec *Sodomiam* ſub ratione *Sodomiæ* prohiberi, & tamen ad Præceptum de fornicatione pertinere. II. Inceſtum vel eſſe inter Parentes & Liberos, vel inter Fratres & Sorores: Priorem Præcepto de honorandis Parentibus ſatis prohiberi, qvod ipſe *Taylor* non diffitetur; Poſteriorem qvod attinet, ſi concedamus Deca-

logo prohibitum non eſſe, agnoſcendum tamen ſimul erit, eum nec Juri Naturæ ſimpliciter adverſari, niſi nos omnes velimus ex inceſtuoſo concubitu natos eſſe, neqve enim alii qvam fratres & ſorores initio creati mundi conjugi potuerunt. Conf. *Med. Polit. Cap. VII. §. XIII.* Non ignota qvoqve noſtrorum Reſponſio eſt: Decalogo contineri omnia vel *expreſſe*, vel per *conſequentiam*. Cui opponit *Tertullianum jam Decalogum voluiſſe ipſa Lege de non tolendo fructu vetito comprehendi: In hac enim Lege Adæ data omnia Præcepta cognita recognoſcimus, quæ poſtea pullulaverunt data per Moſen.* Reſp. I. LL. Forenſes & Ceremoniales hic poſſe intelligi. II. Diſparem rationem eſſe, & Decalogo comprehendi omnia per conſequentiam proximam & nauralem connexionem poſitivam, non remotam. Inſt. II. *Decalogum quidem prohibere ne faciamus Mala, non jubere tamen, ut faciamus Bona, niſi duobus Præceptis de ſanctificando Sabbatho, & de honorandis Parentibus.* Reſp. In moralibus non ignotum eſſe, omnem Affirmativam Legem ſeu Jubentem eſſe ſimul Negativam ſeu Prohibentem, & rurſus omnem Legem Prohibentem eſſe ſimul Jubentem. Accedit qvod à Judæis obſervatum, *Præcepta Negativa fortius obligare Præceptis Affirmativis,* quod illa nihil relinqvant, hæc vero ampliationem non recuſent, ut proinde non ſine ratione fuerit, qvod Deus Legem Negantem potius qvam Affirmantem introduxerit.



Digitized by Google

IIX.

Qvæ Jus Naturæ proxime ſeqvuntur, ſunt tria illa vulgo nota Principia Juris: *Honeſte vivere, Neminem lædere, Suum cuiq; tribuere*. Quemcunqve enim ſpecialem actum Pietatis aut Probitatis exercemus, eum ad hæc Principia dirigimus: Neminem nimirum lædendum, ſuum cuiqve tribuendum eſſe. Roganti vero cur nemo lædendus ſit, proxima ratio in promptu eſt, qvia Naturæ Rerum congruit, ut nemini eripiatur qvod ſuum eſt; Cur ſuum cuiqve tribuendum ſit? Eſt enim *Dictamen Rectæ Rationis*, h. Naturæ Rerum congruit, ut unusqvisqve id Jus retineat, qvod habet, & ſi retinendum non eſſet, jam ſtatus univerſus non tantum rerum humanarum, ſed etiam rerum omnium turbaretur & corrueret. Neq; tamen tria iſta *Principia diverſa, ſed unum idemque ſunt*, diverſis tantum conceptibus propoſita: Nam honeſte vivere eſt poſitivo ſenſu ſuum cuiqve tribuere, & negativo neminem lædere; Rurſus etiam dum neminem lædimus, jus ſuum cuiq; tribuimus; Atq; dum ſuum cuiq; tribuimus, neminem lædimus; Et dum neminem lædimus & ſuum cuiqve tribuimus, eo ipſo honeſte vivimus.

IX.

Neq; aliud extra idem ſunt κοιναὶ iſtæ ἔννοιαι, ſeu Communes Notiones Practicæ, aut communiſſima Axiomata & humanæ πράξεως fundamenta, *quæ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus,*

*expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus*, ut *Cicero in Or. pro Mil.* loqvitur, hoc eſt eo ipſo, quo ratione utimur, neceſſario in horum cognitionem primo ferimur: Neq; homines ſunt, qui hiſce carent, niſi eos ratione deſtitutos velis, eademq; eo evidentius ſe exerunt, quo longius homo in cognitionem rerum provehitur. Ut proinde viri pii ac docti non abs re ſtatuerint veritatem & originem eorum Naturalem, neq; vel per experientiam & inductionem collecta eſſe, vel ad nos per inſtitutionem, famam, & traditionem hominum perpetuo ſibi ſuccedentium perveniſſe. Communium Notionum Theoreticarum eadem ratio, qvalia: *Deum eſſe, eundem eſſe ſummum, Unumqvodqve eſſe vel non eſſe, Totum eſſe majus ſua parte, Cauſam præcedere ſuum effectum.* Qvæ omnia in ſuperioribus liqvido clarent.

## X.

Jamq; Jus Naturæ qvia eſt conformitas cum Natura Rationali, eſt immutabile, h. nullis circumſtantiis perſonarum, loci aut temporis alligatum aut circumſcriptum, qvia nec Natura Rerum, nec Ratio Recta iis circumſcribi patiuntur, qvæ evertendæ eſſent, ſi mutatio Juris Naturæ afferretur. Unde ſeqvitur: I. *Apud omnes idem eſſe*; Natura Rerum enim & Homines ubiqve iidem. II. *Omnibus æqve notum eſſe*; Rationales enim ſunt, unde qvid Naturæ Rerum congruat, omnes æqve expendere poſſunt. III. *Perpetuum eſſe, niſi ipſa*

*Natura deſinat*: Neqve enim eſt à cujus arbitrio dependeat. Qvæſtio, *an Diſpenſationem admittat hinc etiam pendet*. *Moraliſtæ* recte agnoſcunt tantam neceſſitatem ejus, ut *ne à Deo quidem diſpenſari poſſit*; Sed Diſpenſationis nomine intelligunt Juris relaxationem, h. Jus Naturæ tam firmum eſſe, ut nullo caſu relaxari poſſit. Qvia tamen Deum aliqvando contraria juſſiſſe legimus, ut *Iſraelitas auferre vaſa Ægyptiorum, Abrahamum occidere filium*, qvæ Juri Naturæ manifeſto adverſantur, paulum aliter Diſpenſationem explicandam ducimus. Jus enim relaxare eſt tollere, non qvidem ſimpliciter, ratione certarum rerum tamen aut perſonarum, unde manentibus illis actibus nulla vel Juris Naturæ vel rationum ejus in ſe certitudo haberi poſſet. Qvare opinamur I. *Diſpenſationem commodius dictum iri Declarationem actum aliqvem non pertinere ad Legem*; Et ita qvidem II. ut fiat *autoritate Superioris*, ne qvisqvi laxiori conſcientia eſt, plus qvam par eſt ſibi hac in re indulgeat. Ac III. præſupponat *cauſam aliqvam generaliorẽ* Lege, ſeu Bonum aliqvod univerſalius, qvam illud eſt, qvod Lege, circa qvam Declaratio inſtituitur, continetur: Quæ res veluti in omnibus Diſpenſationibus matrimonialibus, Juramentorum &ſſ. uſu venit, cujus ſpecimen exhibuimus *Med. Polit. Cap. VII. §. XIV.* ita eadem in ſingulis Principiis J. N. & G. occurrere poteſt, quoad nempe datur cauſa generalior, qva ſpeciale aliud Principium ſuſpendi poſſit. Sicq;

*furta Iſraelitarum* per Diſpenſationem Divinam deſinebant furta eſſe, ob cauſam nempe generaliorem Lege de non alienandis Bonis alterius, qvæ erat ſupremum Dei in cuncta Bona noſtra Dominium; Et Deus dum ea juſſit, cauſam hanc prævalere paſſus fuit, ſpecialem Legem furti vero non ſuſtulit, ſed eam ad hunc actum non pertinere declaravit. Eodem modo juſſum de occidendo *Iſaaco* non erat contra Legem Homicidii; Vita *Iſaaci* enim qvæ poteſtati privatæ *Abrahæ* ſubjecta non erat, eidem ut Inſtrumento Divini beneplaciti ſubjiciebatur ab eo, qui vitæ necisque arbiter erat ac Dominus, in qvo cauſa generalior recubuit. Indeq; fit, ut actus hujusmodi non *formaliter* tales, h. furta, homicidia maneant, ſed *materiale* tantum retineant: Qvo ſenſu capiendi, qvi cum Scholaſticis Diſpenſationes haſce non proprie circa ipſum Præceptum *Juris Nat.* ſed circa materiale ipſius actus fieri contendunt; Sed in eo fruſtra ſunt, qvod Diſpenſationem impropriam eſſe, & improprie fieri Diſpenſationem autument, cum præcipitur & approbatur actus, qvi qvidem videatur Legi contrarius eſſe qvoad materiale, non tamen ſit, ſi circumſtantiæ & conditiones omnes attenduntur. Vid. *Heerebord. Melet. Vol.* 1. *Diſ. de Lege Nat. XLI.* Id enim omnibus Diſpenſationibus accidit, ut non Legem ipſam mutent, circa eam tamen verſentur & declarent actum aliqvem ad ipſam non pertinere adeoqve actuum materiale tantum relinqvant. At qvod omnibus accidit, id improprie factum dici neqvit.

XI. *Prin-*

Digitized by Google

XI.

*Principia* Specialia Juris Nat. *infinita* ſunt; Infinita enim *objecta* ſunt & infinita Rerum à Natura Rationali gerendarum occaſiones: Neqve tamen Principia iſta tanqvam ſpecie inter ſe diverſa habenda, ſed qvod alibi de Virtutis unitate prodidimus, idipſum de Jure Naturæ hic aſſerendum: *Principium ejus unum ac ſimplex* eſſe, *Dictamen Rectæ Rationis: Specialium* Principiorum varietatem non in ſe, ſed tantùm ab Objectis talem eſſe. Sic Præceptum de colendo Deo eſt Dictamen Rectæ Rationis circa Deum, de honorandis Parentibus Dictamen Rectæ Rationis circa Parentes, de non occidendo, Dictamen Rectæ Rationis de vita Proximi. Qvod tamen & hujusmodi conceptus non recuſent ad ſumma qvædam capita reduci, nos Servatoris veſtigiis *Matth. XXII.* inſiſtentes veluti trium generum objecta, ita totidem genera Principiorum ex triplici iſthic reqviſito amore agnoſcimus. *Amore ſupra nos*, qvi Dei eſt, *in nos*, qvi Amor noſtri eſt, *& juxta nos*, qui eſt Amor Proximi, quibus tanquam Analogũ quoddam acceſſerit Amor infra Nos, qui Amor Brutorum aliarumque Rerum Irrationalium eſt. Primus maximus eſt, tendit enim in Objectum maximum, nec Deus unquam à Nobis ſatis coli poteſt, cum infinitus ſit. Secundum & tertium genus in æqvilibrio verſatur, ne vel ipſi majores nos æſtimemus, quam alios, vel alios nobis anteferamus, cujus cauſa quia omnes æqvaliter homi-

nes & creaturæ Rationales ſumus. Ex *his* inqvit Servator, *pendent univerſa Lex & Prophetæ.* His e. ſi ſatisfecimus, toti Juri Naturæ à nobis ſatisfactum eſſe pro certo habebimus.

XII.

Veluti autem Servatoris Mandatum Amorem iſtum ſeu propoſitum ſuum cuique tribuendi ad Deum primo, ad cætera æqvaliter nos dirigit, ita eo ipſo qvibus limitibus contineantur hæc amandi genera, ſeu Rami Juris Naturæ, indicium præbet. Eſtq; fere *Summa* eorum. I. Ne amorem noſtri negligamus, ſicq́ꝫ nos ipſos deſeramus, quod toties fit, quoties in proprium corpus noſtrum, etjamſi nemo extra nos lædatur, peccamus, ut in peccato ebrietatis, generibusq́ꝫ libidinis nonnullis. II. Ne amor noſtri prævaleat vel amori Dei vel Proximi, utrumq́ve enim jure ſuo privamus, priusq́ꝫ fit in læſione primæ tabulæ Decalogi, poſteriùs in maximâ parte ſecundæ. III. Ne amor Proximi prævaleat amori noſtri; Ex qvo capite injurias alienas depellimus, cum Proximus ita plus poſcat, quam ipſi debemus præſtare, ipſumq́; hoc rationem gignit, cur in ſubeundis periculis pro chariſſimis noſtris non eodem gradu ſemper progredi teneamur, & extra culpam ſimus, etiamſi perire videamus non præſtito à nobis auxilio, cauſa enim eſt, quia nunqvam amorem noſtri poſtponere tenemur amori Proximi. IV. Amorem DEI tamen prævalere debere amori noſtri & Proximi. Cujus *Rationem* reddimus, qvia

qvia creatura obligata eſt etiam cum diſpendio ſalutis ſuæ gloriam DEI promovere: Confirmatur, quia quod facit, id confidentia melioris Naturæ facit, cujus beneficio ſe ereptum iri ſperare poteſt. Petimusq; hinc cauſas, cur *Moſes* optaverit exterminari è libro vitæ, & *Paulus* anathema fieri, h.e. Chriſti Communione excludi pro Iſraelitis; Agnoverunt enim id, quod ratione modò data produximus, creaturam nempe etiam cum periculo ſalutis ſuæ ad gloriam Dei promovendam aſtringi, cum certò interea ſperare poſſent, DEUM cujus Zelo ardebant, ipſos nihilominus erepturos, qvod deſiderii genus Ecſtaſin charitatis alii vocant, nos ſanctam Impatientiam. Confer. *Med. Polit. Cap. IV.* §. *ult.* Q. *Annon æquilibrium hoc & ſtudium præjudicet inæqvalitati, quam in ſtatu Politico inter digniores, & indigniores, vulgum ac Nobiles videre eſt?* R. Æqvilibrium ulterius non extendi, qvam ad Humanitatis jura, non vero ad omnes in humana vita occurrentes modos, additur namq; in ſtatu Politico humanæ vitæ modus quidam, ut non tantum ſimpliciter, quâ homines ſpectemur, ſed ſimul conſtituti in conjunctione cum aliis, ſicque nec amplius conſideramur tanqvam ſingulares perſonæ eoq; juribus hominum fruentes, ſed tanqvam partes in conſtituendum amplius aliqvod totum coeuntes, ac veluti jam partes in toto non neceſſariò æqve dignis functionibus deſtinantur; ita in toto hoc Politico res ſimiliter comparata eſt, & inæqvales poſſumus red-



Digitized by Google

di, ſalvâ interim Natura, quam extra reſpectum hunc poſſidemus, æqve ac partes, etiamſi nunquam in toto aliqvo conjungerentur nihilominus permanere poſſent, licèt non ut partes, ſed tanquam res ſeparatæ.

XIII.

Præterea *Jus Gent.* à JCtis in *Primævum* & *Secundarium* diſtingvi nemini ignotum eſt, & utriusque explicatio paſſim obvia: Hujus occaſione & *Jus Naturæ* aliquod *Primævum* & aliud *Secundarium* ſtatui poſſe autumavimus. Illud neceſſitatem, hoc congruum inferet: Seu Jus Naturæ *Primævum* erit, qvod Naturam Rationalem ſeqvitur, ſeu cujus contrarium Naturam Rationalem evertit. Jus Naturæ *Secundarium* verò, quod Naturam Rationalem decet, ſeu cujus contrarium Natura Rationali indignum eſt. *Prioris* generis ſunt actus Pietatis ac Probitatis; *Poſterioris*, quæ Officia Humanitatis & Decora vocari ſolent: Sic Sepultura Officium Humanitatis eſt; Indignum enim Natura Humana aliquem ſibi ſimilem palàm corruptioni exponi; Amotio ſordium decora eſt; Indignum enim Natura Rationali iis pollui. Quæ omnia tamen citra novandi aliqvod deſiderium dicta ſunto; Neq; Terminorum horum magnopere ſatagemus, iis tamen ad ſimilitudinem J. G. potiſſimum nos uti poſſe rati fuimus, ſiqvis alios ſubſtituerit, perinde erit: Reipſa vero diſtinctione hujusmodi opus eſſe facile perſpiciet, qui duûm generum iſta Principia, utrinqve etiam obli-

obligationem licet non eorundem graduum eſſe expenderit, niſi præter Jus Naturæ, Sociale ac Civile qvartum aliqvod, qvod Decora & Humanitatis officia complectatur comminiſci velimus.

XIV.

Proximum a Jure Naturæ eſt *Jus Gentium*. Ab aliis viris doctis pro uno eodemqve cum illo habitum, qvorum rationes jam conſideravimus *Med. Pol. Cap. II. §. IIX.* Et ſane non eſſe ſimpliciter eadem argumento eſt, qvod Jus Naturæ eſſe poſſit, fueritve, cum Juri Gentium nullus locus eſſet; *Adamus* enim cum ſolus adhuc eſſet, Jure Naturæ obligabatur; At Jure Gentium ne poterat quidem teneri, quia nemo præter ipſum inter homines erat. Eadem differentia in Definitione de utroque allata claret liquidiſſime; *Jus Naturæ* enim Dictamen Rectæ Rationis eſt, *Jus Gentium* quidem etiam Dictamen Rectæ Rationis, ſed in Vita Sociali, & quidem ex ratiociniis neceſſitatum ac commodorum noſtrorum exortum, cum Jus Naturæ ſequendum ſit, etiamſi nulla commoda Vitæ Socialis appareant. Atq; adeo non magis dixeris eadem eſſe, quam Virtutem & Caſtitatem; cum licet omnis caſtitas virtus ſit, non tamen virtus adæquate ſit caſtitas: Quæ prolixe demonſtrata *cit. Cap. II. §. VI.* Nec abs re fuerit rationes contrarias denuo in quæſtionem vocari. Ajunt I. *Ea quæ de Jure Naturæ & ſingulorum Officiis traduntur facile poſſe applicari ad Civitates & Gentes integras, quæ in unam quoq; perſonam moralem coaluerunt.*

Digitized by Google

*aluerunt.* Reſp. Non poſſe tantum applicari, ſed neceſſariò applicanda eſſe, retinent enim Naturam Rationalem, & conſequenter Dictamen Rectæ Rationis neceſſario ſeqvuntur; ſed de eo quæri annon Dictamen hoc in peculiaria exercitia ſine voluntatis humanæ acceſſu ſe diffundat, dum in Vita Sociali ſeſe exerit, quod affirmandum eſt. II. Eadem dubia premere Jus Civile quoq;, quæ enim de Jure Naturæ & ſingulorum Officiis traduntur etiam ſingulis civibus eorumq; Actionibus applicari poſſunt, atq; adeo non tantum J. N. & J. G. ſed etiam Jus Naturæ, & Jus Civile pro uno eodemq; habenda venient. Inſt. II. *Pleraq; quæ apud JCtos Romanos, aliosq; ad Jus Gentium referuntur, puta, quædam circa modos acquirendi, contractus & alia, vel ad Jus Naturæ pertinere, vel ad Jus Civile ſingularum Gentium, quod iſtis in rebus cum Legibus Civilibus plurimum populorum coincidit. Ex iis tamen peculiaris juris ſpeciem non recte conſtitui, quippe cũ iſta jura Gentibus inter ſe ſint communia non ex aliqua conventione aut obligatione mutua, ſed ex placito peculiari ſingulorum Legislatorum in ſingulis Civitatibus conſtituto, quæq; adeo ab uno populo inconſultis aliis mutari poſſint, ac ſæpenumero mutata deprehendantur.* Reſp. I. Eo ipſo jam diſquirendum eſſe, qui ſinguli Legislatores ſeorſim in placita ejusmodi inciderint? Cui nos reſpondemus, id factum, quod neceſſitatibus humanis haut aliter conſuli, vel Vitæ Sociali bene eſſe viderint. Jus Gentium enim apud omnes

æque

æque notum eſt. Ac proinde II. negari iſta jura ex peculiari placito ſingulorum Legislatorum manaſſe, quia etiamſi talia nunquam ſanxiſſent, nihilominus ita fieri oportuiſſet. Inſt. III. *Nomine Juris potiſſimum venire conſvetudines circa bellum tacito conſenſu quodam uſurpari ſolitas: Quales exemptiones certarum rerum & perſonarum à vi bellica, modum nocendi hoſtibus, modum tractandi captivos &c. Cum tamen ſiquis juſta gerat bella, ſolo Naturæ Jure ea regere poſſit, nec ullo jure ad iſtas conſvetudines, niſi ſponte ob commodum aliquod ſuum teneatur.* Reſp. Modos hoſce tantum fluere ex ea parte Jur. Gent. quæ circa amovenda incommoda occupata eſt, non circa totum J. G. Eoque II. Id ipſum prodere cõmunem ἀμεθοδίαν ac defectus Juris Gentium, quod Conſvetudines circa Bellum potiſſimam partem Juris Gentium conſtituant, cum minimam tantummodo ejus partem abſolvant, quæ de Bello agit, reſiduo interim omni eo, quod ad Statum Socialem pertinet eoq; univerſis rebus Politicis. IV. *Legatos non eſſe violandos, quod itidem unum ſit è præcipuis Jur. Gent. capitibus ex J. Nat. fluere &c. Cum enim ejusmodi perſonæ ſint neceſſariæ ad Pacem conciliandam aut ſervandam, quam ipſum Jus Naturæ omnibus modis honeſtis amplecti jubet, utiq; intelligitur etiam idem Jus caviſſe ſecuritati earum perſonarum, ſine quibus finis ab ipſo præceptus obtineri nequit.* Reſp. Legationes eſſe Juris Gentium; Vitæ Socialis enim intereſt dari perſonas, quæ nomine

Prin-

Principum ſuorum cauſam publicam agant, cum hi ipſi cuncta haut æque gerendo ſint. Sed inviolabilitatem Legatorum eſſe Juris Naturæ; Si enim nemo lædendus eſt, nec Legatos lædi oportet. Eſtq; eadem ratio in Contractibus & Dominiorum diſtinctione; Contractus ſunt Juris Gentium; At ut fides iis præſtetur, Juris Naturæ eſt, ſi enim fides ubiq; ſervanda eſt, etiam in Contractibus ſervanda eſt. Iterum Diſtinctio Dominiorum eſt Juris Gentium; At Furta, quæ non poſſunt fieri, niſi hac præſuppoſita, ſunt contra Jus Naturæ, ſi enim nemo lædendus eſt, etiam in Diſtinctione Dominiorum nemo lædi poteſt. *Moraliſtæ* reſpondent ad hujuſmodi Caſus, eos eſſe Juris Naturæ Indicative, Executive autem Juris Gentium. Vid. *Rebell. de Oblig. Juſt. Qv. II. Sect. IV.* Quod facilitandorum cõceptuum cauſa noſtrum facimus, ſed hoc ſenſu: Executive nimirum eſſe Juris Gentium, h. facienda eſſe, ſeu à Jure Gentium procedere; Indicative autem eſſe Juris Naturæ, h. dirigi & modum faciendi ab eo doceri, ne inhoneſte fiant, ne quis lædatur ab iis, &c.

---

# CAPUT III.

## *De* RATIONE STATUS.

*I. Illuſtratio Rationis Status ex Myſteriis. II. Inventio Termini ab Italis petenda. III. Significata*

*ſicata Rationis Satus : Axiomata Status à Scriptoribus Rerumpp. exhibita non ſunt Principia Rationis Status. IV. Iterata Demonſtratio limitum Amoris noſtri : Cur Bonum Publicum præferendum ſit Privato? Demonſtratio Superioritatis & Inferioritatis. V. Virtutes Romanorum Ratione Status abuſiva niſas fuiſſe.*

I.

QVod in *Sacris* ſunt *Myſteria*, id *Ratio Status* in *Politicis* eſſe videtur. *Myſteria* rationi non ſunt adverſa, ponuntur tamen ſupra eam, & Ratio noſtra ſi ad ea pertingeret, ipſi æque conformia eſſe deprehenderentur, ac illa, quæ communi ſolitaque nobis cognitione aſſequimur. Sic *Rationis Status* Principia ſe itidem habent, quæ non intelligimus, non quia ſingularia ſunt & à reliquis Principiis Politicis ſejuncta, aut iisdem ſubtiliora vel ſublimiora, ſed quia à cognitione noſtra remota ſunt, ſeu quod rationem applicationis iſtorum, quæ alias non ignoramus Principiorum cognitam non habeamus.

II.

Termino *Rationis Status* primo Italos uſos fuiſſe, in *Tacito* tamen incunabula ejus quæri meminimus. Cui addendum, in ſingulis ejuſmodi vocibus diſtingvi oportere fortuitam adhibitionem vocis & ejuſmodi in communem uſum fa-

ctam translationem. *Poſterior* nova eſſe poteſt, *priori* interim antiqva manente. Sicq; *Ratio Status* fortuito à *Tacito* uſurpata, ſed *Italos* nihilominus debita gloria hac in re manet, cum eandem primo publici uſus fecerint. Similis Qvæſtio eſt, qvam *Grotio* movent de uſu Termini *Dominii Eminentis*, objiciuntq; itidem Termino hoc jam ante eum alios uſus fuiſſe. Reſp. Non quærendum eſſe, an Terminus aliquando adhibitus fuerit, ſed an eo ipſo publici uſus eſſe cœperit, & in ſpecie an Terminus *Rationis Status*, vel *Dominii Eminentis* communi uſu receptus fuerit, antequam *Itali* vel *Grotius* eum hunc in finem adhiberent.

III.

*Ratio Status* abuſive ſignificat *fontem depravatarum Actionum noſtrarum in Vita Sociali*: Generaliter *Conformitatem, cum eo quod noſtra* intereſt: In ſpecie *Arcana Rerumpublicarum Principia*. Ea quæ in Scriptoribus Rerumpublicarum *Luca de Linda*, *Petro d'Avity*, *Sprengero*, Axiomatum, Arcanorum Status, Rationis Status nomine allegantur, vel Principia Generalia ſunt & materia Rationis Status, non ipſa Rationis Status Principia; Forma enim deeſt, quæ conſiſtit in connexione eorum cum finibus ſpecialisſimis & modo eadem cum finibus connectendi, quæ privati non poſſunt non ignorare. Vel etiam ex parte mera effecta Rationis Status ſunt: Unde licet applicationem eorum in uno alterove negocio deprehendamus, fons ipſe tamen & plena Rationis Status Notitia in abdito manet.

IV.

Digitized by Google

IV.

Quousqve Rationi Status ſeu Conformitati cum eo, quod noſtra intereſt, inhærendum ſit, ex iis quæ de limitibus Amoris noſtri præc. *Cap. II. §. XII.* tradidimus, jam patuit; Cunctas nimirum Actiones Morales in æqvilibrio pendere: Qvæ ſi nova ratione proponere licet, addimus apud homines præſupponi ſtudium æqvalitatis vi rationis & *cit. §. XII.* & *in Med. Polit. Cap. III. §. IIX.* datæ; Indeqve mox ſeqvitur, id omne qvod inæquale nobis eſt, ſeu cui ipſi nos inæquales ſumus, huc non pertinere, ſeu ad æqvalitatem nobiſcum reduci non poſſe. Ac proinde veluti actiones cum Proximo noſtro inſtitutæ ſtudium æqvalitatis exhauriunt, ſic cuncta quæ ſupra nos ſunt aliter ſpectanda veniunt; Atqve adeo *DEI Amorem non poſſumus æquare Amori vel Noſtri vel Proximi*, quia in ſtatu eminentiſſimo conſtitutus nos tanqvam ſumme inæquales reſpicit, idque qvia univerſaliſſime omnia complectitur, cum nos exigua tantum forma comprehendamur. Non diſſimilis ratio eſt, cur *Amorem Boni Publici præferri oporteat privatis noſtris commodis*, quia publicum itidem univerſaliori & ampliori quadam forma conſtat, eoq; ut ipſi cedamus exigit. Ac dn. ex eodem omnis *Superioritatis & Inferioritatis* ratio pendet, hanc namque forma minor, illam amplior & univerſalior efficit: Ideoqve *Magiſtratus* noſter nobis ſuperior eſt, quia nos minora cōplectimur, ille ampliora, & Deus quia univerſaliſſime complectitur omnia, ſupremus eſt.



Digitized by Google

V.

Ad *Impropriæ Rationis Status* ſpecimina Romanorum Virtutes *à Valerio Maximo* aliisq; tantopere jactatas reducēdas ducimus, rati, illas rarò amore honeſtatis; plerumq; verò ſingulari Ratione Status exercitas fuiſſe. Qua in re jam præiit nobis *Laur. Valla Libr. I. & II. de vero falſoqve Bono.* Ac, ne dicamus vi Sacri Principii illas impuras eſſe, cum ex fide non factæ ſint, de qvo videnda *Comp. Ethica, Rationes* noſtræ ſunt: I. Quia ex impuro fonte derivatæ ſunt, univerſum enim Romanæ potentiæ principium injuſtitia nitebatur: Qvod vidit *Carneades*, ideo ratiocinatus fuit, Juſtitiam tantum ſpeciem aliquam ad vulgus habere, nec ſolidi quicquam inſpicientibus præbere; Romanis enim ſi juſti eſſe vellent, h.e. ſi aliena reſtituerent, ad caſas fore redeundum. Non potuerunt ergo limpidi rivuli exſpectari à fonte tam turbido, neque major hic virtutum laus erit, quam ſi latronem pium, fortem, juſtum vocaverimus, ſi Deum invocet, res injuſtè ablatas ſtrenuè tueatur, aut æqualiter inter gregales prædam diſtribuat; cum mala ejus vita actus hoſce omnes è numero virtutum ponat. Sic bellum injuſtum qui ſuſcipit ac DEUM pro felice ſuccceſſu orat, ideo pius haberi nequit, cum initium, cauſa ipſius, malum ſit: Nec ſcortum ideo pium erit, ſi ſacros cœtus ſedulo frequentet, & noctu interea corpus proſtituat. II. Pleriq; laudatiſſimi certè Romanorum actus amore honeſti ſuſcepti haud

fuêre,

fuêre, ſed utilitatis, ſæpe voluptatis reſpectu. Sic *Scipionem* & *Catonem Uticenſem Valer. Maxim. Lib. II. c. III.* extollit, ex fortiſſimis vulneribus ipſorum plus gloriæ quam ſangvinis manaſſe; *Siquidem conſtantiſſimè in gladium incumbendo*, ait ad *Catonem, magnum hominibus documentum dediſti, quanto potior eſſe debeat probis dignitas ſine vita, quam vita ſine dignitate. Et vero ambo ut evitarent futuram moleſtiam cecidère; utriq; enim intelligebant, quam moleſtum eſſet futurum, quæ ſine dubio fuit animi imbecillitas, ut Cæſarem Romæ regnantem viderent, utpote amborum inimicum, ut viderent etiam non modo* Cæſarem, *ſed Cæſareanos omnes in ſumma potentia poſitos, & maximis dignitatibus affectos*; Pompejanos *verò qvorum ipſi facile principes fuerant, ut victos & captivos inſolentiam victoriæ perpeſſuros. Ideo nec* Brutus *hunc ipſum* Catonem *avunculum & ſocerum ſuum, quem optimum omnium & putavit & dixit, non probavit ſic morientem eo libro, qvem de vitâ beatâ compoſuit.* Valla Lib. III. cap. III. *Similiter* Lucretia *Dux Romanæ pudicitiæ eſt apud* Val. Max. Lib. VI. cap. I. *ſed ſola impatientia ſiniſtri rumoris interempta, quem de ſe diſſipatum iri, ſi res emanaret, eoq; priſtinum ſplendorem ſuum in fœdam fabulam converſum iri timuit: Qvemadmodum &* Tarqvinium *ideo admiſiſſe legitur, qvia dixerat cum mortua jugulatum ſervum nudum ſe poſiturum, ut in ſordido adulterio necata diceretur. Porrò* Mutius Scævola *etiam aliud qvàm honeſtatem ſecutus fuit, cū* Porſennam *interfectum in caſtra ſe conferret: Multa enim ſperare*

*poterat re bene geſta, ſiqvidem* Horatium Coclitem *ob egregium facinus præmio affectum videbat, & in ſumma gloria & benevolentia eſſe; Acceſſit anguſtia rei familiaris, fames neceſſariorum, calamitas plurimorum, qvam videre erat ipſa morte triſtius, nihil autem majori præconio tollitur, quam quod manum incredibili patientia aduſſerit; Sed ideo aduſſit, ut vitam non amitteret, ac hoſtem falleret, quod etiam factum eſt. Marcus* Attilius Regulus *jam venenum à* Carthaginenſibus, *ut quidam magni Authores tradunt, acceperat, non præſentaneū, ſed quod lente inter præcordia graſſaretur, quâ ipſe quoq; in Senatu teſtatus eſt. Itaq; cum diu ſupereſſe non poſſet, brevis vitæ detrimentum multis commodis compenſavit, vel filiæ dote vel gloria.* P*otuerunt aliæ etiam facti illius cauſæ eſſe, etiamſi venenum non bibiſſet, præter illam enim qvam alii putaverunt, qvod puderet captivum vivere. I. Eſſe poterat, ne in ſummam invidiam adduceretur, ſi propter redditos captivos vel victoriam, quæ jam erat in manibus, aut certè in ſpe omnium, deſperaret, vel bellum diutius duraret, vel* Carthaginenſes *vincerent, vel ipſe iterum caperetur: Quæ omnia cum eſſent in arbitrio fortunæ, intelligebat Regulus, ea ſe non poſſe præſtare. II. Quod tantum poterat eſſe Reguli in* Carthaginenſes *odiū, ut faſtidierit ſalutem referri acceptam* Carthaginenſibus, *de qvibus poterat majorem pœnam ſperare: Imo & hoc in dubio erat, Regulum* Carthaginem *reverſum certum ſupplicium ſubiturum fuiſſe: Cur enim vitam facilè ſperare potuiſſet, cauſa erat, quia* 

*è re*

*è re & dignitate Carthaginenſium videbatur eſſe, Regulum aut retinere incolumem, aut dono Romanis remittere, & hoſtes jam ſuperiores potius beneficio detinere, quam injuria & ignominia exacerbare: Quam infamiam ſi Regulus proſpexiſſet, domi ſuæ forte manſurus fuiſſet, & certè excuſatè manſiſſet.* Valla cit. loc. cap. VII. *Junius Brutus deniq; proprios filios occidi curavit, ipſe tamen etiam nec Reipubl. cauſa nec amore honeſti: Hærebat nempe pectori ejus in Tarqvinium Regem odium, propter quem tamdiu neceſſe habuerat agere inſanum, ut filios, qui Regem inimicum reſtituere volebant, patre expulſo ſive occiſo, non pro ſua ſed Tarqvinii ſobole exiſtimaverit, & in eos tanquam in Tyranni & inimici filios animadverterit: Qvod in id quoq; valuit, ut cæteros à ſimili conatu deterreret, quæ una via erat ad Imperii ſui conſervationem.* Valla cit. loc. cap. XVII. In quibus omnibus liquido claret, *Rationem Status Impropriam* Romanis pro fundamento *Virtutis* fuiſſe, non ſimpliciter amorem honeſti, unde & tanto cautius & legendos & allegandos ſvademus Encomiaſtas rerum Romanorum *Valer. Max. Florum*, cæterosq;, quorum ipſorum finis quoq;, ut tam faſtuosè de gente ſua ſcriberent, non erat niſi Ratio Status, nimirum ut ipſi magni eſſent apud poſteros, qui tantæ gentis tantas virtutes poſteris exhibere potuerint:

# CAPUT IV.

## De SOCIETATE.

*I. Politicæ Pars Generalis & Specialis. II. Explicatio Unionis Socialis: Cur Bruta non ſint Animalia Politica? III. Platonem non ſtatuiſſe aliam communionem Sexus fœminei, quam operarum.*

I.

POLITICÆ more aliarum Diſciplinarum Partes agnoſcendæ ſunt *Generalis* & *Specialis*. Qvemadmodum enim in *Phyſicis* Pars *Generalis* eſt, quæ de Corpore in genere agat, illaq; omnia complectitur, quæ ſingulæ Corporum ſpecies communia habent; *Specialis* autem naturam uniuscujusque corporis in ſpecie conſiderat. Sic in *Politicis* Pars *Generalis* tractat univerſa, quæ ſingulis Societatibus ſunt communia, qualia Pacta, Imperium, aliaq; Vitæ Socialis & Neceſſitatum Humanarum univerſalia Principia; *Specialis* verò ſingulas Societates ſeorſim explicat, qvidve ſingulæ peculiare habeant docet: Qvæ Scriptores Politici quia non æque curarunt, confuſam pleriq; reliqverunt Politicam, & quæ generalia erant pro re nata in ſpecialium Societatum tractatione carptim attigerunt. Videantur hac

he re Capita & Libri de Regalibus ſeu Juribus Majeſtatis, qvi magna ex parte ſui ſteriles & alienarum rerum fœcundi ſunt, non aliam ob cauſam, quam qvoniam in generalibus iſtuc non pertinentibus hærent, iisqve iſta quæ proprie & in ſpecie naturam ſingulorum concernunt, obruunt & veluti ſuffocant.

II.

*Societas* eſt *Unio plurium ad eundem finem*. Ejus potiſſimum momentum in *Unione* ſitum: Homines in Theatro converſantes, in uno loco qvidē congregati ſunt, cuncti etiam eo fine, ut ſpectaculo edendo gaudeant, non autem in Societatem coiiſſe dici poſſunt, non uniuntur enim in communi aliquo fine, ſed communis iſte finis, qvem habere videntur, à fine privato ſingulorum non differt. Cœtus ementium ac vendentium in foro itidem unum finem habet, ſed non unitur in illo fine, ſingulis ſui cauſa tantum ejus ſatagentibus. *Bruta* etiam non poſſunt dici Animalia Socialia, ſeu ut vulgo vocant P*olitica*, ſed tantum *Homiletica*, h. Converſationis amantia; Converſatio enim inter plures eſſe poteſt, ubi communio finis nulla eſt. Si inſtes: *Omnibus formicis eundem finem eſſe, proſpicere rei alimentariæ ſuæ*: Reſponſio eadem eſt: Finem unum eſſe, ſed ſine communione & unione, neq; ſufficere Unitatem generis, ſed requiri integralem, h. eam, qua partes concurrunt ad conſtituendum totum; Atque in ea etiam Unionem potiſſimum conſiſtere, h. ut non



Digitized by Google

ſibi tantum & ſeorſim proſpiciant,ſed toti Corpori, æqve ac partes conſentiunt in conſtituendum Totum. De *Apum* Republica *ſeq. Cap. VI.* docebimus eam non eſſe congregationem Reguli & Subditarum Apum, ſed maſculi & fœmellarum. De *Cauſa* Societatis naturali prolixe in Med. Politicarum Cap. IV. actum; Cujus quod ſupereſt ſingulari eidemq́ prolixiori Diſſertationi de Statu Hominis Naturali reſervamus, hinc maximam partem eorum, qvæ de Vita Sociali adhuc dici poſſunt illuſtratum iri confidimus.

III.

*Objecta* Societatis autumavimus omnia eſſe, quorum communione homini opus ſit; De *Communione Sexus fœminei* autem nihil moveri poſſe, cum hæc non juvet, ſed turbet Vitam Socialem; Neq; *communionem Platonicam* aliter intelligendam duximus, quam de Communione operarum, non Corporum. Communiter tamen illicitæ iſtius Communionis Platonem accuſant totoque Libro cum ipſo eo nomine expoſtulat *Joh. Bapt. Criſpus Libr. de Ethnic. Philoſ. caut. legend. XI. XII. XIII.* E contrario excuſat ipſum *Marſilius Ficinus Tom. II. oper. fol. 1406.* Excuſandum vero eſſe iſti à nobis jam deſignandi loci manifeſtò inferent deprompti è Libris ejus de Rep. Hos enim huic materiæ potiſſimum impendiſſe in confeſſo eſt: Primum eſt, Platonem voluiſſe communionem operarum inter viros & fœminas æqve diſtribuendam, quod agnoſcit ipſe *Criſpus cit. L. XI. fol. 372.*

&

& in *Platone* eadem leguntur *Tom. I. edit. Francof. fol. 651.* idemq́ confirmatur *fol. 654.* ubi *Platonis* verba ſunt: *Nullum eſt inter eos, qui civitatem adminiſtrant officium mulieri proprium qua mulier eſt, aut viri proprium quâ viri eſt, ſed æqve diſperſæ in animantibus utriusq́ naturæ, & omnium quidem munerum natura particeps eſt fœmina, omnium & vir, in omnibus fœmina viro imbecillior.* Inſtat *Criſpus: Platonem parum honeſte loqui, ubi Gymnaſticam viris & fœminis promiſcuam indulget*: Sed ipſe *Plato* mentem ſuam explicat: *pag. 652. Se concedere inſuper cuiq́ ut pro arbitrio adverſus hæc ambigat ſeu joco, ſeu ſerio quis addubitare voluerit, utrum in hominum natura poſſit fœmina cum maſculo in omnibus operibus communicare, vel in nullo, vel in aliquibus valeat in aliis vero nequaquam, ipſaq́ res militaris utro in genere hominum ſit.* Quod ad communionem corporum porro attinet, de eo notabilis ejus diſcurſus eſt *fol. 655. Haut arbitror dubium id cuiqvam fore, qvin utile ſit maximumqve bonum, mulieres eſſe communes, sommunes & filias,* ſi modo fieri poſſit: Quæ poſtrema clauſula notatu digna eſt, quippe qua tanqvam à conditione impoſſibili iſtam communionem ſuſpendit: Et ne vel hâc etiam ratione crudius locutus fuiſſe videatur, porro attendenda, quibus iſtam communionem fœminarum limitat & explicat *fol. 661. Se probare communionem, qvam mulieribus cum viris tribuerit qvoad diſciplinam, liberos* (ubi interpretes liberorum ſuſceptionem, ſed contra mentem

*Platonis*) *cuſtodiam aliorum civium, ut unà cum viris in civitate maneant, in bello militent, cuſtodiant unà, venentur, omnium officioruͦ omnino,* quoad fieri poteſt, *participes ſint*; *At hæc dum agunt*, inqvit porro, *optima agere illis concedis, neq; contra naturam fœminæ, qva inſtituta eſt, ut cum mare communicet*: Quæ itidem in communionem operarum recidunt: Iterum viros ac fœminas ædes & convivia communia habere quidem permittit *fol.656.* Sed mox addit: *Verum poſt hæc ſine ordine denudare inter ſe vel aliud quicquam facere, neq; ſanctum eſt in beatorum hominum civitate, neq; Magiſtratus id permittit*. Moxq; generoſos viros & generoſas fœminas nuptiis copulari jubet *fol. eod. Oportet profecto*, inquit, *ſecundum ea, quæ ſupra conceſſimus optimos viros mulieribus optimis utplurimum conjungi*: Sed modum paulò ante præmiſerat: *Conſtat utiq; qvod nuptias deinceps*, quoad fieri poteſt, *ſacras inſtituemus*: Objicit *Criſpus*: *Ipſum Juvenibus fortibus pleniorem concumbendi licentiam permittere*: Reſp. Inde tamen non promiſcuam communionem ſeqvi, ſed tantum concubinas plures, qvæ res veteri *Græciæ* non inſolita erat, ducendi licentiam quo ſenſu paulò ante *fol. 637.* dixit: *Numerum nuptiarum arbitrio Principum ſe concedere*, h. ut *vel plures vel pauciores uni aſſociet fœminas*. Objicit porrò *Criſpus*: *Platonem mulieri generationi jam aptæ permittere unicuiq; copulari.* Reſp. Concedi, ſed eo ſenſu, qvo hodienum omnia conjugia licita & libera ſunt, adeo ut nõ tam promiſcuã

con-

Digitized by Google

concubitus licentiam qvàm facultatem liberè nubendi Plato hic intellexerit: Sicqve porrò *fol. 658. Parentum & filiorum diſcrimen prodit, non à promiſcuo concubitu aſſumptum, ſed ab amatoria neceſſitate uti* iterum loquitur *fol. 656. inſtitutum, ut dum in communione arctiori animorum ſint in Republ. Seniores, Parentes & Avos, Juniores, filios, Nepotes appellari oporteat.*

# CAPUT V.

## De
# PACTIS.

*I. Ratio Ordinis. II. Pacta ſunt Juris Gentium. III. Cur Pacta priora derogent poſterioribus? Cur Specialia Generalibus? An Jus Agnationis Pacto tolli qveat. IV. Pacta rerum illicitarum invalida; Etiam Juramento addito: Pacta ob cauſam illicitam inita effectu Juris non carent. V. An ob non ſervatum Pactum illicitum mendacii arguendi ſimus? In quo natura mendacii conſiſtat? An Latroni perſeqventi Innocentem indicare teneamur, ſi ille nos interroget? VI. Quid factu opus ſit, ſi res promiſſæ initio poſſibiles, poſt impoſſibiles reddantur? VII. Pacta Errantium: Quid ſentiendum de Pacto Iſraelitarum cum Gibeoni-*

*beonitis? VIII. Juramentorum gravitas ex Jacob. V. Cur ex intentione deferentis æſtimanda? Requiruntur ſine Reſervatis mentalibus eſſe: Non ultra receptum loqvendi modum extendenda: Conſideratio Juramenti Iſraelitarum adverſus Benjaminitas, Davidis adverſus Nabalem: Juramenta in animam alterius concepta cur valida ſint? Rituum adbibitorum ratio: Quid Abjurationes? Quid Conjurationes? De Jure Principum remittendi effectum Juramentorum.*

I.

V*itam Socialem* ex ratiociniis *indigentiæ* noſtræ natam eſſe in confeſſo eſt. *Jus* noſtrum eſt *Objectum* ejus, h. id quod naturæ noſtræ congruit; Illique incumbimus vel in communionem, dum perſonis indigemus, vel extra communionem, quando rebus aliis, non perſonis egemus. Indigentia Perſonarum Societatem, Rerum *Pacta* produxit. Rurſus *Juri noſtro* incumbimus vel exercitio *facultatis propriæ*, vel acceſſione *aliena*. Hæc in *Pactis*, iſta in *Imperio* conſiſtit. Dixeris *Pacta enim media Societatis ineunda*; Nulla enim Societas eſt, qvin Pactum præſupponat, h. *translationem Juris mutuam*, ut ſinguli Jura ſua transferant in Societatem, Societas rurſum deſiderata commoda præbeat. Ut proinde multis nominibus Pactorum conſideratio hic loci attendenda ſit.



Digitized by Google

## II.

*Pacta* qvi ſunt *Tranſlationes Juris mutuæ*, *Juris Gentium ſunt*; Præſupponunt enim ratiocinia indigentiæ & commodorum noſtrorum. Ac *Juris Naturæ* quidem eſt, ut iis fides ſervetur; Sed quia inter objecta ſervandæ fidei ſunt: Unde Juris Naturæ ideo eſſe dici non poſſunt; Id enim propriæ Juris Naturæ eſt, qvod ex eo fluit, non circa qvod verſatur. Veluti & Juris Gentium ea tantum ſunt, qvæ ex eo derivantur. Vid. præced. *Cap. II. §. X.* Moraliſtæ reſpondent *Indicative* eſſe Juris Naturæ; *Executive* Juris Gentium, de qva diſtinctione itidem dictum *cit. Cap. II.*

## III.

Rurſus Pacta qvia Translationem involvunt, *rem noſtram* præſupponunt: Qvod noſtrum non eſt, transferre non poſſumus. Pactum *prius derogat poſteriori*, qvia quod priori contulimus, noſtrum non amplius manſit. Sicque *Creditores* priores derogant poſterioribus, quia debitor jus ſuum in priores iſtos jam tranſtulerat, eoque arbiter ejus amplius non erat, ut ad ſe revocaret & alii traderet. *Cur Pacta Specialia ſoleant* efficatiora eſſe *Generalibus*, in eadem ratione claret, quia Specialia Jus noſtrum diſtinctim transferunt, Generalia vero tantum confuſe: Quo ſenſu & *Grotii* rationem ad hoc quæſitum accipimus aliàs obſcuriuſculam, quia nimirum magis peculiaria ſint & ad rem propius accedant. Q. *An Jus Agnationis pacto tolli queat? Negat* Duarenus ex eodem capite;

capite; Eſt enim neceſſaria & naturalis hæc conjunctio, qvæ ex voluntate arbitrioque noſtro non pendet. Inſt. *Eſavum Jus Primogenituræ vendidiſſe, quod æqve Naturale erat, nec transferri poterat.* R. Naturalem conditionem ſuam *Eſavum* retinuiſſe; At morales reſpectus Juraque inde manantia ſublata fuiſſe.

IV.

*Impoſſibilia* paciſci non poſſumus, quia itidem transferri non poſſint: Neque tantum *naturaliter* ſed etiam *moraliter Impoſſibilia* hic comprehenduntur. *Naturaliter Impoſſibilia* ſunt, quæ fieri non poſſunt, *Moraliter Impoſſibilia*, quæ fieri non licet. Pacta *Scortationis*, Homicidii nulla ſunt, non ſunt enim in poteſtate noſtra. Nec Pactorum cum *Latrone* de vita redimenda ſimilibusve aliqua obligatio, Latro enim nos vitam noſtram à ſe paciſci cogebat, quam in poteſtate ſua non habebat. Nec valent, licet *Juramento* confirmata ſint, ut in honorem Divini Numinis ea ſervare velimus. Reverentiam Dei enim nulli rei obtendere poſſumus, quam ei quæ Deo probata ſit, non delicto morali, cum in contemptum Dei cedat. Sic *Herodes* vi Juramenti ſaltanti Herodiati caput Johannis dedit; Et tamen nemo eſt, qui actum hunc probare poſſit, niſi innocentem in honorem Divini Numinis nos occidere poſſe credamus. Pactorum ob cauſam illicitam initorum eadem ratio: Effectu juris tamen non carere cenſentur: Non ut præmii inſtar ſit; Rei malæ enim non poteſt

teſt eſſe præmium, quia præmium præſupponit meritum eoque Jus poſcendi rem factis noſtris æqvivalentem; Jus poſcendi vero hic nullum eſt: Sed ut eo magis gravetur Promiſſor pacti. Quia enim arbitrum utriusque partis Pacti ſe conſtituerat & partem priorem ejus concubitus, cædis, quæ moraliter impoſſibilis erat, jam effectam dederat, partem poſteriorem quippe leviorem & poſſibilem defugere non poteſt: *Navarrus* autumat *propter materiale h. voluptatem, laborem &c. quæ in actionibus ejusmodi occurrunt mercedem peti, non propter formale.* R. Diſcrimini in reipſa locum non eſſe; Actus deſignatus enim manet homicidium, ſcortatio; Neque unquam meretrix aut homicida materialiter tantum peccaſſe dici poſſunt.

V.

Q. *Annon in Pactis cum Latrone aliisve hujus generis mendacii ſaltim arguendi ſimus?* N. Mendacia enim veluti omnia Delicta moralia Jus alicujus lædunt; At in ejusmodi *actibus nullius Jus læditur*: Non Dei, qui injuſte nos gravari & invitos verba facere novit; Unde nec verba illa pro veris & ſignificativis, ſed tantummodo pro materialibus verborum, h. ſonis ſine ſenſu habenda: Nec *hominis* jus læditur, cum latrone enim ante vim illatam nihil nobis erat negocii, eoque læſionem Juris ſui qveri non poteſt. E quo Reſponſo & ſimiles caſus dijudicandos opinamur: *Ut ſi Latro Innocentem perſequatur, & nos fugæ ejus probe conſcios*

*ſcios interroget, annon hac iverit?* Si enim *affirmemus*, periclitatur innocens; Si *negamus*, mendacium nos committere metuendum eſt. Reſp. Mendacium nullum eſſe, quia nec ille jus qværendi, nec nos obligationem reſpondendi habemus, unde nec, ſi ſecus, ac ille dici vellet, reſpondeamus, Jus ſuum læſum eſſe qveri poteſt. *Scriptorum Catholicorum* aliqvi hunc caſum ad confirmandas *Æqvivocationes* trahere ſolent; Sed Æqvivocationes ſi adhibeantur, ubi ſuperior aut alius quicunqve, qvi jus interrogandi habet, nos interrogat, mendacia ſunt. Jus interrogantis enim lædunt; Neq; ſenſus verborum etiam aliter, ac in Juramentis aliàs, accipi poteſt, h. ex intentione deferentis. Si adhibeantur, ubi interroganti nullum jus eſt, ſunt qvidem Æqvivocationes, ſed mere materialia verborum, ac ſoni ſine forma.

VI.

Q. *Quid in iis, qui initio cum paciſceremur poſſibilia erant, poſt autem impoſſibilia reddantur, facto opus ſit?* Sic enim Princeps vi Pacti ſublimioris, qvod inter ipſum & ſubditum intercedit, urgere poſſe videtur actus contra conſcientiam, mutationem Religionis & his ſimilia, quæ moraliter impoſſibilia ſunt & tamen ſubditus ſæpe numerò ad facienda ea adigitur. Similiter obærati dum debita ſolvendo non ſunt, impoſſibilibus obligantur. Quod enim à Creditoribus in illos ſemel tranſiit, id obligatione perpetuâ hos iis adſtringit.

ſtringit. *Reſpondemus* cæteris paribus ſufficere in ejuſmodi caſibus ſummum conatum explendi, atque adeo ſi Princeps contra conſcientiam aliquid jubeat, ut pactum ſublimius ſubditorũ ideò rumpamus, frugi ſubditum non decebit. Summum conatum igitur explendi Principis mandata teſtabimur, h. ut ſi ipſi rei præſtandæ non ſubmittamur, l. *actu poſitivô* pareamus, ſaltem pareamus *actu negativô*, & nihil contra Principem eapropter ſuſcipiamus. In obæratis ſimilis ratio eſt, & ſi citra culpam ſuam graventur debitis, humanitatis erit in accepta parte debitorum acquieſcere, eoq́ ſummum conatum ſolvendi debita acceptare; Qvod tamen in decoctoribus ſecus eſt. Hi enim culpâ ſua' ſe onerari paſſi ſunt, in eosque quadrat tunc non ignotum illud: *Qui non habet in ære, luat in corpore*.

VII.

Pacta *Errantium* invalida ſunt; Paciſcentes enim conſentiunt in rem, qvæ vere non exiſtit. Secus eſt ſi circa rem errent, tunc enim non rem adeo qvam modum ejus noluiſſe cenſendi ſunt. *Cathaginenſium* cum *Romanis* de deditione pactum nullum erat; Autumaverant enim Urbem ſuam liberam fore, cum *Romani Carthaginem* quidem, ſed civitatem, non urbem liberam fore intellexiſſent, eoque iniquitatis Romanos merito accuſarunt. Et *Antonius Gravellanus* malæ fidei non abs re accuſatur, qui *Illuſtriſſimo Haſſiæ Principi* cavillatoria unius literæ captione, Er ſoll nicht mit eini-

ger Gefängnüß beleget werden / illuſit, eoque conſilii de retinendo eo autor fuit. Vid. *Thuan. L. LXXXIV.* At *Iſraelitarum* Pactum cum *Gibeonitis* in claſſem hanc compingi neqvit: Non tantum enim ad errorem Subſtantialium requiritur, ut ea qvæ paciſcimur ignoremus, ſed etiam ut ea ſcire non potuerimus. At *Gibeonitarum* conditionem ſcire potuiſſent vel ex diuturniori converſatione, vel etiam ſi DEum conſuluiſſent, cujus neglectus qvoqve inculpantur *Jud. IX. 14. Accepiſſe reſidua ex viatico eorum & os Domini non conſuluiſſe.* Itaq; remur Pacto huic in ſe qvidem robur nullum futurum fuiſſe; Erat enim ex mandato Divino illicitum; Ex eo capite tamen, qvo pacta ob cauſam illicitam inita, robur accepiſſe, ut *qvia Iſraelitæ* rei gravioris, qvæqve in poteſtate ipſorum non erat, ſe arbitros conſtituerant, Jus Fœderum nimirum inconſulto DEO uſurpandi, etiam leviorem admitterent, eoqve *Gibeonitas* intra Remp. ſuam ferrent. Quanquam nec ſimpliciter univerſos Cananæos ſimul deleri voluiſſe DEUS videatur, ſed tantummodo ut deſinerent populi ac Respublicæ eſſe: Ideo magnam partem eorum ſupereſſe paſſus fuit, ut tributarii eſſent Iſraelitarum, eorumque ex parte conſtantiam exercerent Sicque *Gibeonitæ* ſalva ſubſtantia pacti ſervitutis perpetuæ *à Joſua* damnari poterant; *Iſraelitæ* enim non æqvalitatem jurium, ſed vitam tantummodo & pacem cum iis pacti fuerant.

IIX. Pi-

## IIX.

*Pignora, Hypothecæ Fidejuſſiones* adhibentur in certitudinem ſervandorũ eorum quæ polliciti fueramus. *Juramenta* eodem in loco habenda; Sunt enim inſtar pignorum, quibus Salutem noſtram oppignoramus, niſi promiſſorum memores ſimus: *Forma* eorum conſiſtit in *Nominis Divini invocatione*, ut Deus teſtis ſit, aut vindex, ſi pejeretur, *Jac. V.* 12. prohiberi videntur: Quem locum *Grotius* de Juramentis promiſſoriis futuri incerti accipit, non de aſſertoriis: Nos ſimplicius accipiendum ducimus, eo, qvo multa Moralia accipi ſolent, h. ſenſu comparato. Securius nos acturos, ſi non juremus; De Deo enim nunquam ſatis reverenter loqvi aut cogitare poſſumus, quod non fit, ſi humanis noſtris negociis licet veris ſine Diſcrimine Juramenta admiſceri patiamur, cum ſæpe indigniora ſint, quam qvibus mentio Divini Nominis addatur. Huncque ſenſum & ratio à *Jacobo* addita infert, ideo jurandum non eſſe, ne hypocriſeos rei fiamus; Sacra enim & Divina actionibus vulgaribus quibuscunque prætexere non piorum; ſed hypocritarum eſt. Ex *intentione Deferentis* æſtimanda ſunt, qvia hujus potius, non jurantis cauſa ſuſcipiũtur. Et generaliter *Reſervatis mentalibus* aut alii ſenſui quam verba præ ſe ferunt, vel controverſiæ negocium exigit, locum non relinqvunt, cum Divinæ Majeſtati ita illudatur, quam aliter ore invocamus, aliter animo reſpicimus, & fine ſuo judicia excidant,

qui eſt, ut cauſæ veritas detegatur. Cônf. *præc.§.V.* Non tamen ultra receptum loquendi morem extendenda eſt Juramentorum ſignificatio, h. eo *ſenſu* accipienda ſunt, qvo communiter verba accipi ſolent. *Grotius* ad exemplum *Iſraelitarum Jud. XXI.* hæc applicat, qui juraverant, ſe *filias Benjaminitis* in matrimonium non daturos, at raptas cum raptoribus vivere permittebant; Nam aliud eſſe dare, aliud amiſſum non repetere. Sed Formulæ Juramento conceptæ mens ſine dubio illa erat, qvam communiter verba talia præ ſe ferunt, ne qva communio conjugalis inter Benjaminitas & reliquas Tribus eſſet: Igitur raptus titulo Juramento nihil decedere potuit. Ac licet DEum Iſraelitis benigne ignoviſſe dubitandum non ſit, ſine temeritatis tamen aut præcipitantiæ nota hac in re non fuerunt; Niſi hoc pro iis allegari poſſit, *Juramenta intelligenda eſſe manente eodem rerum ſtatu.* Inter *Iſraelitas* & *Benjaminitas* tunc Status Belli erat; Statu Pacis ſecuto, licet initio tenori verborum inhæſuri eſſe videri voluerint, non dubitamus tamen, quin ſecutis ſeculis conjugia veteri more inter eos promiſcue coaluerint. Eodem modo legimus *Davidem* juraſſe *1. Sam. XXV.* Se injuriam à *Nabale* ſibi illatam excidio totius familiæ ejus vindicaturum, cui tamen pepercit; Repulſam munerum enim qvam tulerat, *Abigeal* copioſa oblatione eorundem explevit, adeoque ſtatum rerum mutavit. Juramenta in animam alterius concepta itidem valida

ſunt;

ſunt; Mandatarius enim qvod noſtrum eſt, nobis conſentientibus aliis oppignorare poteſt. *Rituum* intervenientium ratio eſt, ut magnitudinis rei à nobis faciendæ admoneamur: Sic Evangelia oſculantur apud *Anglos*, apud *Ruſſos* Crucem, in *Germania* Digitos erigunt. *Abjurationes* eodem loco habendæ, qvo Juramenta, videnturqve nihil aliud eſſe qvam Juramenta de rebus non faciendis. De *Abjurationibus Magicis Medit.* Pol. *hoc Cap.* dictum: Cui addimus, Deum ideo effectum hunc permittere, qvia homo ejusmodi Deum abjurans hoſtis eſt, in qvem quidvis licet, & hoſtem eſſe inde evidens eſt, qvod homo is ſe à Deo non dependere profiteatur, quod Creatura nulla facere poteſt, nec in poteſtate noſtra ſitum eſt Creatorem abjicere, atque adeo hoc ipſo Deum ſe ſuperiorem eſſe non vult; Jam verò ſubditus Principem ſuũ ſuperiorem eſſe negans, rebellis & hoſtis eſt: Ergo & Magus ejusmodi. *Conjurationes* paulum alio in loco habendæ, cum licet effectus in iis habeatur prorſus idem, qui in juramentis eſt, Juramenta tamen non ſint, quia non à nobis ſed ab aliis proficiſcuntur: In genere Conjurationes hæ ſunt modi deferendi Juramentum & valor earum ex capacitate perſonæ Juramentum deferentis, vel rei de qva jurandum eſt, æſtimandus. Sic *Chriſtus* adjuranti Pontifici M. candidè reſpondit, Jus deferendi Juramentum enim ille habebat. Conjurationum formulæ vulgò propoſitæ communiter nullæ ſunt, proficiſcuntur enim à perſo-

pis Jus Juramenta exigendi nullum habentibus, & verſantur circa tales res, qvas fieri ordinariè non poſſe credimus: Modus tamen explicandi easdem ille eſt, quem ante diximus, ut ſi *ignis conjuretur*, intentio ſit, ſiqvidem ignis ſe DEI creaturam agnoſcat, cedat, vel tale quid admittat, aut ſ. De *Jure Principum ſuſpendendi effectum Juramentorum, vel remittendi Juramenta* Puffendorfius ſentit, ejus hanc rationem eſſe, quod Juramentum præſupponatur circa res ejuſmodi conceptum fuiſſe, qvæ ſubſint directioni alterius. Jamq; ſi diſpenſetur in Juramento, id ideo fieri, quod is qui habet in alterius actiones & res Imperium, id reſcindere poſſit, quod in ſui præjudicium ab inferiori factum ſit: Deinde quod idem, qui in aliquem habet Imperium, poſſit ſubjecti etiam quæſita jura magisque adhuc quærenda circumſcribere; prout ex uſu eſſe videtur. Itaq; ubi juratum fuerit ſuper rebus & actionibus, quæ directioni ſuperioris ſubſunt, Juramentum à conſenſu expreſſo aut tacito ſuperioris vim mutuari, qui illud irritum declarare poſſit, ubi idem ipſi diſplicuerit, nec ullum hic perjurii periculum eſſe metuendum, ſi hoc modo reſciſſum fuerit jusjurandum; A ſubjecto enim approbationem ſuperioris tanquam conditionem fuiſſe præſuppoſitam: Ideo & *Cap. XIX. X. de Jurejur.* dici in Jurejurando debere intelligi *Jus ſuperioris* exceptum. Cui addimus, ut dubitanti conſcientiæ tanto magis ſatisfiat, *Diſpenſationem* circa Juramenta non tollere

Jura-

Digitized by Google

Juramenta ipſa, ſed tantummodo declarare actū talem obligatione iſta, cui Juramentum robur addiderat, non comprehendi, Conf. *Medit. Polit. Cap. II. §. XII.* De Jure Principis hac in re etiam ne porro dubitetur, ex Moraliſtis aſſumimus, qvod de *Potifice M.* ajunt circa jus hoc, ipſum auctoritate Divina id exercere. Manifeſtum enim eſt Deum poſſe hanc poteſtatem concedere, inprimis quia non poſſumus Deum ipſum adire, ut diſpenſet. Non enim gubernamur amplius ordinarie immediatis Dei conceſſionibus vel revelationibus; Pertinuit ergo ad ſvavem Dei providentiam, ut hanc poteſtatem vicario ſuo relinqveret. Ita *Diana Tom. III. Reſol. Moral. Tract. II. de Diſpenſ. Reſol. II. §. 3.* Ac proinde quia Principes noſtri certiſſime Divinæ poteſtatis vicarii ſunt, ab iisdem etiam diſpenſatio peti poterit.

---

# CAPUT VI.

## De IMPERIO.

*I. Imperium Perſonarum Illuſtrium in ſe ipſas. II. Regnum Aqvilæ ac Leonis inter Bruta: Apum Regulus non eſt Rex, ſed Mas. III. Imperii Muliebris incommoda ex Joh. Kennethi Oratione: De Diſputatione, Mulieres non eſſe homines. IV. Cur loca Deſerta ſint pri-*

*mi occupantis? V. Imperii maritimi argumenta, Jus exigendi præſtationes navium, Jus Portuum, Jus probibendi tranſitum per mare, Jus exigendi Demiſſionem Velorum: Articulus IV. Pacis Anglo-Belgicæ. An mare aliquando reluctetur Theſaurorum exportationi? Quid de Mumiarum exportatione ſentiendum? VI. Feras, Aves, Piſces eſſe Reipublicæ. VII. Priſcæ communionis rerum brevis conſideratio.*

I.

HOmines in Vita Sociali Imperium aliquando in ſe ipſos exercent, inprimis Perſonæ *Illuſtres*, ſi ſummo Imperio in Rep. & ditionibus eidem ſubordinatis ſimul potiantur: Etenim quia reſpectus Moralis alter altero dignior eſt, digniori locus relinqvendus, alteri autem cedendum eſt: Qui reſpectus ſi in diverſas perſonas ſingulares caderent, easdem Imperio & Subjectione diſtinctas efficerēt. Unde dum in una perſona conjunguntur, eandem in geminas quaſi perſonas morales diſtingvunt, ſicq; velut aliam à ſeipſa reddunt.

II.

*Imperium Brutorum* proprie nullum eſt, quia & ratione & vita Sociali deſtituuntur. *Aqvilarum, Leonum* Imperium univerſale in cætera animalia Metaphoricum eſt, nec denotat, niſi excellentiam robo-

Digitized by Google

roboris, qva alia Bruta antecellunt. Particulare apud *Apes* aliaque animalia gregalia Imperium in alia ſui generis ſuique cœtus non in alio videtur verſari, quam Signorum editione, eoqve non Imperium adeo eſt, quam ſignis edita excitatio gregalium ad uniuſcujusque bonum privatum; Qualis inter homines etiam eſt Signorum editio ad conventum vel aliud quidpiam indicendum, ſine Imperio ejus tamen, qvi Signum edit. In ſpecie de *Apibus* ſentimus, earum Regulum, non Ducem ſed Marem eſſe totius cœtus: Qvod vel inde ſuſpicari licebit, quod communiter apes credantur ſexu carere; Si enim omnes æqve deprehendantur pariendi facultate inſtructæ, jam nullus ipſis ſexus erit, quod certe naturæ animalium omnium repugnat, & tamen admittendum erit, niſi Ducem pro Mare habeamus. Vid. hac de re *Aldrovand. de Inſect. Lib. I. cap. I. pag. 45. 46. 49.* Idemque veteres jam ſupicati fuere: Cui argumento eſt non obſcura iſta *Plinii* narratio *Lib. XI. cap. XVI. Apum coitus viſus eſt nusquam. Plures exiſtimavere, oportere confici floribus compoſitis apte atq; utiliter. Aliqui coitu unius, qui Rex in quoq; appellatur examine. Hunc eſſe ſolum marem, præcipua magnitudine ne fatiſcat. Ideo fœtum ſine eo non edi, apesq; reliquas tanquam Marem fœminas comitari, non tanquam Ducem.* Cui mox ſubjicit: *Quam probabilem aliàs ſententiam fucorum proventus coarguit. Quæ enim ratio ut idem coitus alios perfectos, imperfectos generet alios &c.* Sic probabilem

bilem ſententiam vocat *Plinius*: Neque difficile eſſe autumamus reſponderi ſcrupulo ab eo moto; Ea enim ratio, qua in aliis animalibus fœtus modo perfecti, modo imperfecti generantur, variæ etiam in Apibus generationis cauſa eſt. Sic in ipſo humano genere non tantum perfecti homines, ſed monſtra ſæpe & molæ etiam naſcuntur. Quid mirum ergo, ſi in parvulo Inſectorum genere etiam imperfecta ſæpe generatio ſit: Ne quid amplius ex natura Inſectorum allegemus, qva compertum eſt omnia nō tantum univoca, ſed etiam æquivoca generatione naſci. *Fuci* ergo & *œſtri* etiam ſic generari poſſunt.

III.

Capacitati *Imperii Fœminei* aſſerendæ ſatis eſt Fœminas homines eſſe, rationis uſu donatas, adeoq; Imperio non prorſus excludi poſſe; At in comparatione cum ſexu maſculino ei cedunt ob incommoda ſexus majora: Unde nec Regimini Publico admoventur, niſi deficiente meliori ſexu. Quantoque iis ad gubernandum obſtaculo ſint ſexus incōmoda graviter expreſſit *Kennedus Archi-Epiſcopus S. Andreæ in Scotia, Oratione*, qva tutelam *Mariæ Reginæ Scotiæ è Gallia* oriundæ in *Jacobū III. Septennem* adhuc puerum, concedendam Proceribus diſſvadet, apud *Buchanan. Rer. Scot L. XII. Legem Kennethi Regis ante qvingentos amplius annos latam, & in univerſum priſcos Scotos adeo fuiſſe à cura publica mulieribus mandanda alienos, ut ſi rerum vocabula omnium excutias, ne muliebris quidem*

*dem Imperii nomen apud eos reperias: quorſum enim ei rei nomen impoſuiſſent, cujus ipſi nullum penitus uſum habuiſſent, nec impoſterum ullum fore ſperabant: Quas enim Reginas,* inqvit, *alio ſuo quisque ſermone, nos Regum Uxores appellamus, nec altioris faſtigii nomen ullum in eis agnoſcimus. Voluerunt enim opinor Viri prudentes, ut illa quoties mentionem ſui fieri audirent, ex adjuncto Viri nomine ſe viris obnoxias eſſe meminiſſent. Saxones etiam, pergit, ob unius Edelburgæ ſcelus, Lege caverunt, ne ulla deinceps Regis Uxor Regina vocaretur, aut in ſede honoris in publico Regi aſſideret.* Porro *naturam ab initio non tantum Viros à fœminis animi corporisq́ viribus diſcreviſſe, ſed ſua cuiq; ſexui munia, ſuas virtutes, genere quidem easdem, gradu vero longè diverſas attribuiſſe. Nam non magis indecorum fœmina jus dicere, delectum habere, exercitum ducere, ſignum pugnæ proponere, quam Viro lanam, colum, telam, cæteraq; muliebris infirmitatis tractare miniſteria: quæ in Viris liberalitas, fortitudo, ſeveritas, in muliere profuſionem, veſaniam, crudelitatem habere: Contra quod in fœmina elegans, come, venuſtum, in Viris fractum, elumbe, putidum judicari. Non oppugnare Reginæ dignitatem, qui cupiat, ut ipſa ultro ſibi præſcribat metas, quas natura ſtatuerit, ſexus poſtulet, conſvetudo affirmet: E contrario, qui ſui eam obliviſci jubeant, eos ordinem rerum à DEO, inſtitutum & uſu receptum perturbandum ſvadere, gravesqve non hominibus, ſed DEO, Legum ſuarum vindici, exſoluturos pœnas. Nam ſi mortem Lex Divina minetur viro muliebrem, aut*

*mulie-*

*mulieri virilem veſtem induenti, quod ſupplicium ſatis pro magnitudine ſceleris grave eis irrogabitur, qui adulatione præpoſtera totam naturæ vim, & perpetuam DEI conſtitutionem evertant. Dicam igitur,* ait porro ad Reginam, *Regina Clariſſima, iſti non te, ſed tuam fortunam alloqvuntur, & dum Reginam cogitant, eandem quoq; fœminam eſſe obliviſci videntur. Cum fœminam dico, (ne quis contumelioſe dictum id interpretetur) hominem dico, cui natura complurima dederit blandimenta, & indulgentia ſua munera, nonnulla etiam admiſcuit, ut pulcherrimis quoq; & pretioſiſſimis rebus ſolita eſt, infirmitatis incommoda: Ideoq; non ſui protegendi ſatis potentem, in aliena voluit eſſe cuſtodia, adeoq; in alios Imperiũ non dedit, ut leges naturam imitatæ in perpetua parentum, fratrum, maritorum tutela fœminas eſſe juſſerint; Neq; hoc ad earum excogitatum eſt ignominiam, ſed infirmitati inventum remedium. Nam cum eas negociis, quibus impares ſunt, arcet, beneficium eſt conſulentis pudori, non honori detrectantis contumelia. Nunquam ab hoc ſexu,* inquit iterum, *animi magnitudo poſtulata eſt: habent certè fœminæ ſuas virtutes, ſed hæc de qua loquor, inter viriles non muliebres ſemper connumerata eſt; deinde quo magis ob naturæ imbecillitatem animorum motibus ſunt obnoxiæ, eo, quoties Legum frena licentia perruperit, longius progrediuntur, difficilius revocantur, ad modeſtiam vix unquam redeunt, quippe morborum & remediorum juxta impatientes. Quod ſi quæ inter eas fortiores videntur, eo ſunt magis periculoſæ, quod vehementiores habent impetus, & quæ tædio ſexus*

*fœmi-*

Digitized by Google

*fœminam ſemel exuerunt, etiam ultra curas viriles licentiam extendere volunt. Nam ubi modum finemque à natura poſitum ſemel tranſieris, quicquid ultra eſt, infinitum eſt nullo cupiendi aut audendi tibi relicto termino. Ad hanc etiam naturæ infirmitatem accedit, quod quantò quisq; minorem ſui habet fiduciam, tantò facilius aliorum dicta & facta ad ſuam contumeliam accipit, vehementius iraſcitur, ægrius pacatur, immoderatius vindictam exercet, & velut contemptum ſui ulciſcitur.* Denique concludit, *tuliſſe quidem in ſummo honoris gradu nationes quaſdam fœminas*, non illas quidem judicio & ſuffragiis electas, ſed ſorte naſcandi oblatas, *nullum tamen unquam populum cum liberè eſſent ſuffragia & virorum quantulacunque copia, ſibi fœminas præfeciſſe.* Diſſertatio vulgo non ignota, *Mulieres non eſſe homines*, in fine præcedentis Seculi edita, non ſerio ſcripta eſt, ſed ad imitationem argumentorum *Socinianorum c. Deitatem Servatoris*, nec aliis argumentis autor utitur, quam iis tantum, quæ Sociniani adhibent, ut in tam claro & ipſis ſenſibus contrario themate imbecillitatem argumentorum *Socinianorum* oſtenderet, ideo & profitetur initio ſcripti ſui, ſibi *vitio verti non poſſe, ſi credat mulieres non eſſe homines, cum in* Sarmatia *liberum ſit credere Servatorem non eſſe Deum. Atq; ſi tolerentur ibi, qui blaſphemant Creatorem, ſe exilium aut ſupplicium timere non poſſe, qui ſimpliciter tantum convicietur creaturam.* Autor fuit *Valens Acidalius* Med. D. in Sileſia. Liber primo excuſus

*Serve-*

*Serveſta ap. Bonavent. Schmid. Jus Canonicum* utique diſerte & prolixè ſcribit mulierem non eſſe factā ad imaginē DEI *C. XIII. Cauſ. XXXIII. Q. V.* Et *Agrippa* non auſus ipſi cōtradicere ſcribit *intelligi corpoream Chriſti ſimilitudinem; Chriſtum enim virū fuiſſe, L. de præſt. Sex. Fœm.* Sed hæc ad menda iſta referentur, quibus alias *Decretum* abundare deprehenditur, vel etiam non intellectum hic dicimus *Paulum à Gratiano*, qvod ipſi ſæpe uſu venire exprobrat *Covarruv. Can. IV. Reſol. XII. XIII. XIV.*

IV.

Hæc ad *Subjecta* Imperii. Ad *Objecta* pertinebunt *Loca Deſerta*, quæ ſecundum vulgare *Axioma primi occupantis ſunt.* Ratio eſt, quia loca hæc extra uſum omnium, & conſequenter extra Imperiium eorundem ante poſita fuerant, eoque veluti non eſſent, habita erant: Statim vero atq; acceſſit, qui in uſum ſuum eadem accipere potuit, eo ipſo Imperium in loca talia accepit. Imperium enim in res uſus earundem eſt. Alii verò nihil Imperii hujus poſt affectare poſſunt; Qvam enim rem uſui ſuo non eſſe cenſuerant, & conſequenter extra Imperium ſuum poſuerant, eoque pro non exiſtenti habuerant, eam alii, qvi & eſſe & uſui ſibi eſſe, animadvertit, ſubducere neqveunt. *An locum Deſertum in Rep. eadem inſcia occupare liceat expendimus, Cap. XII. §. II.*

V.

Imperium *Maris* confirmant ſingularia jura Majeſtatis & Rerumpublicarum, qvæ in mari ab

iis

iis exercentur, ſine dubio in teſtimonium ipſarum in Mare Imperii. Talia ſunt Jus exigendi *præſtationes* ſ. *angarias* navium, ut nautæ exteri cogantur naves ſuas Reip. commodare ad exeqvenda ejus Conſilia, qvod in Imperio *Turcico* cumprimis ſingulare eſt. Simile Jus eſt Jus *Portuum*, & in eô Jus prohibendi vim hoſtilem in portu, quod noſtro tempore exercitum à Rege *Daniæ* An. MDCLXV. cum claſſem *Belgicam* ex *Indiâ Orientali* reducem in portu *Bergenſi* contra imminentem ipſi Claſſem *Anglicam* defenderet. Quæ quidem cauſa tunc extitit ſimultatum inter *Anglos* & *Danos* uſqve ad An. MDCLXVII. gliſcentium, ratione tamen non caruit. Penes qvem enim dominium loci, penes eundem eſt Jus prohibendi turbas in iſto loco: Perſequentibus *Anglis* tamen etiam actus iſte ſeqvendi vitio verti nō poterat, cum in hoſtem qvidvis liceat; Ubivis etiam, niſi tertius intercedat, cujus interſit, ne actio hoſtilis exerceatur. Sic *Archithalaſſus* Belgarum *Trompius* quoqve An. MDCXXXIX. Claſſem *Hiſpanorum* in portu *Duynenſi Angliæ* inſectatus fuit, cauſa tunc pro illo eâdem pugnante. *Jus prohibendi tranſitum per Mare huc quoq; pertinet:* Etſi enim impediri neqveat, qvo minus Gentes mutua commercia colant, noſtra tamen intereſt, ac proinde prohiberi poteſt, Cōmercia per ditiones noſtras fieri, æqve ac nemo impedire poteſt, ne nobis invitis per noſtrum eat, aut agat, cum propter alterius incommodum Jus noſtrum in

noſtro

noſtro non tollatur: Eluxitq; ſpecimen exerciti hujus juris in *Eliſabetha* Angliæ *Reginæ* factô, qvô Respublicas annonam & arma Regi *Hiſpaniæ*, hoſti ſuo, advehentes tranſitu per Mare *Britannicum* prohibuit. Vid. *Strauch. de Imp. Maris c. IIX. §. III.* Iterum *Jus Piſcaturæ* argumentum præbet, cujus nomine quid inter *Belgas* & *Cromwelum* actum fuerit in *Med. Polit.* indicatum. Idemqve ſuperioribus ſeculis patuit in *Angliæ* Regum exemplis, qvi *ex remiſſo & temperato prohibendi piſcaturam jure fœdera cum vicinis Principibus ita coluere, ut libertas piſcandi ita utrisq; indulgeretur, ut velut ager compaſcuus tam fœderato utenti, quam* Anglo *Domino* Mare deſerviret, ait *Seldenus c. II. Maris Clauſi n.* 11. Et *Camdenus in Annalibus Eliſabethæ: Anglos veniam piſcandi ſemper conceſſiſſe, honore ſibi rerſervato, utilitate verò exteris quaſi per deſidiam reſignata.* Sic Mare apertum & clauſum qvoqve in Jure Civili legitur, terminiqve navigationi præfixi à Cal. Aprilis usqve ad Cal. Octobris *l. Quoties.3. C. de Naufrag.* De Jure in *Bona Naufragorum*, quod itidem ex Imperio maris derivant, dicendum *ſeqv. Cap. XVIII.* Præcipuum verò indicium Imperii maritimi à *Velorum Demiſſione* petunt. Indicat enim agnitionem, nos in Territorio alieno agere. Ideo & inter cauſas *Belli Anglo-Belgici* An. MDCLXXII. ab *Angliæ* Rege allegatum fuit, & *Belgas* recuſaſſe præſtandam velorum demiſſionem Navibus ſuis vi Imperii in mare debitam; Et poſtea An. MDCLXXIV. in

Arti-

Articulos inter *Anglos* & *Belgas* conditos qvartum & veluti principalem referri oportuit: *Belgas* agnoſcere penes Regem Angliæ eſſe Jus poſcendi demiſſionem velorum, eoqve naves ipſorum inpoſterum ſeu ſolitariæ ſint, ſeu plures, navibus Anglicanis ſi vexillum Regium cum literis J.A.G. habeant, hanc demiſſionem velorum præſtituros, idque futurum inter Promontorium ſeu *Capo Finis Terræ* & *t'Lant van Staten*, locum in *Norvegia*. Qvæ loca cur ſeorſim ſelecta ſint, ratio ſine dubio eſt, quod Regis *Angliæ* Imperium Maritimum non poſſit univerſale eſſe, ſed Regionibus ſuis tantum coextendatur. Loca hæc igitur ſelecta fuere, tanqvam terminum Imperii maritimi Anglicani indicantia. Ferunt etiam res certas eſſe, quibus vehendis mare violenter reſiſtat, adeo ut Imperium ſui tunc tacite velut excutiat. Sic *Latherus* obſervat mare non pati Theſaurorum exportationem, indicio *Crantzii L. IIX. Dan. c. XXIV.* qvi cum narraſſet *Chriſtophorum Daniæ* ac *Svediæ* Regem, cum opibus in Svedia congeſtis navigationem in Daniam inſtituiſſe, exorta tempeſtate vix ſalvum evaſiſſe, opes vero omnes periiſſe, *Mira, Svecia fortuna*, ſubdit: *Non patitur exportari theſauros. Si ſinunt homines, mare probibet. Si pacatum eſt mare, homines tumultuantur.* Vid. *Lather. de Cenſu Lib. II. c. XII. num. 28.* De *Mumiis Ægyptiacis* verò nautæ paſſim affirmant ſe didiciſſe, quacunque in navi depoſitæ fuerint, eam vel in maximum periculum adduci, vel cer-

tiſſimum naufragium ſubire oportere. Vid. *Itin. Princ. Radzivil. Ep. III. p. 228. 229.* isque rationem ejus rei reddi tradit: *Quia Mumiæ Ethnicorum ſint cadavera, in quibus idola reconduntur, dubium non eſſe, quin in cura & poteſtate Dæmonum prout & animæ ipſorum ſint conſtituta, qui nunquam ab eis, etiamſi de loco in locum transferantur, recedere ſoleant.* Sed priores illi actus maris, ad illa quæ per accidens fiunt, pertinebunt: Poſterius itidem tam univerſale non eſt, qvin dentur exempla, qvibus *Mumiæ* ſine incommodo transportatæ fuerint; Neqve tamen mari etiam ratio ejusmodi eventuum tranſcribenda, ſed ſpecialiori cauſæ, qvemadmodum neç ratio Principis *Radzivilii* aſpernanda videtur.

VI.

*Feræ, Aves, Piſces*, licet incertis vagentur ſedibus, nihilominus Imperio comprehenduntur, non tamen privatorum adeo, quam Reipublicæ. Privatorum actus hujuſmodi enim quia ocio replent Remp. præſtare utiqve viſum eſt eas Reipub. adeoqꝫ Principi relinqvi. Conf. *Weſenb.* qvi IV. hujus rei rationes allegat noſtræ plane ſimiles *ad Tit. ff. de acqv. rer. dom.* Qv. *Quid ſentiendum de ſuppliciis capitalibus iis illatis, qvi Feras occidunt?* Reſp. Securius pœnam talem mitigari; Non enim niſi Regale minus eſt, qvod violatur. Ratio Juſtitiæ tamen, cur tales leges ferantur, ſimilis ei eſt, cur qvi pedem in militia extra viam ponit, ſuſpendi poſſit: Nimirum ob periculum

gravio-

Digitized by Google

graviorum exceſſuum, inde ſecutorum. Itaque feræ, quia variis aliàs inſultibus obnoxiæ forent, itidem ſecuritati pœnâ propoſitâ ſervandæ ſunt. Sicq; vis puellæ in agris illata, ipsâ Lege Divinâ ſeverius punitur, qvia majora metuenda ſunt pericula ex hoc actu, qvam ſi in urbe id fiat.

VII.

De famoſa illa *Communione rerum* ita breviter ſentiendum ducimus; Eam qvam diu olim fuit, defectu hominum eveniſſe, non commodo aliquô ex communione proſpectô. Neq; aliud de antiqvis temporibus judicandum, qvam minori numerô lites tunc fuiſſe, qvia pauciori numero hominum ſpatioſus orbis facilè ſufficiebat. Alibi ubi Communionis talis ſpecies adhuc inter Barbaros videtur ſupereſſe, non communio eſt, ſed juſtæ diviſionis ignorantia, ut inter Bruta. Nec in Novô Teſtamentô *primi Chriſtiani propriè Communionem habuere, quam vulgò credunt, ſed Communicationem rerum ſuperfluarum in uſus proximi.* Inſt. *Neminem dixiſſe de bonis ſuis, ea ſibi propria eſſe.* Reſp. Deſtinata etiam fuiſſe in commoda proximi, ſed in caſu neceſſitatis.

# CAPUT VII.

## De CONJUGIO.

*I. An Conjugium ſit Præceptum? II. An Con-*

 *ſenſus*

*ſenſus Superiorum adverſetur Libertati Matrimonii? III. De neceſſitate ac initiis Benedictionis Sacerdotalis. IV. Cur Polygamia apud Hebræos tolerata fuerit? Cur à Moratioribus Gentibus rejecta? Cur Reges Orientales difficulter Religionem Chriſtianam amplectantur? V. De Conjugio Virgineo S. Mariæ & Joſephi, item Henrici II. Imp. & Kunigundis. VI. Cur Impuberes non poſſint Conjugium inire? De Orientalium maturiori Venere: Exemplum Achaſi Regis Judæ. VII. Cur Conjugia Parentum & Liberorum Naturæ adverſentur? An licitum ſit Conjugium Fratris cum Defuncti Fratris Sponſa? IIX. Imperium maritale non à Maledictione natum. IX. De Cœlibatu, Viduitate, Divortio, Illegitimis complexibus. Cur crimen Sodomiæ tam acerbe puniri oporteat.*

I.

INitio dicendum de Quæſtione à Moralium Scriptoribus agitata: *An Conjugium ſit Præceptum*? Affirmativa videtur in Mandato Divino elucere: *Creſcite & multiplicamini*. In contrarium facit: Quòd ita Cœlibes omnes contrà Præceptum Divinum facturi eſſent, quod itidem probabile non eſt. Itaque reſpondent Præceptum eſſe, *quod obliget totam communitatem hominum, non autem perinde ſingulos*: Ratio eſt, quia non tam

tam Individua ſingula attinet, qvàm totius Speciei conſervationem, æq; ac Agriculturæ negotium etiam totum humanum genus obligat, non tamen ſingulos ex hominibus. Militia etiam humano generi neceſſaria eſt, non tamen ſingulos milites eſſe oportet: Quorum ſimilis cauſa, quia faciunt ad conſervationem Speciei, non autem ad conſervationem uniuscujusque Individui. Hincque ratio pendet, cur illi conjugio ineundo magis obligati ſunt, qui communitatum vices gerunt, ut Reges, Principes, quàm privati alii: Quia ab his plus damni in genus humanum proficiſcitur, quàm à privatis aliis. Et Scriptores Catholici inde rationem petunt, cur Principes etiamſi Votis Religioſis obſtringantur, nihilominus iisdem facilè eximi & conjugium inire poſſint, quia Votum vim habeat ex liberâ voluntate, eoq; non poſſit præjudicare præcepto, quod ex naturali obligatione vim acceperit. Vid. *Rebell. de Obligat. L. II. Qv. II.*

## II.

*Conſenſu Magiſtratus* pro ineundo matrimonio opus eſt, ut teſtimonio ſit, publico non adverſari, quod inter privatos actum eſt. *Conſenſu Parentum*, ſed Magiſtratui ſubordinato; Commoda prolis ſuæ enim optime noſſe præſumuntur. Neq; id adverſatur Libertati Conjugii, qvippe qvæ per conſenſum iſtum non minuitur, ſed regulatur; Et Filius Jus qvidem habet libere contrahendi matrimonium, non tamen contrahendi indigne.



Digitized by Google

III.

De neceſſitate *Benedictionis Sacerdotalis* in Conjugiis obſervamus in Jure *Cæſareo*, qvod de *Re Nuptiali* in ff. & C utróque habetur, nullam S: Miniſterii mentionem fieri. Ac in ff. qvidem Titulus eſt de *Ritu Nupt.* quem è *Paganiſmo* illuc tráduxit Tribonianus. Vid. *Pagan. Gaudent. de Seculi Juſtinianei moribus c. XV.* Sed Sacra Paganorum Nuptialia, horum appendices ac Jus ea de re Pontificium primo innuit, quæ Sacra à Chriſtianis prorſus abolita, immò *Theodoſius* ac *Valentinianus* vetuere in Baſilicis, i. ædibus Sacris nuptias celebrari *l. Baſilicam. 21. C. de Op. Publ.* Qvod ſumendum eſt pro eo, qvod eſt Convivia, Tripudiá, & id genus alia Nuptialis hilaritatis inibi haberi, non de ipſo contractu reliqvoqve ibi ritu ſacro nuptiali, qvalem ad aras Deorum etiam in Paganiſmo velut ex receptiſſimo more fieri ſolitum volunt *Forcat. in Cupidinis Jurisper. c. X. §. 6. Alex. Sard. de Mor. Gent. L. I. c. virgin.* aliiqve nonnulli. Et interdum ſic fieri potuit pro arbitrio contrahentium eorumque quorum eſſent in poteſtate; Sed de jure ejuſmodi ſeculis antiquioribus ita recepto nullibi liquet, Sacra contractui neceſſaria habita fuiſſe. De *Novella LXXIV.* jam dictum *in Medit. Polit.* Neqve aliter ſe habuit Jus *Cæſareum* in Oriente ante *Leonem Philoſophum* circa A. DCCCC. qui prætermiſſa toties Sacra diutius ferre noluit, indeqve Sanctionem edidit, ne Matrimonia citra Sacram Benedictionem firma haberentur, adjecitqve, non aliter jure matrimonii

monii ſive in Societate vitæ ſive in prole quemqvam gaviſurum. In Occidente in Capitula *Caroli Magni* & *Ludovici Cæſarum* relata *Evariſti* Papæ verba hac de re (quæ tamen ſuſpicione non carent) vim Legis obtinere cœperunt, qvod evenit circa A. DCCCXX. Vid. pluribus *Selden. Ux. Hebr. L. II. c. XXIX.*

IV.

*Polygamia* apud nullam moratiorem gentem magnopere in uſu fuit. Ipſi majores noſtri Germani eam aſpernati fuere qvod *Tacitus* non ſine laude eorum indicat *L. de Mor. Germ.* P*rope ſoli Barbarorum ſingulis Uxoribus contenti vivunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur.* Solis *Hebræis* divinitus permiſſa legitur, cujus rationem putamus extitiſſe, qvia Eccleſiam propagatione carnali, non converſione augeri tunc oportebat: Unde & hac expirante uſus Polygamiæ qvoqve apud eos ferme intercidit; Neqve enim ſub Templo ſecundo freqventata fuiſſe legitur: Nam Gentilibus tunc ad Eccleſiam liberior patebat aditus. Referuntqve huc *Maleachi* dictum *c. II. 14. 15. Dominus teſtificatus eſt inter Te & Uxorem adoleſcentiæ tuæ, contra quam tu perfide agis, cum ſit Socia tua & Uxor fœderata Tibi. Nam nonne unum efficit, quamvis reliqui ſpiritus ipſius eſſent? Quid enim unum? Quæſiturum ſemen DEI: Ideo cauturi eſtis ſpiritui veſtro, & in uxorem adoleſcentiæ ſuæ perfide nemo agat.* Hoc eſt, Deus inſtituens



Digitized by Google

matrimonium fecit, ut duo tantum eſſent una caro, & quamvis eſſet reliquorum ſpirituum Pater, tamen unum tantum par conjugavit, quod ſemen Dei i. juſtos liberos progigneret, qvia quod ſupra eſt, perfidiæ veſtræ acceptum ferendum eſt. Vid. *Jun. Not. in h. l.* Rationem cur Jure *Civili* & LL. Chriſtianis ſublata ſit in *Medit. Polit.* reddidimus, quia leges hæ homini non tantum ut eſſet, ſed etiam eidem ut bene eſſet, proviſum voluere; Hinc quoniam ex Polygamia indeque ſecutâ numeroſa Prole commoditas vivendi per hereditatem à ſingulis ſperari vix poteſt, ſatius erat pauciores Liberos generari, ut ſinguli tanto commodius vivere poſſent. Qvam confirmamus, quia Jus Civile pariter ac Canonicum Concubinatum permittit juxta Conjugium: Nam liberi ex concubinis geniti hereditati liberorum è conjugio ſuſceptorum minori præjudicio ſunt ac proinde commodam vitam ipſorum non impediunt. Inter *Turcas* qvoqve numerus *uxorum* ultra qvaternarium non extenditur ob cauſam eandem, ne numeroſæ uxores & liberi rem familiarem exhauriant: Quanquam numeroſam prolem illi raro ſuſcipiant, cujus cauſa ex æmulatione & Zelotypia fœminarum erga ſe invicem pendet. Nec in Rep. *Hebræorum* Privato licebat numerum qvaternarium egredi, perſtante ſine dubio inter eos etiam iſta ratione. Soli *Regi* permiſſum erat octodecim fœminas aſſumere, forſan ut tanto minor metus Regiæ domus interitus eſſet, niſi vete-

rum

Digitized by Google

rum Germanicorum Procerum ratio ſupra reddita quoque in numerum veniat: Reges non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiri. Inter Barbaros *Aſiæ*, *Africæ & Americæ* eam ad huc vigere nemini ignotum eſt; Nam connexionem commodorum vitæ humanæ rite æſtimare, nondum norunt. De *Orientalibus* in ſpecie obſervat *Kircherus* in *China* ſua, non paucos eorum Reges eſſe, qvi propenſo ferantur animo in Chriſtianiſmum & animitus Idololatriam deteſtentur, hoc uno tantum ab externa Chriſtianiſmi profeſſione avocati, qvod ille Polygamiam prohibeat, qvam beneficio externæ Profeſſionis *Gentiliſmi* retinere poſſint. Inter Chriſtianos etiam extitiſſe, qvi palam bigami fuerint exemplo eſt Imp. *Valentinianus Senior*, qvi Juſtinam eximiæ pulchritudinis fœminam ſibi juxta *Severam* ſociavit, Lege inſuper lata, ut cuilibet id liceret. Vid. *Socr. L. IV. Hiſtor. Eccl. c. XXXI.* Exempla *Caroli M.* & *Comitis á Gleichen* diſcutit *Mullerus Gamolog. cap. IIX. §. ult.* Et *Carolum M.* non bigamum fuiſſe, ſed repudiata prima aliam duxiſſe probat. *Philippi Magnanimi* Haſſiæ Principis caſus ad Concubinatum non ad Polygamiam pertinet. *Thuanus L. XLI.* ſcribit, *ipſum tam inexhauſti ad Venereos uſus ſucci fuiſſe, ut cum uxore ſola uteretur, & illa eum toties admittere non poſſet, uxoris permiſſu & negocio cum Paſtoribus communicato Concubinam ſuperinduxerit, cujus conſvetudine ardore aliquanto prædomito parcius ac moderatius cum Uxore verſaretur;*

*retur*; *Hortlederus* ab Univerſitate Wittebergenſi approbatam fuiſſe ſcribit *de B. Smalc. L. IV. c. XLIII. num. 13.* Lutherus excuſandum ducit *l. c. Henricum Ducem Brunſvic.* Ne tamen in Exemplum trahatur ſubjicit: Daß aber ihr Fürſten zum theil den Holtzweg gehet / da habet Ihrs dahin bracht mit mit Eurem böſen Exempel / daß ſchier der Bauer nicht mehr will für Sünde halten / und habt uns zu thun gemacht / daß wir mit aller Mühe ſchwerlich den Eheſtand für löblich und ehrlich erhalten / ja wieder anrichten können. *T. VII. Jen. fol. 438.*

V.

Q. *Qvo in loco habendum Conjugium virgineum S. Mariæ & Joſephi?* Verum enim matrimonium fuiſſe evincunt non tantum integritas Genealogiæ Chriſti, quæ ſalva non maneret, niſi verus licet non naturalis Parens Chriſti fuerit Joſephus, ſed etiam toties iteratus titulus Patris & Matris *Joſepho* & *Mariæ* tributus in Sacris, tum tempore nativitatis ejus, tum *Chriſto* duodecimũ annum agente, ubi leguntur Pater & Mater ejus quotannis *Hieroſolymam* abiiſſe, tum deſiderium colloqvendi, quo adhuc in miniſterio Servatoris ferebantur: *Tertio* etiam quod Maria Uxor Joſephi deſponſata dicatur initio hiſtoriæ Evangelicæ. Imò *quarto* Maria tria, ex hypotheſi Moraliſtarum, Bona Matrimonii præſtitit, quemadmodum *Auguſtinus* loquitur *L. I. de Nupt.* ubi prolem cognoſcimus Dn. *J. Chriſtum*, fidem, quia nullum adulterium, ſacramentum quia nullum divortiũ.

Verum

Verum igitur matrimonium fuit, & tamen ſine copula carnali; *Mariam* enim perpetuo manſiſſe virginem licet Articulus Fidei non ſit, pie tamen & vere ab omnibus Theologis affirmatur, allegantibus: Indignum fore, ſi uterus ille, qui Sanctiſſimum tuliſſet, peccaminoſum ſemen recepiſſet, vel alios fœtus edidiſſet. Jam vero ſi ſine copula carnali iſtud fuit, nec illa inter neceſſaria requiſita conjugii reponenda erit, qvod tamen & theſes noſtræ docent, & in aliis rationibus liqvido claret. Reſpondent Moraliſtæ, *Obligationem ad copulam aliam eſſe Actualem, aliam Radicalem*: Et *S. Mariam* obligationem ad copulam vi matrimonii quidem tuliſſe, non tamen actualem, ut poſcenti debitum conjugi eam annuere oportuerit, ſed radicalem, ut annuere oportuiſſet, niſi tertia quædam & gravior cauſa interveniſſet. Ea verò intervenit, per rationem modo datam, atq; adeo à reliquo obligationis, & conſequenter copula carnali conjugum hoc liberum fuit. Idem de Conjugio *Henrici II.* & *Kunigundis*, Virgineorum Conjugum, prout monumentum Bambergenſe ipſos nominat, dicendum videtur, obligationem radicalem non actualem ad copulam tuliſſe, æqve ac Dominium tradi poteſt, retento rei uſu: Niſi dubium hoc, cum cauſa extraordinaria alias hic nulla ſit, reliqvum maneat, quod Conjuges qui id paſciſcuntur, revera paſciſcantur, ſe nolle Conjuges eſſe, ſed tantum individuam amicitiam ſibi exhibituros.

VI. Cur

Digitized by Google

VI.

Cur *Impuberes* non poſſint Conjugium inire. 1. Ratio nota eſt, quia carent communione corporum. 2. Jura ſua non intelligunt eoque nec communicare poſſunt: *Orientales* tamen citius incaleſcunt, ideo *in India* Orientali etiam ætatis ſeptimo vel octavo anno jam Conjugia ineunt. *Mandelsl. in Itiner.* & *Judæi* hodienum ſuos liberos fermè immaturos adhuc matrimonio implicant, non quidem ex ſuperſtitione, ne Gens intercidat, ſed revera ex conſvetudine *Orientalium*. Idemque de *Achaſi* exemplo *II. Reg. XVI. verſ. 2.* collato cum *c. XVIII. v. 2.* ſtatueudum. *Ezechias* enim filius ejus Rex *Judæ* natus eſt ipſo X. annum agente, unde colligunt aliqui non naturalem fuiſſe *Achaſi* filium, ſed vel privignum, vel adoptivum, vel fratrem. Sed reſpondemus, nihil alieni eſſe à moribus Orientalium tam feſtinam generationem.

VII.

*Conjugia inter Parentes & Liberos* ipſa natura prohibentur; Communionem enim jurium, quæ in Conjugio reqviritur, everterent jura ſingulis debita. Sic *Mater* quæ jure materno filio eſſet ſuperior, matrimonio foret inferior: Ipſaque prima Lex circa Matrimonium data, *Ideo deſeret homo Patrem ſuum & Matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ, Gen. II. v. 24.* quamq́ Chriſtus repetiit *Matth. XIX. v. 6.* videtur impoſſibilitatem matrimonii Parentum & Liberorum indicare; Si enim

per

per Conjugium Mater deſeranda eſt, non poteſt duci; aut Matris reſpectum eam deponere oporteret, quod iterum nullo modo poſſibile eſt. Apud ſolos *Perſas* hæc perverſitas aliquando obſervata fuiſſe legitur, neque Magus eſſe poterat, niſi qui ex matre & filio natus eſſet. Et refert *Eutythius in Annalibus Alexandrinis*, Satanam primum omnium ex ignis cultu hoc reſponſum dediſſe, non poſſe Sacerdotem ſuum eſſe, quin idem cum matre, ſorore & filia concubuerit primumque ignis Sacerdotem *Shamum* hac ratione Sacerdotium obtinuiſſe. *Sed non eò minus jus eſt, quia à Perſis contemnitur*, reſpondit ad aliam cauſam *Xenophon*. Conjugium certè Parentum & Liberorum inſtituere non minus eſt, qvam ſi veſperam cum horis matutinis, & diem hodiernam cum die heſterna copulare velis. Q. *An licitum ſit Conjugium fratris cum defuncti fratris Sponſa?* R. Aff. quia nondum Conjugium, ſed tantum pactum de futuro Conjugio inivere; Neq; aliud inferunt Sponſalia, quam pactum tale, non ipſum Conjugium; Nec obſtat conjungendas perſonas reddi per ſponſalia inſeparabiles, quia pactum neceſſitatem rei faciendæ, non autem rem factam ſtatim infert. Hinc nec inceſtus culpa in caſu ejuſmodi metuenda eſt, quia nec dum conjunctio corporum inter eos interceſſit. Nec obſtat animo etiã inceſtum committi poſſe, quia hic animus nubendi ei, qui levir futurus erat ſ. etiam cum eo ſe commiſcendi non præſumitur affuiſſe. Seu brevius.

Ince-

Digitized by Google

Inceſtum libido producit, quæ hic nulla eſt, cum deſiderium libidinis vivente priore fratre nullum præceſſerit.

IIX.

*Imperium* uti omnium Societatum, ita Imperium Maritale *conſequens Conjugii* eſt. Unde & in Statu Innocentiæ futurum fuiſſet, quia res domeſticæ ſine ordine eſſe non potuiſſent; Ubi ordo a. in Vita Sociali, ibi Imperium. Maledictio Divina non Imperio, ſed modo Imperii ſexum Fœmineũ ſubjecit: Veluti in univerſum maledictiones tunc latæ non res ipſas, ſed modum rerum mutarunt. Sic *Adamo* etiam in ſtatu Innocentiæ laborandũ fuiſſet: Deus enim ipſum immiſit in hortum Eden, ut coleret eum; Atqui hortum colere eſt laborare. In ſudore vultus ſui vero ſeu cum moleſtia ut laboraret, maledictione divina factum eſt. Serpentes in ſtatu Innocentiæ etiam repſiſſent, videturq; ocioſa qvæſtio eſſe qvibus & qvot pedibus Serpentes in ſtatu Innocentiæ inceſſerint; Sed ut reperent & terra veſcerentur, per maledictionem divinam acceperunt. Itaq; fœminæ etiam Imperium accepturæ, parituræ fuiſſent; At cum dolore ut obedirent ac parerent, divinitus ipſis inflictum eſt. Neq; illa S. Textus mens eſt, qvam Germanica noſtra verſio habet: Dein Wille ſoll deinem Manne unterworffen ſeyn; Sed, *Appetitus tuus erit ad virum tuum & praeſto Tibi*, qvod deſiderium, non ſubjectionem importat: Ut proinde integra maledictionis ſententia hoc ſenſu ſibi con-

conſtet: Ut dolor, qvam DEus fœminæ dictitat, ad ſingula membra Tmematis referendus ſit, nempe multiplicatum iri dolorem partus, conceptus: Cui deinde & dolor in deſiderio & ferendo Imperio accedat, *h. fœminam virum ejusque Dominium appetituram non ſine anxietate ac ſolicitudine.* II. Ut fœmina Viri deſiderio arſura ſit, licet dolorum futurorum probe conſcia; h. ſ. *Multiplicabo dolorem tuum, conceptus, partus, deſiderii tui, & nihilominus viri deſiderio flagrabis; quod ille moderabitur.* Conf. *Jun. Not. in Gen. III.*

## IX.

Inter oppoſita Conjugii, *Cælibatus* Conjugium negat, *Viduitas & Divortium* idem tollunt, *Complexus illegitimi* ipſum fingunt. De *Cælibatu* certum, ipſum ſi *totam Remp.* ſpectes, damno eſſe Reip. at ſi *membra* nonnulla, idem Conjugio præferre merebitur, ac Reip. bono erit. Sic per antiqvas *Romanorum* Leges militibus uxores circumducere non licebat, cujus ratio, ne animi uxorum comitatu elangveſcerent. Vid. *Roſin. Antiqit. L. II. c. XII.* De *Servis* ſimiliter judicandum, ipſorum conjugia & Dominis & ſibi ipſis damno eſſe, hoc, qvia curis Conjugalibus diſtrahuntur, iſtud qvia diſtracti ita res Domini ſegnius curant & occaſione ſubſtentandæ familiæ propriæ ad fidem fallendam inclinant: *Cælibatum Clericorum* ab Eccleſia *Occidentali* Catholicorum prohiberi notum eſt. *Orientales* non prohibent quidem, limitibus tamen arctis conjugia eorum includunt,

qvi

qvi ſunt (1.) ut Virginem ducant, non Viduam, (2.) ut ante Ordinationem ducant. (3.) Nec ad ſecundas nuptias tranſeant. Vid *Nov.* 123. *c. XII. Et Conſt. Leon.* 3. Inter Proteſtantes ſola *Anglia* hoc ferè habet, ut *Archi-Epiſcopus Cantuarienſis* reqviratur cœlebs eſſe, ob cauſam Politicam tamen, ut qvia proximum gradum à Dignitate Regiâ habet, ſpes ipſi eam in familiam ſuam transferendi præcidatur. *Divortii* Cauſæ à noſtris hodie deſignantur (1.) *Adulterium* (2.) *malitioſa Deſertio*: Aliæ minoris fiunt. *Sterilitas* inter cauſas numerata fuit, cum illuſtre Divortium initio hujus ſeculi anno MDC. inſtitueretur inter *Henricum IV.* *Regem Galliæ* & *Margaritam* anteceſſoris ejus *Henrici* Sororē, *Henrici* vero ab A. MCLXXII. usque uxorem, oportuitque Pontificem M. *Clementem* VIII. eo nomine divortium publicare. Vid. *Thuan. L. CXXV.* Legiturqve ipſa Regina libello ſupplice à *Pontifice M.* matrimonii ſui diſſolutionem ultro deſideraſſe, allegatâ hâc ratione, ſe intuitu defectus Lineæ Maſculinæ & periculi litium de futurâ ſucceſſione id rogare. Vid. *Petr. Matth. in Vit. Henr. IV. p.* 379. *Gramond. ad Ann. MDCXV. L. I. p.* 79.

Noſtræ ætati propius ſed Germaniæ inauditum exemplum fuit, quod anno MDCLXIV. *Chriſtianus* Dux Megapolitanus præbuit, dum & Religionem & Conjugem *Chriſtinam Margaritam* mutavit, impetratoq; à *Pontifice M. Alexandro VII.* divor-

divortio, reclamante licet uxore Dominam de Chaſtillon è Gallia ſibi junxit, cui rei & à cæteris Ducibus *Mechlenburgicis*, & ab univerſis Proteſtantibus Ordinibus in *Comitiis Ratisbonenſibus* ſollicitè contradictum fuit, ſed ſine effectu: Legantur Acta *in Diar. Europ. Cont. X. p. 516. & ſqq.* *Viduitas* in V. Eccleſiâ ſtrictiſſimè culta fuit, unde & hodienum *Orientales* ſecunda vota minoris faciunt. Inter Gentiles in *India Orientali* memorabile eſt *Vivicomburium*, quod Viduam ſubire oportet denato marito, niſi vitam cum ignominia & inter proſtibula tranſigere velit. Vid. *Itin. Indica* paſſim, & inter ea *Mandelſ. Itin. P. I. L. I. c. XXIII.* Conjugium fingere diximus complexus illegitimos, quorum nomine comprehenduntur *Scortatio, Adulterium, Inceſtus, Sodomia, Mollities*, de quibus pluribus videndi Scriptores rerum Moralium; Et dum cuncti hi Actus Jus Naturæ, ac vitam ſocialem turbant, iidem graviores pœnas producunt, qvo longius à Juris Naturæ inſtitutis recedunt; *Sodomia* ideo graviſſimè omnium punitur, qvia homo vel in commixtione cum beſtiâ prorſus naturam ſuam abjicit, vel in Venere Maſcula univerſo Naturæ ordini ſe opponere eumq; invertere conatur; Quæ quia univerſam naturam concernunt, eiqve vim inferunt, ideo jure in ea gravius animadvertitur reliquis, qvæ partem Naturæ & Juris ejus tantùm invadunt; Et utraq; hæc fœditas apud *Orientales* potiſſimum invaluit, cui ideo & varias Leges poni oportuit, de quibus con-



Digitized by Google

ſulantur *Itineraria*. Carmen *Johannis Caſæ Archi-Epiſcopi Beneventani* in laudem Sodomiæ attigit *Voëtius Vol. I. Diſſ. de Atheiſmo*. Huc referenda, quæ de *Lupanarium* tolerantia vulgò diſputant, qvam improbandam eſſe ſanus quisq; facilè agnoverit. In majoribus tamen *Italiæ*, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Angliæ* urbibus eam receptam eſſe conſtat, idque excuſant, ſe non tq. licita ea approbare, verum ea tantum permittere, ut uſu depravatis moribus accommodato, majora mala Adulterii & Sodomiæ vitentur; Qvam rationem indebilem eſſe vel inde patet, qvia majora iſta mala nihilominus eadem freqventia obveniunt, ut alia reſponſa vulgò nota prætereamus. *Pius V.* certe Pont. M. Meretrices *Roma* ejicere decreverat, verum iisdem rationibus à Senatu Romano inductus eas in lupanaria compegit, ſperans fore, ut pudore inductæ huic vitæ renunciaturæ, & viri infamiam veriti, ea loca adituri non eſſent, ſed nihil effectum eſt, & ab eo tempore ipſis quaqua voluerunt, libere habitare licuit. Vid. *Thuan. XXXIX. ad An. MDLXVI.* Qvantum opum libidem corradant, teſtatur *Monaſterium S. Michaelis* in *Inſulâ* prope *Moranum*, cui extruendo meretrix pro impetrandâ delictorum venia LX. *aureorum millia* impendit, ac totidem in conſervationem pauperum erogavit, & cum Anno MDCLXVI. *Pontificis* edicto ab ingreſſu per portam *majorem Eccleſiæ S. Caroli al Corſo* propoſita ingenti mulcta arcerentur, illæ pecuniam non invitè pendentes pro impetranda ingreſ-

ingreſſus veniâ tantum brevi tempore contribuerunt, ut Eccleſia inde reparari potuerit, in cujus memoriam & portæ ejus inſcriptum legitur: *Fabricaverunt Peccatrices.* De occultis amoribus Perſonarum Illuſtrium nonnulla dicta ſunt *Notit. Dignit. Illuſtr. Diſſ. IIX.* & *Gramondi* frigida hæc amorum *Henrici IV. Regis Galliæ* excuſatio eſt: *Unus illi à Venere nævus, eo Regibus noxa leviore, quod populus rarò opprimitur ea labe; vix ſævire poteſt, qui amat. Hiſt. L. I. p. 91.*

---

# CAPUT IIX.

## *De* SOCIETATE PATERNA.

*I. Cur monſtra humana averſemur? II. Numeroſæ Prolis commoda & incommoda: Examen numeroſi partus Margaritæ Comitis Hennebergicæ. III. Amor Parentum erga Liberos; Cur deſcendat potius quam aſcendat? IV. Alimenta Liberis debita. V. Poteſtas Patria: An liberos occidere, vendere, oppignorare liceat. VI. Ratio Succeſſionis liberorum. VII. Jus Primogenituræ. IIX. Jus Nepotis & Patrui: Majoratus. IX. Liberi Naturales; Qui Mamzeres in Rep. Iſraelitica?*



Digitized by Google

I.

PArentes ſunt perſonæ aliud naturæ ſuæ ſimile generantes; *Liberi* perſonæ ad ſimilitudinem generis ſui ab aliis generatæ. *Monſtra* à fœminis edita in numerum non veniunt, eademque averſamur, quia non generata ſunt ad ſimilitudinem Humani generis.

II.

*Numeroſam Prolem*, ſi æqvo jure ſuccedat Parentibus, incrementis ſplendoris familiæ obſtare, cuncta iſta argumenta qvæ pro Succeſſione Inæqvali militant, evincunt. Extra hunc reſpectum è re Illuſtrium Familiarum eſſe ſingulari Diſcurſu docet *Marnixius Reſol.Polit. Sect.V.Reſol. IV.* Peregrinis enim omnem prætendendi in ſtatum earum occaſionem præcidit, adeoqve magno calamitatum metu ſubditos liberat, qui toties patiuntur, qvoties Domini ipſorum contendunt: Qvo ſenſu & *Tacitus L. IV. Hiſtor. Non Claſſes, non Legiones perinde firma Imperii munimenta, quam Numerus Liberorum.* At *Margarita Hennebergica* partus CCCLXV. liberorum inter maledictionis exempla reponendus eſt, ſi vera ſunt, quæ de eo circumferuntur: Dubitandi rationes autem in adverſum tendunt graviſſimæ: Una eſt, quia vulgatum Chronicon Rhytmicum *Hollandiæ*, cujus Autor eo tempore vixit ne ſemel quidem hujus miraculi meminit: Uti nec *Beka in Hiſtor. Ultraject.* qvi vixit anno MCCCLVIII. Secunda, quod hiſtoria ipſa ſe ſuſpectam reddat, ut uno in

utero

Digitized by Google

utero geſtentur CCCLXV. infantes & quidem vivi, perfectè conformatis omnibus membris, & tam diu, ut fuerint baptizati. Tertia, quia circumſtantiæ ſuſpectum reddunt totam hiſtoriam. (1.) Mater filia ſcil. *Comitis Hollandiæ*, & uxor *Comitis Hennebergici in Geneal.ComitumHenneberg.* non comparet: Nec unquam Comitum illorum aliquis filiam Comitis *Hollandiæ* duxit. (2.) Nec comparet *Hermannus* Comes *Hennebergicus*. (3.) Fabuloſa eſt occaſio hujus miraculi, quæ refertur: Comitiſſam non potuiſſe credere fœminam gemellos potuiſſe ex uno viro concipere. (4.) Quia *Otto Epiſcopus Ultrajectinus* Patruus hujus *Margaritæ*, quem dicunt hos infantes baptizaſſe, illo tempore in rerum natura non fuit, erat enim tunc Epiſcopus *Johannes Naſſovius* & ante eum *Henricus Vianenſis* (5.) Nomine variant, aliis *Margaritam*, aliis *Mechtildem* eam vocantibus (6.) Anno diſcrepant, quem aliqui faciūt MCCCXIV. alii MCCXLIV. *Mejerus* MCCLXXXVII, communiter MCCLXXVI. Quarta ratio eſt, quia probationes, quibus fulciri ſolet hæc Hiſtoria, partim fabuloſæ & nugatoriæ ſunt, partim dubiæ & ſuſpectæ. Prima eſt, *è pelvibus & tabula in templo Lousdunenſi ſuſpenſa, in quâ hodienum Inſcriptio legitur*. R. Inſcriptionem eſſe novam & poſt mutatam religionem in Belgio ante centum annos circiter à *Johanne Meurſio* Paſtore *Lousdunenſi* poſitam; de antiquiori nihil conſtat. Secunda, *Hiſtoricos aliquos hoc referre*. R. Secula tunc

fuiſſe fabuloſa & ſtupenda ignorantia miraculisq; mendacibus abundantiam.

III.

Primum quod ex Generatione reſultat *Amor* eſt; Liberi enim ſunt Paterni corporis portio; At nemo unquam carnem ſuam odit. Eſtq; ille tam efficax, ut Bruta quoq; ejus ſenſu tangantur. Sic *Ciconiam* cum pullis ſuis igni perire malentem, quam ſolam ſupereſſe, *Hadr. Junius* inſigni hoc Epigrammate laudavit.

*Candida & obſtreperis inviſa Ciconia ranis,*
*Pignora ab ardenti viderat igne premi.*
*Eripiatne ſuos, & aperta pericula tentet?*
*Hinc ſvadet pietas, vitæ amor inde vetat.*
*Hanc luctam pietas generoſa diremit; & urna*
*Eſſe eadem, & ſobolis vult Libitina ſuæ.*
*Jam minor Aſſyrium Phœnicem fama loquatur,*
*Vivere quæ buſto quærit, at iſta mori.*

Cur *Amor iſte deſcendere potius, aut minus facile aſcendere ſentiatur*; ratio è generaliſſimis Philoſophiæ Rationalis principiis repetenda videtur, quod cauſæ in effecta ſua influant quidem, ſed nihil reciproci ab effectu ad cauſam revertatur; Ut proinde mirum non ſit, ſi hic idem eveniat, & à parentibus tanquam cauſis Liberorum, in hos quidem prolixè redundet influxio, à liberis autem tanquam effectu, minus refluat.

IV.

*Parentes* deinde *Liberis Alimenta* debent; Qui enim aliud ſibi ſimile eſſe, eundem ut illud conſervaretur voluiſſe probabile eſt. At Alimenta con-

ta conſervationem præſtant: Quemadmodum & tali ſenſu ea hic accipiunt: Eſſe nimirum omnia, quæ ad vitæ quotidianæ conſervationem ſufficere poſſint. Indeque & valetudinis impendia eo referunt; Non ſufficit enim vitam agere, niſi etiam vitalem vitam agas, cum male aliquid fiat, an non fiat nihil interſit. Etiam *ſtudiorum* ſumptus; Efficiunt enim ut ſecundum conditionem noſtram, quoad ejus fieri poteſt, vivamus. *Dotem* filiarum comprehendi nolunt: Quod alimenta vitæ conſervationem præſtent; Dos autem detur tum honoris cauſa, tum ad ſuſtinenda facilius & libentius à marito onera matrimonii. Vid. *Baron. ab Enenckel de Privil. Parent. & Lib. Priv. VII. c. II.* Sed utrum ab ipſis Patentibus, an ab aliis ea præbeantur, perinde eſt, modo curæ Parentum Liberi ſubjaceant. Hæc enim eſſentialia Conſervationis complectitur, illa mere accidentalia involvunt. Unde & Qvæſtioni, an *matres teneantur proprio lacte nutrire infantulos ſuos* reſponſum ex commoditate matris dandum putavimus: Ut ſi commode poſſint, eos ipſæ nutriant, ſi non poſſint, aliis nutriendos committant, modo debito infantulorum nihil decedat.

V.

*Poteſtas Patria* eſt *Jus Parentum regendi Liberos: Cauſa* ejus ex univerſali relatione inter cauſam & effectum pendet, unde quia Liberi à Parentibus geniti ſunt, dependendi ab iis cauſam excutere nequeunt. Ad Jus *Vitæ ac Necis* extendi neqvit; Reipublicæ enim non ſolis Parentibus

nati ſunt Liberi, atqve adeo nec ſola poteſtas eos tollendi parentum erit. Apud *Romanos* tamen olim viguit & hodienum apud *Japanenſes*. Apud *Norimbergenſes* etiã inter Privilegia eſt, qvod Terribile Privilegium vocant, Reip. ab Imp. *Ludovico* conceſſum A. MCCCXX. ut Parentes filios ἀκολάςυς & inobedientes carcere Turris coercere & vivos in profluentem demergere poſſint ap. *Limn. Enucl. L. IV. c. XXXIX. §. VII.* Quo tamen non amplius utuntur. *Bodini* hypotheſin qverentis Jus Vitæ ac Necis in liberos Parentibus pernicioſo exemplo deſvetudine & lege Conſtantini ademptum ac proinde reſtituendum eſſe, prolixè refutat *Job. Zabelius Diſſ. Anti-Bodiniana, §. IV.* Allegat namq; *Bodinus* (1.) *primam patribus eripiendæ poteſtatis originem à Magiſtratuum ambitioſis decretis manaſſe, eoq; imperia domeſtica conqvieviſſe, quia amplificandæ Juriſdictionis cauſa judices rerum omnium cognitionem ad ſe paulatim pertraxerint.* Cui *Zabelius*, non tam originem abrogati hujus juris, qvam cauſam abrogandi attendendam eſſe (2.) *Deut. XXI. v. 18. Parentes filios ſuos rebelles ad judices adducere juberi, ideo tantum, ne iracundia perciti latenter filios occiderent.* Reſp. Id ideo primario factum, ne privatam vindictam Parentibus liberam eſſe illi crederent, ſed cognitionem publicam neceſſariam eſſe agnoſcerent (3.) *Parentes Vitæ ac Necis poteſtate abuti non poſſe, ob majorem ipſorum in liberos amorem.* Reſp. nihilominus extitiſſe crudelitatis exempla, recenſetqve

ſetq; Zabelius ex ipſo *Bodino L.VI. de Rep. cap. V. n.737.* exemplum Regis Dejotari, qui filios duodecim uno peremerit tempore. *An Parentes Liberos vendere aut oppignorare poſſint* ex hiſce itidem dijudicanda autumamus: Videnturq; parentes quidem poſſe poteſtati alienæ eos permittere, cum ob defectum rerum neceſſariarum debitum adverſus eos præſtando non ſint; At ſui cauſa & accepto precio, quod utroque illo actu fit, permittere non poſſe; Id enim ſolius Reipublicæ eſt, cujus proles æque pars eſt, ac parentes: Unde nec parentibus cum prole tq. re ſua, ſed tq. aliena & Reip. agere licet.

VI.

Juris Liberorum fundamentum generale ſitum eſt in *Repræſentatione Parentum.* Cujus cauſæ (1.) quia ſunt pars Parentum (2.) quia finis generationis eſt, ut conſervemus nos in alio nobis ſimili: Unde præſumuntur etiam Parentes jura ſua ita conſervaturi fuiſſe: Quod ipſam cauſam præbet inclinationi naturali & paterno affectui, quem tam prolixè allegat & cauſæ loco commendat *Puffendorff. de Jur. Nat. & Gent. L.IV. c.II. §.1.2.3.* Fluuntque ex generali hoc jure porro ea, quæ circa Jura Liberorum demonſtranda veniunt. Sic enim Liberi ſeqvuntur Parentum conditionem; Parentes enim repræſentant. Iidem ſuccedunt in Bona Parentum, qvia enim Parentum in generanda prole finis præſumitur fuiſſe, ut ſeipſos in eâ conſervarent, ita & jura & bona ſua in conſer-



Digitized by Google

vanda prole conſervaturi fuiſſe præſumuntur. *Heredes tenentur* facta Anteceſſorum ſuorum præſtare; Anteceſſores enim repræſentandos in ſe ſuſceperunt. Qualitatum & functionum parentum ſucceſſores neceſſariò non ſunt, quia Accidentalia ſunt, nec generi humano, ſed certo vitæ ſtatui alligata. Unde & notum iſtud: *Heroum filii noxæ:* Cujus cauſæ ſpeciales, quod Viri Excellentes toto animo ad publica ferantur ac proinde rem privatam plerumq; negligant: Deinde, quod liberi ex honore paterno facilè concipiant ſuperbiam & pigritiam ob ſpem dignitatibus ſine negocio potiendi. Vid. *Horn. in Sulp. Sever. Lib. I. cap. LVI.*

## VII.

Cur *Primogenitorum* inprimis in Succeſſione Perſonarum Illuſtrium ratio habenda ſit, cauſa eſt, quia Primogenitura eſt Sortis Naturalis quoddam genus, ut quia humana induſtria conſervationem ſplendoris familiarum ſine litibus alias dirimere non poteſt, hi, quibus naſcendi beneficiũ citius obtigit, etiam ſuccedendi jure ideo primò fruantur. Ac videntur quidem Liberi æqualiter gaudere poſſe parentum juribus, cum omnes æq; parentum liberi ſint, liberi etiam à Parentibus omnes æqve agnoſcantur, juris repræſentandi quoque æque capaces ſint. Nihilominus quia per Vitam Socialem neceſſitatibus & commodis humanis conſultum imus, iſta licet in ſe ſat valida ratio ratiociniis commodorum noſtrorum hic cedit,

cedit, eoque quia familiis earumq; ſplendori magis expedit ſucceſſio inæqualis, hæc iſti præferri meretur.

IIX.

In *controverſia inter Nepotem & Patruum* diſtingvunt inter *PrimogenituramNaturalem*, quando primo naſcimur, & *Legitimam*, quando primo nati eſſe fingimur; Ac *poſteriorem Nepoti* competere dicunt. Rationis pro jure Succeſſionis nepotis fundamentum potiſſimum eſt, ne exhauriantur reditus, vel extenuentur facultates Subditorum, quod metuendum eſt in *Majoratu*. Major enim dum ſentit filios ſuos ſibi immediate non ſucceſſuros, cuncta corradere poteſt, quibus privata bona familiæ ſuæ ſtabilire poſſit: Suntque non diſſimilia huic exempla oppido evidentia in *Nepotiſmo Pontificum*. *Majoratus* ratio potiſſima eſt, ne tutelæ locus ſit: Cujus iterum ratio priori non diſimilis, quod Tutores metuantur bona pupillorum in commoda ſua pertracturi eſſe. E qua ratione tamen firmamentum prioris hypotheſeos pro jure Nepotis elicimus. Si enim ne bona Principatus evertantur, tutelæ pernicioſæ ſunt, eam ipſam ob cauſam Majoratus pernitioſus erit, qvod Majores ſibi ſuisque potius, quam ſubditis proſpicere metui poſſint. Præſtabit itaque jus Nepotis, contra Majoratum, quem tamen ſingulari volumine contra *Engelbrechtum*, *Hotomannum*, alios-ve prolixè defendit *Goldaſtus* ſcripto doctiſſimo, & omnifariæ Lectionis *Goldaſti* ſingulari indice, ſed

qvo

Digitized by Google

qvo nimium dicta Autorum in ſententiam ſuam detorqvet.

IX.

*Liberorum Naturalium* ſeqvior eſt conditio, nec Succeſſionis aut Dignitatis Parentum capaces ſunt; cujus Ratio iterum inde pendet, quia non præſumuntur à Parentibus generati fuiſſe, ut per eos vel ipſi vel jura eorum conſervarentur, cum probabile ſit, ipſos ſolius libidinis exſatiandæ cauſa conveniſſe. Sic *Ælius Verus* Imp. reſpondit *Auguſtæ* ſuæ, cum ægre ferret ipſum furtivos amores ſubinde ſectari: *Patere*, inqvit apud Spartianum, *per alias exercere cupiditates meas*; *Uxor enim Dignitatis nomen eſt, non Voluptatis.* In Sacris *Jephthes* ideo à fratribus ſuis ejectus fuit. *Jud. XI.* quia alienæ mulieris filius eſſet; Quod tamen ſimpliciter de peregrina, non de Concubina, accipi poteſt. Seu vero etiam Naturalis fuerit, Iſraelitæ eum nihiloſecius ſibi Ducem conſtituerunt, cujus ratio tunc reddenda foret, id divinitus factum fuiſſe ad redarguendos tanto magis Iſraelitas, ut quorum numeroſa Idololatria veluti totuplex ſpiritualis fornicatio fuerat, eosdem ex fornicatione ſuſceptum Ducem quoque ferre oportuiſſet. Alibi Spurii leguntur tota Rep. Iſraelitarum excluſi eſſe Deut. XXIII. 2. *Spurius ne venito in congregationem Domini: Etiam decima generatio ejus ne venito in congregationẽ Domini.* Sed *Mamzeris* voce, qvā Textus Authenticus hic adhibet, *Talmudici* plerique eum intelligunt, qvi ex coitu naſcitur

tur ſive exciſione, ſive ultimo ſupplicio ex ſententia forenſi plectendo. Unde *Salomon Jarchius* ad illud *Deut. XXIII. 2. Mamzer*, inquit, *is duntaxat eſt; qui ex coitu exciſione plectendo naſcitur, aut, quod magis dicendum, ex eo qui, ex ſententia forenſi, ultimo plectendus ſupplicio.* Et Miſna, tit. *Jabimoth*, cap. IV. *Quisnam eſt Mamzer? Omnis qui genitus ex conſangvineis, quorum vetitus coitus; Juxta ſententiam Rabbi Aqvibæ. At Simeon Themanites ait; Omnis natus ex coitu qui vindicta Numinis ex lege excidendus. Et ſententia ejus recepta eſt. Rabbi Joshuah autem dixit; Omnis qui naſcitur ex coitu ex forenſi ſententia capitali ſupplicio plectendo.* Ubi R. Obadias Bartenorius, coitum cum muliere menſtruis laborante excipit. *Et ſic eſt recepta ſententia: Omnem natum ex coitu ſub pœna exciſionis vetito Mamzerem eſſe, excepto coitu cum fœmina menſtrua patiente. At verò ex coitu generatim duntaxat vetito, Mamzerem non naſci.* Vid. *Selden. de Succeſſ. in Bon. Defunct. C. III. f. 11. ex edit. noſtra.* Et mentem ejusmodi eſſe S. Codici ex Lege in *Ammonitas* & *Moabitas* mox ſubjecta patet *Deut. XXIII. 2. Ne veniat Hammonita aut Moabita in congregationem Domini, etiam decima generatio illorum ne veniat in congregationem Domini usq; in ſeculum.* Rationes ſpeciales ibidem redduntur. At generalem connexio cum Lege de *Mamzeribus* immediatè præcedente ſuppeditat. Si enim *Mamzeres*, h. e. ex inceſtuoſo concubitu nati æternum prohibentur aditu Reip. Iſraeliticæ, jam

*Ham-*

*Hammonitas* & *Moabitas* exeſſe oportuit, qvippe qvibus concubitus Lothi cum filiabus initia dedit.

# CAPUT IX.

## *De*
## SOCIETATE HERILI.

*I. Servitus Naturalis non eſt vera ſervitus. II. Prima ſervitutis mentio. III. Servos Juri Vitæ ac Necis non ſubjacere. IV. Uſus ſervitutis perfectæ. V. An ſervitus perfecta congruat Juri Naturæ aut Chriſtianiſmi? An pugnet cum Libertate Chriſtiana?*

I.

S*Ervituti naturali* nonniſi nomen ſervitutis, rei autem plane nihil attribuimus, cum Vita Civilis non naturæ opera, ſed commoda & neceſſitates Vitæ Socialis ſpectet. *Servitus legalis* itaqꝫ, cum ſolummodo neceſſitatis & commodorum Vitæ Socialis rationem habeat, unicê hic uſum habebit. Servituti naturali ſi locus dandus eſſêt, perpetuæ turbæ in Vita Civili naſcerentur, aliis hunc aliisve iterum alium pro ſervo naturali habentibus, eoqꝫ Imperium in eum ſibi qværituris.

II. Pri-

II.

Prima Servitutis mentio in *Sacris* fit *Gen. IX. v. 25.* ubi *Noachus* imprecatur nepoti ſuo *Canaani*, ut maledictus ſit & Servus ſervorum, unde Jus *Canonicum* eruit cauſam Servitutis ebrietati tranſcribendam. Vid. *Diſt. XXXV. Cauſ. VI.* & *Juris Canonici Scriptores & Commentatores* paſſim: Quæ nobis tamen mere per accidens ſequi videntur; Si enim maledictio hæc nunquam facta fuiſſet, non dubitamus, qvin nihilominus ſervi extituri fuerint, nec ambigimus jam temporibus antediluvianis ſervos extitiſſe, cum non minus iſtis temporibus ac hodienum homines extitiſſe veroſimile ſit, qui aliter vitam ſuam exhibere non potuerint, quam ut operam ſuam aliis præſtarent; Id tamen prætereundum non erit, maledictionem iſtam effectum ſuum non qvidem univerſalem in omnes homines, particularem tamen in *Chami* progeniem exercuiſſe: Unde adnotant Autores, in *Afris*, qvi ex poſteris *Chami* eſſe creduntur, nunquam notabile aut diuturnum aliqvod Imperium extitiſſe, vi *Noachica* maledictionis, ut poſteri *Chami* non Domini eſſent, ſed *Servi*, atqve adeo nec Dominatum diu retinere poſſent.

III.

*Jus Vitæ ac Necis* in Servos exercitum non ex Servitute quâ talis eſt fluit, ſed unice ab autoritate Magiſtratus; Prioris ratio eſt, qvia Dominus in Servum plus exercere non poteſt, qvam Servus ipſe in eum transferre poterat; Jam verò Jus Vitæ ac

tæ ac Necis Servus in Dominum transferre non poterat; Nemo enim vitæ ac mortis ſuæ eſt arbiter, & conſequenter nec Dominus in eo id exercere poteſt. Inſt. *Servos captivitate factos primum in victoris poteſtate fuiſſe, atq; ab eo occidi potuiſſe, ac proinde hoc ſaltem Servorum genus Jus Vitæ ac Necis admittere poſſe.* R. in hos etiam dominis id amplius licitum non eſſe, quia cum victi in eorum poteſtate, concederent, libere illos quidem occidere poterant, optionem tamen eo ipſo victis offerebant, ut vel morerentur vel perpetuo ſervirent, ſicqve tacito veluti pacto ſe obligarunt, alterutrum eorum, quod victi electuri eſſent, præſtandi: Unde quia victi Servitutem elegerant, non potuerunt amplius Jus Vitæ ac Necis in eos prætendere; Id enim foret gemino ſupplicio eandem noxam dilui velle, atque adeo qvia victores ſua ſponte iſto Jure ſemel ceſſerunt, non poterant illud denuò revocare, eiqve ſervum ſubjicere.

IV.

De Uſu *Servitutis Perfectæ* egregia hæc eſt *Busbeqvii* ratiocinatio *Ep: Turc. III.* *Qui apud nos mendicant, apud Turcas ſerviunt, captum uſu membrorum Servum nihilominus Herus alit, nec eſt ita debilitatus quisquam, quin operæ ejus aliquid ſit pretium. Memini me redimere non ignobilem militem Hiſpanum, qui ordines apud ſuos duxerat: Quem cum membris omnibus ex vulneribus debilitatum Turca emiſſet, rationem tamen iniit, quomodo fructum ex eo caperet. Trajecit eum in Aſiam, ubi Anſerum*

Digitized by Google

*rum greges aluntur, quibus paſcendis operas ejus locabat, ex quo non contemnendum lucellum faciebat. Ac neſcio an optimè rebus noſtris conſuluit, qui ſervitutem primus ſuſtulit. Scio ſervitii varia eſſe incommoda, ſed ea commodorum pondere ſublevantur. Si juſta ac clemens & qualem Romanæ Leges præſcribunt, ſervitus præſertim publica, maneret: Non tot fortaſſe crucibus, neq; tot patibulis opus eſſet ad coërcendos, quibus præter vitam & libertatem nihil eſt, quos egeſtas ad quodvis audendum ſcelus impellit: Libertas ſine re non ſemper ſvadet honeſta; Non omnium ingenia inopem ferunt libertatem, nec omnes ita nati ſunt, ut ſe regere, & ſuo arbitrio rectè uti ſciant, melioris ductu atq; Imperio tanquam adminiculo opus habent, nullum alioqui peccandi finem facturi: Ut ſunt quædam beſtiæ, quarum ferocitas ſemper metuenda ſit, niſi vinculis aut robore coërceantur. Hic quidem mens imbecillior autoritate Herili gubernatur, Herus ſervi labore vivit. Turcæ maxima, quà publicè, quà privatim, è ſervitio emolumenta capiunt; Rem familiarem ſervorum operis præclare tuentur, ideoq; proverbio negant eum pauperem videri, cui vel unicus ſervus ſit. Sed & publicè ſiquid moliendum, transferendum, eruderandum aut minuendum ſit, id ſervorum opera & aſſiduitate conſeqvuntur. Nos operum antiquorum Magnificentiam nusquam aſſequimur, quid enim? Manibus deſtituimur, hoc eſt ſervili auxilo: Ut taceam quantum inſtrumentum ſervorum doctrinæ & literæ fuerint veteribus ad omnem ſcientiam adipiſcendam.*

Huc pertinet, quod de mancipiis Turcicis ſæpè redemptis Princeps *Radzivilius* refert *Epiſt. III. Hieroſ.* Peregrin. *Mercatorem quendam* Venetum, *qui* Kairi *multis annis egerat, non dubitanter affirmaſſe, recepticios è mancipiis* Turcicis *vix ad aliquam frugem pervenire, meminiſſeque ipſum 2000. ferè ſervorum ejuſmodi ſuo tempore libertorum; E tanto vero numero vix 50. vel 60. bonos evaſiſſe, reliquos in furta, latrocinia & cædes inclinaſſe, unde & extremo ſupplicio affectos fuiſſe: Nonnulli ex illis addit, quod horrendum eſt, in libertatem vindicati, impio Mahometi nomina dedêre; id quod valde probabile eſt, nam non habentes, unde viverent, neque modum ad ſuos in Europam redeundi invenientes degustatâ libertate, ne iterum in ſervitutem devenirent, hac ratione ſibi proſpectum voluerunt.* Hactenus *Radzivilius.*

V.

*An Servitus perfecta congruat Juri Naturæ aut Chriſtianiſmo* ex hiſce facile conſtabit. Breviter: Quoad *rem ipſam* aliena non fuerit; At *quoad modum*, h. durum illud vivendi genus, cui Servi perfecti apud gentes pleraſque ſubjecti fuerunt, negandum erit; Neque enim alia mancipiis committenda, quam quæ homine digna ſunt. *An pugnet cum Libertate Chriſtiana?* N. Fratres enim æque ſumus, æque liberi, ſed Spiritualiter, unde & non ſocialium ſed ſpiritualium jurium attendenda æqualitas. Ratio abolitionis tamen apud veteres Chriſtianos ipſa hæc erat, quod in communem

munem ſortem beneficio Servatoris redacti ſimus, & omnes æqve fratres redditi: Fratres vero pro mancipiis habere contra omnes humanitatis Leges foret; Fratres enim communione jurium gaudent, qua mancipia prorſus carent. Fratres ergo quia fiebant mancipia, incompatibile videbatur cum hoc principio, ut mancipia manerent. Ideo & in hodierna praxi Servitutis perfectæ apud *Belgas, Portugallos & Hiſpanos* licet Servitutem perfectam extra Remp. reduxerint, communiter tamen in perſonis extra Chriſtianiſmum conſtitutis eam tantummodo exercent.

# CAPUT X.

## De ACADEMIIS.

*I. Scriptores de Academiis. II. Natura Academiarum. III. Privilegia earundem. IV. Ritus Depoſitionis. V. Pennaliſmus. VI. Officium Cancellariatus Academici. VII. Officium Rectoratus: Alia Officia majora in Academiis Angliæ. IIX. Profeſſores Theologiæ: Deſideratum Profeſſoris Pietatis, item Profeſſoris Neceſſitatis. IX. Profeſſores Juris. X. Profeſſores Medicinæ ac Philoſophiæ: Deſideratum Profeſſoris Oeconomiæ. XI. Gra-*

*duum Academicorum Varietas. XII. Doctores Theologiæ. XIII. Doctores Juris. XIV. Magiſtri, Doctores Muſicæ. XV. Series Perſonarum Illuſtrium Gradibus Academicis inſignitorum. XVI. Poëtæ.*

I.

INter Scriptores ad hanc materiem pertinentes indicamus *Matt. Stephani Tr. de Jurisdict. L. III. P. II. Jac. Middendorpium de Academiis, Dan. Angelocratorem Hiſt. Academiarum, Wolfg. Juſtum, Petr Cratepoleum, Dav. Herlicium de Academiis, Franc. Junii Academiam.*

II.

Quoad Nomen vocantur *Academiæ, Univerſitates, Studia Univerſalia, Gymnaſia.* Poſteriora duo nomina cumprimis conſpicua in privilegiis *Imperatoriis & Papalibus.* Secundum maximè adæqvatum videtur ab univerſali ambitu ſcientiarum in Societatibus ejusmodi tractatarum deſumtum. Primum antiqviſſimum eſt. *Stephani Academiam & Univerſitatem* æquiparat, ac utramque à Jurisdictione æſtimat: Recentiori tamen uſu *Academiæ* exercitiorum ſtudiis vel certis Facultatibus deſignandis; *Univerſitates* verò, ſi omnes Facultates æquè doceantur, dici ſolent. *Diſcrimen Academiarum & Univerſitatum* à *Gymnaſiis* Privilegiorum reſpectu minus eſt: Maximum verò eſt reſpectu *Dignitatum conferendarum,* qvarum Jure Univerſitates velut inſtructæ ſunt, ita

ita Gymnaſia carent. An à *Pontif. M.* majorem autoritatem accipiant, qværi ſolet, & *Proteſtantes* negant. Putamus Privilegia *Pontificum M.* indidicio eſſe, Univerſitates ejuſmodi plenis juribus Clericorum frui, cæteras autem ſi à *Pontif. M.* apud Catholicos tale quid non habeant, dubia Clericorum Jura poſſidere. *Univerſitatis* noſtræ *Francofurtanæ Privilegia Alexander VI.* P. M. primo, poſt eum *Julius II.* confirmârunt, iisdemque Matribus Univerſitatibus cæterisque extantioribus in *Italiâ* æquiparârunt: Quod ideò in ſpecie monemus, quod ſingulari curâ opus ſit ad dignoſcenda jura privilegiaque Univerſitatum, illaqve magnam partem inde dignoſci poſſint, ſi cum aliis, quarum mentionem faciunt Privilegia, comparatio inſtituatur.

III.

Singularia *Jura* & *Privilegia*, quibus inſtructæ ſunt Univerſitates imprimis comprehenduntur *Auth. Habita C. ne Filius pro Patre.* Videturq; univerſalis eorum cauſa eſſe, una, qvòd à Studiis in univerſam Rempubl. redundent evidentiſſima commoda: Altera, reſpectu Academicorum ipſorum, qvòd amore ſcientiæ veluti exules fiant, h. e. peregrè tanquam in exiliô voluntariô agant, eoq; non abs re fuerit, illis conferre humanitatis officia. Vid. *Stephani de Academ. cap. II. n. 11. & 13.* Summam Privilegiorum ex *citat. Authent. Habita* idem Stephani ad tria capita reducit (*1.*) *Ne Scholaris injuriâ afficiatur*: Quô comprehendunt, ne

 Stu-

Digitized by Google

Studia ullô modô turbentur, vel ad neglectum perducantur, item ne tributis vel oneribus in peregrinando alibique onerentur. (2.) *Ne ob alterius ejusdem provinciæ delictum ſive debitum aliquod iis damnum inferatur*, ut ait Imperator, h. e. ne repreſſaliis & pignorationibus onerentur. (3.) *De eorum Judicibus*, quos conſtituunt *Rectorem*, loci *Epiſcopum*, & tertio *Præſidentem* illius loci. Vid. pl. *Steph. c. l. c. IIX. IX. X.*

IV.

Inter *Ritus Univerſitatum* antiquiſſimus eſt *Ritus Depoſitionis*, *Ereſchelia* apud Græcos dictus, & in *Athenienſium* Academiâ jam tum uſitatus. Sic enim hujus depoſitionis Scholaſticæ mentionem facit *Gregor. Nazianzenus* in Baſilii Oratione funebri; Excuſantque quicquid ineptiarum intervenit recentiores ſimilibus exemplis aliorum Ordinum: Sic ludum Mercatorium das Garben-Spiel novitios Mercatores Bergæ in Norwegiâ ſubire oportuit. Alia exempla vid. ap. *Steph. C. V. n. 4. & ſeqq.* Et ſimilis ferè excuſatio *Nazianzeni eſt Orat. ant. cit.* cujus integrum textum huic loco inſerendum duximus: *Inſano quodam erga Sophiſtas ſtudio Athenis tenentur quamplurimi & ſtolidiſſimi Adoleſcentes, non modò ignobiles & obſcuri, ſed nobiles etiam & illuſtres, ut qui miſcellanea quadam multitudo ſunt, & Juvenes, & ita effecti, ut eorum impetus vix reprimi poſſint. Quod igitur in equeſtribus certaminibus iis accidere videmus, qui equis & ſpectaculis oblectantur (exiliunt*

enim

*enim, clamant, pulverem in cœlum mittunt, ſedentes habenas moderantur, aërem verberant, equos digitis quaſi ſtimulis in alterum atq; alterum latus ſubinde jungunt; cum nihil horum in ipſorum poteſtate ſitum ſit: Facilè inter ſe aurigas, equos, equorum ſtationes, certaminis duces permutant: Idq; quinam tandem? Pauperes plerumq; atq; inopiâ laborantes, & quibus ne in unum quidem diem victus ſuppetit:) Hoc ipſis quoq; planè circa* Præceptores *ſuos, alioſq; ejusdem artis Profeſſores, eorumq; æmulos accidit, in hoc nimirum elaborantibus, ut & plures ipſi ſint, & illos operâ ſuâ locupletiores efficiant. Atq; ea res vehementer abſurda & prodigioſa eſt. Præoccupantur urbes, vitæ, portus, montium cacumina, campi, ſolitudines, omnes deniq; Atticæ ac reliquæ Græciæ partes, atq; adeò Incolarum maxima pars: Nam & illos in partes & ſtudia diſtractos habent. Cùm autem Juvenis quiſpiam acceſſerit, atq; in eorum, à quibus captus eſt, manus & poteſtatem venerit (venit autem vel ſponte, vel coactus) tum verò Attica hæc illis conſuetudo eſt, luduſq; rei ſeriæ admixtus.* Primum *apud eorum aliquem, qui priores ipſum arripuerint, hoſpitio accipitur, vel qui Sophiſtices artem apprimè callent, ac lucra Magiſtris conciliant, eoq; nomine apud eos in ſummô honore ac precio ſunt: Quandoquidem illis mercedis loco eſt, habere qui ipſorum commodis ſtudeant. Deinde à quolibet cavillis laceſſitur: Quod quidem, ni fallor, eò faciunt, ut novitiorum animos contrahant, atq; à principio ipſos in poteſtatem redigant. Laceſſitur autem, ab aliis audacius, ab aliis*

 *erudi-*

*eruditius, prout ille vel ruſticis & ineptis eſt moribus, vel urbanitate præditus. Atq; id ignaris quidem horrendum valdè & inhumanum videtur, iis autem perquam jucundum & ſuave qui hoc prius nôrunt. Amplior enim eſt hæc minarum oſtentatio, quàm res ipſa. Tum per forum ad balneum cum pompâ deducitur. Pompa autem hoc modô ſe habet. Qui deducendi Juvenis munere funguntur, ordine collocati, atq; æquis ſpatiis diſtincti, bini eum ad balneum antecedunt. Cùm autem propius acceſſerint, quaſi fanaticô furore correpti, clamorem ingentem cum ſaltitatione tollentes (hic autem clamor, ne ulterius progrediantur, vetat, ſed ut inſiſtant, tanquam eos balneum minimè admittat) ſimulq; pulſatis januis cùm per ſtrepitum Juveni metum incuſſerint, poſtea conceſſô ingreſſu, ita demum eum in libertatem aſſerunt, atq; à balneô redeuntem deinceps ut æqualem & ſodalem accipiunt. Atq; hoc ipſis eſt totius hujusce ceremoniæ jucundiſſimum, nimirum ab his, qui moleſtiam exhibent, quamprimum liberari.* Sed mox ſubjicit, *Baſilium* ob ſingularem eruditionem hâc Lege fuiſſe ſolutum: *Nam apud multos ſtatim in veneratione erat, ut qui famâ & auditione jam eum præcepiſſent. Ex quô effectum eſt, ut ſolus ferè ex omnibus, qui ſtudiorum causâ Athenas veniebant, communi Lege ſolutus ſit, majorem utiq; honorem, quàm novitii conditio ferre videbatur, conſecutus.* Similiter in Univerſitate noſtrâ ſingulari Privilegio *Georg. Wilhelmi Electoris Hungari* à ritu hôc abſoluti fuerunt, ratione ſine dubiô ab ætate petitâ.

V. *De-*

*Depoſitionis* intenſior magisque durabilis veluti gradus fuit *Pennaliſmus*, ſingulari ſtudiô *Germaniæ* Principum ob ingentes, quos præ ſe ferebat res iſta, abuſus A. MDCLX. abrogatus. Initiumque *Jenæ* factum eſt, ubi jam antè An. MDCXLIV. occaſione exceſsûs ſingularis Studioſis eôdem interdictum fuit. Videntur tamen aliqua Academiis ex abrogatione ejus nata incommoda ante perſpici non potuiſſe, quæ aliis indicanda relinqvimus. Ludicram & in exceſſum ejus directam diſceptationem exhibet in *Amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Dornavius tit. de Pennaliſmo*, aliamve ibidem de *Beaniſmo*. *Pedantiſmum* ſingulariter exagitat Satyricus Gallicus *Francion*, & ante eum Scriptor Latinus de *Pedantiſmo, abuſuq; Magiſtrorum docentium*.

VI.

*Officiorum Academicorum* primum eſt *Cancellariatus*, ad quem pertinet publicum totius Univerſitatis regimen, cognitio cauſarum Capitalium, Promotio ad Gradus, cura Jurium, Commodorum & Incrementorum Academiæ. Idem in plerisque Univerſitatibus Germanicis *Natus* eſt, h. e. certo Epiſcopatui alligatus: Cujus ratio, quia Univerſitates hujusmodi Cathedris Epiſcopatuum inſertæ, unde Epiſcopis tam lege Diœceſana, quàm Jurisdictionis, ſalvô tamen Jure Patronatûs ſubjectæ ſunt. Sic *Epiſcopi Sverinenſes* fuerunt *Cancellarii Nati Acad. Roſtochienſis*; *Epiſcopi Caminenſes Acad. Gryphiswaldenſis*, *Epiſcopi Lebuſiani*

*ni ſeu Lubucenſes Academiæ Francofurtanæ*: Quibus extinctis cum Jus Sacrorum ad ipſos Sereniſſimos Principes noſtros tranſiiſſet, Glor. Memor. Princeps JOACH. FRIDERICUS Cancellariatûs Jura proſeqvenda ſuſcepit, ac tandem Electoratui inſeruit, quæ & Sereniſſimi Succeſſores Ejus eodem nomine ſibi reſervarunt. Und weil eherzeit die Erkäntniß in peinlichen Sachen über einem Studenten dem Biſchoff zu Lebuß als Cantzlern der Univerſität zugeſtanden: Deſſen Recht aber ſeithero auff Uns kommen / und in Unſerer und nachkommenden Churfürſten zu Brandenburg Perſonen conſolidiret: So können wir auch ſolche cauſæ cognition wie auch die Beſtraffung der Maleficanten ſonſten niemande einräumen: Sondern ſolches alles ſtehet allein bey Uns. *Receſſ. Elect.* de A. MDCXVII. Vid. *Memoranda Francofurtana noſtra Notic. Univerſ. cap. III. §. I.*

VII.

A *Cancellariatu* proxima eſt *Rectorum* Dignitas, quorum partes ſunt, ut prudenter ac ſedulô Res Univerſitatis & Membrorum ejus curent ac tueantur; iisdem jus dicant, reditus fideliter expendant, Statuta & Statuenda ſervent, Decreta Concilii diligenter exeqvantur, omnibus hiſce non affectus, ſed rationem afferant, ac denique ad eandem reddendam ſe ſuperioribus ſuis obſtringant. In Angliâ *Vice-Cancellarii* vocantur, à Cancellariô ex Collegiorum Præfectis quotannis nominandi. Eorum munus eſt: Cancellarii abſen-

abſentis vices gerere: Unde quicquid de Conſvetudine vel Statutis Univerſitatis Cancellario, cum præſens fuerit, permittitur, hoc in ejus abſentiâ, niſi in majoris momenti negotiis, à Vice-Cancellario fieri poteſt. Ipſorum etiam eſt proſpicere, ut Conciones, Prælectiones, & Diſputationes, cæteraque Exercitia debitè peragantur: Ut Delinquentes inquirantur & puniantur: Hæretici & Schiſmatici procul à finibus Univerſitatis amandentur. Ut Procuratores, & alii Officiarii & Miniſtri muneribus ſuis ſedulò fungantur: Ut bona communia Univerſitatis, & ſcripta monumentaq; fideliter conſerventur: Ut Curiæ & Tribunalia debitè celebrentur; Litesqve ſine dilatione audiantur. Ut annua Prætoris & Oppidanorum, ut & Vice-Comitis Juramenta Univerſitati præſtanda, exigantur. Deniq; ut quæ ad honorem Univerſitatis, & utilitatem communem & profectum Literarum conducunt, omni Studio procreentur & expediantur. Suntqve præterea ibidem *Seneſchalli*, *Procuratorum duorum*, & *Oratoris publici* Officia. *Seneſchallus* à Cancellario per literas, totius Univerſitatis autoritate comprobandas, ad terminum vitæ deſignatur. Ejus Munus eſt, Jura & Libertates Univerſitatis tueri, Cancellario ejusve Vice-Cancellario, ac Procuratoribus, in executione Munerum ſuorum, ad eorum reqviſitionem aſſiſtere. Cauſas capitales, ad Cancellarii Mandatum, ſecundum Jura Regni, & Privilegia Univerſitatis audire ac terminare. *Procuratores*

*res duo* per vices Collegiorum annuatim eliguntur. Eorum Munus eſt, Negotia Univerſitatis Rationesque procurare: In ſcrutiniis vota ſuffragantium exigere. In Gradibus conferendis Juramenta excipere. Exercitiis & actibus Scholaſticis intereſſe. Noctivagos diligenter inveſtigare. In ſingulos Statuta & Privilegia violantes, inqvirere & animadvertere. *Oratoris publici* officiô incumbit, Literas & Epiſtolas ex Decreto Convocationis, vel etiam Congregationis, qvoties opus fuerit, conſcribere, & eaſdem in Domo palam recitare. In Receptione Principum, Procerum & Magnatum, Academiam inviſentium, nec non in quâcunqve aliâ occaſione ſolenni, cum Vice-Cancellario expedire videbitur, Orationes Tempori & Occaſioni accommodatas habere. Vid. *Notic. Acad. Oxon. de A. MDCLXVI. c. V.*

IIX.

De Officiis Profeſſorum notamus: *Profeſſores indeque Doctores Theologiæ* antehac *Magiſtros* dictos. Conf. *Med. Pol. Cap. XVI. §. VI.* Inter *Deſiderata* eſt, Profeſſores Pietatis necdum in Academiis Theologis annumeratos, cujuſmodi Profeſſionem, quam neceſſariam judicet, utque eandem inſtructam velit, ſingulari diſcurſu expoſuit *Vechnerus* Prof. *Theol. in Gymnaſ. Bethan. Sileſior.* Autumat nimirum quia hodierno ſeculo ſcientia qvàm conſcientia, veritas qvàm pietas, argumentatio qvàm vitæ emendatio ſit in Scholis ſpectatior, præter vulgatam Profeſſionem Theologicam, qvæ

Digitized by Google

qvæ in veritate ſecundùm pietatem docenda occupetur, talem diſtinctim ſanciendam eſſe, qvæ animum ejusmodi documentis inſtruat, ut bonitas præceptionum Theologiæ verarum cognoſcatur evidentius, atque perſpiciatur: Qvæ etiam modis docendi ejusmodi utatur, ut qvaſi ineſcatione directioneqve qvâdam affectus rapiatur atque trahatur ad ſtrenuum pietatis exercitium, ne in veritatis tantùm cognitione animus acqvieſcat. Huicqve aſſimilamus *Joh. Amos Comenii* deſiderium, qvô *Profeſſorem Neceſſitatis* conſtitui optat: Si Academiæ morem receptum (Profeſſiones ſecundùm Facultates, *Philoſophicam, Medicam, Juridicam, Theologicam*, diſtribuendi) retinent, bonum eſſet addi ubiq; Profeſſorem *Neceſſitatum* ſeu *Frugalitatis*: Qvi publicis Lectionibus privatisqve exercitiis, *quantum ſit quô carere poſſunt homines*, ſapienter doceret. Sicut & *Eloquentiæ Laconicæ Profeſſorem* inſtitui, qui Juvenes manu potius qvàm lingvâ eſſe promptos doceret; *Aſiaticique* multiloquii vanitatem dedoceret, admodum eſſet utile. Nam & hoc divinæ *Chriſti* ſapientiæ pars eſt, ſcire, tacere, ſolaqve neceſſaria loqvi; ſ. Deum alloquimur ſ. homines (*Matth. VI. 7.*) Grave qvippe judicium pro qvovis otioſô verbô, etiam unicô, à vivorum & mortuorum Judice denunciatum eſt XII. 36. *Tr. Un. Neceſſar. Cap. VII. §. XXVII.*

IX.

*Profeſſores* Juris in ſpecie *Anteceſſores* item

*Anti-*

*Antiſophiſtæ*, & *Sophiſtæ* dicti, præter qvos erant *Studioſi ſive Candidati*, & alii deinde *JCti ſ. Juris autores*. *Anteceſſorum* nomen relativum eſt, reſpectu *ſectatorum*: Ut enim ſine Magiſtro nullus appellari poteſt diſcipulus, nec ſine diſcipulo Magiſter, ita nec ſine ſectatoribus Anteceſſores, nec ſine Anteceſſoribus ulli fuerunt Sectatores. *Anteceſſores* itaque dicti, qui Juris ſcientiam interpretabantur; Studioſi verò qvi aſſidebant: *Juris-Conſulti* qvi populo autoritate principali de Jure reſpondebant. Vid. *Revard. L. II. Conject. c. X. de Jurisperitis*. *Profeſſio Juris Gentium* antehac inter deſiderata fuit, nunc vero in aliquibus locis in uſum vocari cœpit, reſtatq; ut univerſalis Profeſſio fiat in omnibus Univerſitatibus.

X.

In *Profeſſoribus Medicinæ* Germaniæ noſtræ adhuc induci optamus Profeſſionem *Practicam*, ut Tirones ſimul Medicis ad ipſos ægrotos ducantur, ibiq; de applicandis Profeſſionis ſuæ præceptis ratiocinari diſcant. In Profeſſionibus Philoſophicis, ne ſingularum vitia examinemus, deſideramus *Profeſſorem Oeconomiæ*, qui non terminis aliquibus generalibus, ſed ipsâ Praxi Studioſos informet, & ad futuram rem domeſticam præparet, poſſentque commodiſſimè omnium huic muneri præfici *Quæſtores Univerſitatum*, cum hi ordinarie rei *Oeconomicæ tractandæ* in Univerſitatibus adhibeantur. Sed inter deſiderata hæc Profeſſio fuit, ex quô Academiæ fuerunt, & futura

eſſe

eſſe videtur, donec Academiæ futuræ ſunt. Cujus cauſa in nimiô amore noſtri ipſorum ſita eſt, qvi dum ruſticum aut alium ex fæce vulgi domeſtica tractare videmus, imaginamur nobis, nos qvippe dignitate illô ſuperiores, ſimilia etiam ſine doctrinâ effecturos; unde tot diſpendia, nataq; nimium tenuis ſupellex apud magnam partem Eruditorum.

XI.

Dignitates Academicæ tribus conſtant gradibus, Infimo *Baccalaureatu*, Medio *Licentia* & ſupremo *Doctura*. Infimus eorum eſt, qvi Locorum Communium, ut vulgo dicuntur, & primarum Inſtitutionum gnari ſunt. His *Baccalaurea* Symbolum Honoris tradebatur, olim *Apollini* & *Muſis* ſacra & ex ea dicti Baccalaurei. Medius *Licentiatorum* eſt, h. qvi in Facultatis Suæ ſtudiis tantos progreſſus fecerunt, ut idonei judicentur, qui poſſint gradum ſummum Facultatis, qvando id ipſis commodum videtur, capeſſere: Horumq; capiti olim imponebatur Laurea, Libertatis index, quam Licentiam dixere, eo quod Libertatem in Facultate ſua docendi & agendi ita adipiſcerentur. Summus denique eſt *Doctorum* Gradus; qvi plenam Eruditionem ſuam ita probaverunt, ut digni pronuncientur, qvi palàm doceant & exerceant illa quæ ad Facultatem ſuam ſpectant, omnesqve honores, beneficia & commoda obtinent, quæ Viris Doctis & bene meritis iſtius Facultatis competere poſſunt. Vid. plur. *Jun. de Academ. c. V.*

XII.

XII.

Doctoratum *Theologiæ* ſine peccato aſſumi poſſe probat *Navarrus T. I. f. 366. 367.* Confer. *Sarav. de diverſ. Grad. Miniſt. Evang. c. XXVI.* *Innoc. Gentilletus Exam. Conc. Trid. L. I. c. V.* ſcribit circa A. MCCXV. primo natum & autoritate *Concilii Lateranenſis ac Honorii III. P. M.* confirmatum fuiſſe. Sed citatus ab eo *Canon XI.* non de Doctura, ſed de Functione Theologica generaliter loqvitur. *Sane Metropolitana Eccleſia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam Animarum ſpectare noſcuntur.* At Theologi docentes conſtitui poſſunt etiamſi Doctores non ſint: Ne dicamus jam ante illa tempora Doctores Theologiæ fuiſſe, licet Magiſtrorum nomina appellatos, qvod alibi probatum.

XIII.

Docturam *Juris* attinet famoſa illa tempore *Friderici III.* facta propoſitio *de eliminandis Juris Doctoribus*, cui Juris Interpretes jam multoties reſponderunt: Nunquam promulgatam fuiſſe, neque ob certiſſima incommoda promulgari potuiſſe: Immo ne veniſſe qvidem in numerum Legis alicujus, ſed civitatis unius propoſitionem tantum fuiſſe. Recenſetur ab inviſo alias Scriptore *Hyppolitho à Lapide Præf. de Rat. Stat.* ex *Goldaſti* Reichs-Satzungen *p. 161.* Sed niſi fallimur, *Goldaſti* iſte locus nihil horum habet, atq; ſi ex abundanti adjecerimus Lutheri verba ex Concione, daß man

die

die Kinder zur Schulen halten ſolle. *T. V. Jen. f. 179. & ſeqq.* pleniſſimo Reſponſo *Hyppolithum* dimiſiſſe videbimur. Zehle doch / wie viel ſeyn Könige / Fürſten / Grafen / Herren / Stäte und Flecken / wo will man über drey Jahr doch gelehrte Leute her nehmen / ſo allbereit hin und wieder der Mangel anhebet? Ich halte warlich Könige müſſen Juriſten / Fürſten müſſen Cantzler / Grafen und Herren müſſen Schreiber / Bürgermeiſter müſſen Küſter werden / ꝛc. Und was iſt ein Keyſer / König / Fürſte ſelbſt / wann ſie nicht kriegen / ſondern mit dem Rechte regieren / dann viel Schreiber oder Juriſten / ſo man nach dem Wercke davon redet? Dann ſie gehen ja mit dem Rechte umb / welches iſt ein Juriſtiſch und Schreiberiſch Werck / und wer regieret Land und Leute / wañ Friede und nicht Krieg iſt? Thuns die Reiſigen oder Feldhauptleute? Ich meine ja es thue es die Schreibfeder. *Trajanus Boccalini* etiam Doctoræ huic ſæpe iniquior eſt, ideo refert *Relat. LXXXIII. Cent. I. Doctores Juris Edicto Regis* Hiſpaniæ *probibitos fuiſſe navigatione in Americam, præterea in Civitatibus* Italiæ Anconæ, Norciæ, Recanati Senatu excludi. Sed *Boccalini* ſæpe in integras Nationes qvoqve licentius effunditur. Calumniantur homines ut odere. In *Hiſpanos* idem ſæpe iniqvior fuit; Sed *Chifletius* rationem reddit, *Virum, quod intolerandum ejus acerbitatem Nobilis quidam* Hiſpanus Romæ *colapho inflicto caſtigaſſet, cum virtute id vindicare non potuiſſet,* Venetias *ſeceſſiſſe & contra Hiſpanos Lapidem Lydium edidiſſe.* Tennevr. Expenſ. c. V.

## XIV.

*Magiſtrorum* Titulus notum Summi in Philoſophia Gradus ſignum eſt. Eoſdem Doctores dicendos non abnuerim, niſi trium ille literarum Tyrannus, Mos, hoc nomen Theoligicæ, Juridicæ ac Medicæ Facultati fortius alligaſſet. *Muſices Doctores* tamen in *Anglia* habentur, qui non alii quam Magiſtri, neqve ab alio qvam Philoſophiæ Profeſſore creantur. Cur contemptiùs ſubinde habeantur Magiſtri, non abuſui cuidam, (hic enim omnes Facultates æq: habet) ſed faſtui ſeculi tranſcribendum; Addideris, homines nunc non virtutem ſed opes venerari; Gradus hic enim nulla notabili vi opum apud nos ſplendet: Et è contrario *Anglorum* & *Catholicorum* Magiſtri magis honorantur; His enim gradus iſte ad pingviorem fortunam acceſſum parat. Lutherus certe ambitioſum iſtum cum contemptu alterius eminendi appetitum valide improbat, cujus verba, veluti pro *JCtorum* Dignitate, ita pro hoc etiam ordine merito noſtra facimus. **Ich muß aber mein Handwerck auch einmahl preyſen/ weil mir die Nachbarn ſo übel gerathen ſind/** und veracht will werden/ gleich wie auch S. Paulus ſein Ampt immerdar preyſet/ daß etliche meynen Er thue zu viel und ſey hoffärtig ꝛc. Denn es gefallen mir die Juriſten und Schreiberlinge auch nicht/ die ſich alſo loben/daß ſie andere Stände verachten oder ſpotten/ als wären ſie alles alleine/ und tüchte ſonſt nimand in der Welt/ denn Sie ꝛc. Man ſoll alle Stände und

Wercke

Wercke GOttes auffs höchſte loben / als man immer kan/und keines umb des andern willen verachten: Denn es ſtehet geſchrieben / Confeſſio & magnificentia opus ejus. Was GOtt macht/ das iſt hüpſch und fein/ und abermahl Pſ. 104. GOtt gefallen dieſe Wercke wol. Und ſonderlich ſollen Prediger den Leuten und Schulmeiſter den Knaben / und Eltern den Kindern ſolche Gedancken von Jugend auf einbilden/ daß ſie wol lernen/welche Stände un̄ Aempter Gottes heiſſen/oder von Gott geordnet ſind: Wañ Sie es dann nun wiſſen/ daß ſie ja keinen verachtē/ ſpotten/noch übel davon redē/ ſondern alleſampt ehren und herrlich davon halten: Das gefället GOtt wol / und dienet zu Friede und Einigkeit/ **denn GOtt iſt ein groſſer HErr/hat mancherley Hauß-Geſinde.** *cit. T. V. Jen. f. 180.*

XV.

Gradus hoſce Academicos non dedecere Perſonas *genere Nobiles* ſingulari Diſcurſu evicit *Arnoldus à Reyger*; Ipſoq; facto ſuo id comprobarunt *Johannes Dux Megapolitanus*, cognomine *Theologus*, in Academia Pariſienſi enim Docturam Theologicam publicè ſuſcepit, *Hermannus Haſſiæ Landgravius* in Academia Pragenſi ſolenniter *Magiſter* creatus, *Lupoldus de Bebenburg* Nobilis Francus primusq; Germanorum J. U. Doctor, & innumeri poſt hos alii, quorum ſeries exhibita ab *Herm. Kirchnero Or. de Ill. Familiæ Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus in Academiis ſuperioribus ſeculis Magiſtris ac Doctoribus promotis.* Apud nos vero nunc id fieri deſiit; Ratio enim expi-

expiravit, qvæ illos olim movere poterat, fruendi nimirum Præbendis aliisq; reditibus Eccleſiaſticis, quibus plerumqve reqviſita Gradus Academici conditio annexa erat: Qvæ cauſa etiam, cur Gradus hi apud Catholicos adhuc in veteri honore ſuo perſtent, & Perſonæ illorum Illuſtres eos non ægre admittant.

XVI.

Poëtarum Coronationem Analogam Gradibus Academicis dixeris. *Senatus Romanus* deſvefactũ ab aliqvot ſeculis hunc ritum A. MCCCXLI. revocavit *& Franciſcum Petrarcham* magna Populi freqventia & acclamatione in Capitolio manu *Urſi Angvillaria Comitis* & *Jordani de filiis Urſi Romanorum Senatorum Laurea donavit, quam ille deinceps ingenti Nobilium pompa comitatus tholo & umbilico teſtudinis Templi Petri appendit.* Vid. *Lil. Gyrand. de Poët. Hiſt. Dial. 1. p. 16. Stephani de Jurisd. L. II. P. I. c. VI. membr. 1. §. 91.* In Germania noſtra primus *Poëta Laureatus* fuit *Conradus Celtes*, idemq; Collegii Poëtarum *Viennenſis* conſtitutus primus Director, vi Privilegii Imp. *Maximiliani I.* dati A. MDI. pr. Cal. Nov. Plura vid. ap. *Selden. de Tit. Honor. p. II. c. I. n. XLII. XLIII.*

# CAPUT XI.

## *De*

# REPUBLICA.

*I. Sibi-Sufficientia Reipublicæ pluribus illuſtrata: Exigui-*

Digitized by Google

*II. Exiguitas Rerumpublicarũ in Hiſtoria Sacra antiqua: Abraham Princeps vocatus: Jacobi Patriarchæ conqveſtus: III. An expediat univerſo Humano Generi in unam Rempubl. redigi? IV. Protectoratus Rerumpp. quid importet? Exempla: Protectio Civitatum Hanſeaticarum à Magiſtro Ordinis Teutonici ſuſcepta: Protectio apud Veteres Romanos: Protectio Eccleſiaſtica hodiernorum Cardinalium: V. Remp. eſſe poſſe ſine Societatibus minoribus: De Amazonum Republica: VI. An in prima hominum paucitate Urbe Opus fuerit? An Tencteri ſufficientem cauſam habuerint conterraneis ſuis muros in ignaviam vertendi? Invectiva Jacobi R. in amplificationem Londini. VII. Cur Turcæ remotiores Provincias deſolentur? Barbarorum rationes licet ingenioſæ videantur, connexione tamen cum Statu Humano carent.*

I.

SIbi-*Sufficientiam* præbere primum conceptum Reip. in eo porro claret, quod Societas quantacunque ſit, Reſpublica non ſit, niſi Sibi-Sufficientia inſtructa ſit; Et è contrario Reſpp. veteres omnes, qvas interiiſſe ſcimus, tunc deſierunt, quando *Sibi-Sufficientia* ſua excidere. Sic *Græcia* periit, *Carthago*, aliæve Reſpublicæ: Non enim deſierunt in tractibus illis

homines eſſe, ſæpe etiam numeroſus populus manſit; Et *Græcia* hodienum ſine Incolis non eſt, at *Sibi-Sufficientiâ* quia caret, nomen Reip. non amplius habet. *Ordo Imperantium & Parentium* qvoqve manet in ejusmodi locis, & tamen Reip. titulo exciduut; Imperium enim incolæ tunc æq; accipiunt; parent etiam; non tamen ſuæ Reip. amplius, ſed alienæ. Atqve eadem Reipublicæ *Sibi-Sufficientia* etiã ab *Ariſtotele* agnita *III. Pol.c.I.* quod ita concludit: *Civitatem autem dicimus talium hominum* (h. Civium) *multitudinem tantam, quanta ſatis ſit ad copiam plenam ac refertam, nihilq; foris requirentem rerum ad vitam degendam neceſſariarum.* Neqve aliud extra idem loqvitur Nobiſe iſtud Prædicatum Principum, qvo Vicarii Divinæ Majeſtatis eſſe dicuntur: *Divina Majeſtas enim velut Sibi-Sufficientiſſima eſt, ita Reſpubl. & Imago ejus eo ipſo, dum ſuo modo Sibi-Sufficiens eſt, Divinæ Poteſtatis ſimilitudinem refert.* Qua de re pluribus actum *Cap. XII. §. III.*

II.

Reſpublicas Veteres in Sacris enumeratas valde exiguas fuiſſe inter alia ex prælio conſtat, quod *Abrahamus* cum qvinqve Regibus Victoribus commiſit *Gen. XIV.* Feliciter enim ſuccedebat ipſi negocium, licet CCCXIIX. militibus tantummodo inſtructo, nec miraculo aliqvo id factũ Sacer Codex uſpiam meminit, qvi alias victorias miraculo Divino obtentas ſolicite paſſim inculcat: Unde colligimus, humanis viribus par fuiſſe negocium,

gocium, eoq; nec magnum victorem exercitum, nec magnos etiam iſtos Reges; Accedit qvatuor Reges victos exiguis limitibus comprehenſos fuiſſe, nec niſi urbium & Titulo & Terminis diſtinctos. Ipſi qvoqve *Chetæi Abrahamum* titulo Principis dignantur, h. viri ſui Juris, & phraſi noſtra, Patrisfamilias αὐτονόμου. *Audi nos, Domine, Princeps Dei Tu inter nos, nemo ſepulcrum occludet Tibi. Gen. XXIII. 6.* Et *Jacobus* ſingulari teſtamento portionem Terræ legat *Joſepho* filio, qvam dicit ſe Jure Belli *Amorrhæis* ademiſſe *Gen. XLIIX. v. 22. Ego itaq; do Tibi partem unam ſupra Fratres tuos, quam cepi è manu Amorrhæi gladio meo & arcu meo.* At Jure Belli aliqva adimere nemo poteſt, niſi qvi ſummam poteſtatem habet. Idem claret in Hiſtoria *Belli Cananitici* à *Joſua* geſti, qvo Reges XXXI. leguntur cum *Joſua* conflictati fuiſſe & cecidiſſe, certo exiguitatis Territorii ipſorum indicio; Ipſa enim *Palæſtina* minori continetur ſpacio. Iterumqve novum argumentum hujus rei præbet diſcurſus *AdoniBeſeci* Regis *Hieroſolymitani Jud. I. v. 7.* qvo enarrat ſe LXX. Reges ſibi obnoxios feciſſe, qvod itidem non aliter accipi poteſt, qvam de totidem Patribusfamilias majoribus. Erat enim è reſiduis à conqveſtu Iſraelitico *Palæſtinæ* Regulis, qvorum ſtatum non in magnis, multo minus magnarum gentium victoriis, ſed mera conſervatione ſui conſtitiſſe & progreſſus armorum Iſraeliticorum, & dictamen Divinum, ut ſupereſſent tantum, qvi tentarent Iſraëlitas indicat



Digitized by Google

*Jud. III.* 1. Sicqve cum antiqviſſimis Rebuspp. *Italiæ* & *Græciæ* res etiam ſe habuit, qvas eodem numero, qvo urbes, & illæ qvidem ſæpe exiguæ, veniſſe ex utriusq; Gentis Scriptoribus patet.

III.

*An Reſpublica ad tantam amplitudinem evehi poſſit, ut univerſale aliquod Imperium inde ſurgere queat, vel an univerſum humanum genus in unam Rempublicā redigi poſſit exhibuimus Cap. de Quarta Monarch. §. VI.* rati, nec unum ingenium tot gentibus par eſſe poſſe, nec optandam eſſe tantam Imperii amplitudinem, ob numeroſas rebelliones paſſim occurſuras. Ideo & *Tiberium* Imperii proferendi incurioſum, inter *Auguſti* Conſilia vero repoſitum legimus: *Coercendum eſſe intra certos limites Imperium.*

IV.

*Protectoratus*, qvo Principes aut Respp. majores alias Respp. minores reſpiciunt, non alio modo ſe habet, qvam Curatorum munus; E qvo veluti Curatori in perſonam curæ ſuæ commiſſam nihil Imperii aut Juris accreſcit, ita nec ex Curatela iſta Protectori aliqvod Imperium naſcitur. Confirm. Protectores ejusmodi enim Jure Repræſentandi Respp. haſce carent, ſed ſunt tantum Imago Imaginis, h. repræſentant eos, qvi Jure Repræſentandi Remp. fruuntur, unde iterum Curatoribus ſimiles erunt, non Rerumpp. Dominis. Qvodq; terminos hic adhiberi oporteat intentioni ipſarum Rerumpubl. reſpondentes, agno-

Digitized by Google

agnoſcendum hic porro erit, munus hoc Protectorium non aliud, qvam indubitati auxilii ferendi genus eſſe; Auxilio enim ob metum majoris egemus; Et vero Reſpp. minores ob metum Protectores ſibi conſtituunt. E. Protectores hi non niſi auxiliares ſunt Rerumpp. E qvo iterum ſeqvitur, ipſos Imperio in Remp. carere: Cauſa, qvia nonniſi auxilio ferendo deſtinantur, non reliqvo apparatui rerum in Republ. gerendarum, & conſequenter partem Reip. gerunt, non autem totam repræſentant. De *Genevenſis ac Genuenſis* Reip. exemplis jam dictum *in Meditat. Polit. Lucæ* qvoqve Regem *Hiſpaniæ*, & *Helvetios Comitatus Burgundici* protectionem gerere ex Sprengero cõſtat *Font. I. P. c. XXIV.* Ordines *Belgii* ita in protectione ſua Civitatem *Embdam* habent. Et inprimis celebre exemplum eſt receptarum in Protectionem à Magiſtro Ordinis Teutonici Civitatum Hanſeaticarum apud *Cranzium: Placuit tum communi conſilio Legationem ſolennem facere in Pruſſiam, ut interpelletur Magiſter Ordinis Teutonicorum ſublimis ad habendam intelligentiam cum Urbibus memoratis, cenſereturq; Protector earum ad Juſtitiam, qvod in diverſis locis Mercatores eorum premerentur ab Jure & Juſtitia ſua. Miſſi ſunt Colonienſis, Lubicenſis, Hamburgenſis, Gedanenſis Proconſules ſolenni comitatu exceptiq; magnifice audiuntur: Placide illis ad omnia reſpondetur. Non recuſavit Magiſter tantæ communionis juſtam defenſionem excipere, gaviſus honore delato: Fœdera ineunt*

*ad certam formulam, quæ literis invicem datis roborarentur. Placuitq; ut idem ſublimis Magiſter Principibus, in quorum finibus ſunt Emporia, ſuper iis quæ juſtis querelis Mercatores deferebant, ſcriberet, mitteretq; ubi opus eſſet Oratores.* Vandal. *L. XI. c. XXXIV.* In Imperio noſtro *Heilbrunna, Svinfurtum, Spira, Wormatia* ſub Protectione *Electoris Palatini ſunt; Reutlinga & Eslinga* ſub Ducibus *Würtenbergicis, Wezlaria* ſub *Landgraviis Haſſiæ, Northuſa & Mülhuſa* ſub *Electore Saxoniæ*: Quam etiam *Erfurtenſes* ab eo accepere, ſoluta quotannis in Feſto *Purificationis Mariæ mille & qvingentorum florenorum penſione*; Hoc interea ampliori cum Titulo ſibi Jus illud vindicante; Subjectionis nimirum licet liberius habendæ: *Erfurtenſes in omnibus quæ commodum & favorem habent, Subditis propriis & plenariis Principum pares factos, in oneribus tamen determinationem impetraſſe, ultra quam, quod ad urbem attineat, obligatos non eſſe.* Vid. *Jus Protect. Saxon. in Civ. Erfurt. p. 9.* E veteribus huic Protectoratus generi ſimilis eſt illa Clientelæ ratio, qva certarum partium Reip. clientela à certis perſonis geſta legitur. Sic Gens *Marcellorum* apud Romanos Clientelam *Syracuſarum, Antonii Bononienſium*, alii aliorum præſidium ſuſcipiebant, cum hoc tamen reſervato, qvæcunqve moriens in urbe peregrinus poſſideret, ea Patronus caperet jure Applicationis. Vid. *Bodin. de Rep. L. I. c. VII. num. 67.* Talisque pene noſtro tempore & *Cardinalium* functio, qva ſinguli ſingula-

gularum Rerumpp. Catholicarum *Protectores* haberi volunt, h. qui negocia earum in Aula Romana proponunt & Beneficiorum vacantium & concedentorum vigilem curam gerunt. Hi fuere A. MDCLX. Cardin. *Colonna* Protector *Imperii* & *Arragoniæ*, *Joh. Carolus de Medicis* Protector *Hiſpaniæ*, Card. *d'Eſtre Galliæ*, Cardinalis de *Sancta Cruce Poloniæ*, Cardin. *Franc. Barbarini Hiberniæ. Spreng. Nov. Rom. L. II, c. IV.*

V.

Exempla Reip. *Romanæ* Veteris & Reip. Eccleſiaſticæ hodiernæ Catholicorum docent. I. Ad Eſſentiam ſ. Naturam Reipublicæ Societates minores non pertinere, idque in Republ. Romana inchoata manifeſtum eſt. II. Remp. qvoque conſervari poſſe ſine Societatibus hiſce ea comprehendendis, qvod ex Rep. Eccleſiaſtica Catholicorum conſtat. Unde ſi objiciatur: *Reſp. ſine Societate Conjugali & Paterna conſervari non poſſe.* R. I. Conſervationem non pertinere ad naturam rei; Sic enim alimenta conſervationem noſtram promovent, ad naturam noſtram vero nihil attinent. II. Si Societates hæ conſervationi neceſſariæ ſint, eas tamen neceſſarias, non eſſe in Rep. ſed extra eam manere, ita tamen ut Reip. qvod poſſunt conferant, quemadmodum aër etiam extra nos eſt, conſervationi noſtræ vero quod poteſt adjicit. Atque veterum *Amazonum* Reſp. quoque hic in numerum veniet. Quæ ſi tales extitere, quas vulgo perhibent, veram, licet tantum mulie-

muliebrem, conſtituêre Remp. Opinamur tamen in dubio adhuc eſſe, an tota Reſpublica muliebris fuerit: Nam licet muliebre Imperium fuerit, non tamen ideo opus erit, ut tota Reſp. muliebris eſſet, cum mulier viris æque ac fœminis imperare potuerit. *Strabo* certe omne id, quod de *Amazonibus* vulgò perhibent, in dubium vocat: *De Amazonibus eadem & nunc & antiquitus traduntur prodigioſa & à fide procul remota. Quis enim crediderit mulierum Exercitum, aut Civitatem aut Gentem conſtare abſq; viris poſſe? Ac non conſtare modo, ſed expeditiones etiam feciſſe in aliorum ditionem, ac non vicinam modo ſubegiſſe, & uſq; ad eam, quæ nunc eſt Ionia progreſſum, ſed & trans mare ad Atticam uſq; copias emiſiſſe: Perinde enim hoc eſt, ac ſi quis diceret, viros ea tempeſtate mulieres, mulieres viros fuiſſe. Georg. L. XI.* Summa eo recidit, non Societates Minores tantum, ſed ſingulos extra Societatem quoque conſiderari aptos, quatenus uniuntur communi deſiderio *Sibi-Sufficientiæ*, conſtituere materiam Reipublicæ.

VI.

Prima *Urbium* mentio fit *Gen. IV. 17.* Earundemque origo ad *Cainum* refertur: Ipſum urbem condidiſſe. *An in tanta hominum paucitate urbe opus fuerit*, quærit *Auguſtinus de Civ. Dei. L. XV. c. VIII.* & reſpondet affirmando; Sed paucitas quos moveat, eos parum conſiderare dicit, *non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, Scriptorem Sacræ Hiſtoriæ neceſſe habuiſſe nominare, ſed eos ſolos,*

*los,*

*los, quos operis ſuſcepti ratio poſtulabat*: Cui declarando addimus: S. Codicem non recenſuiſſe totam progeniem humanam, ſed tantum ejusdem capita, ſeu Familiarum Conditores. Ut proinde etiam *Cainum* ad condendam urbem movere potuerint. I. Ratiocinia meliorum commodorum, quibus humanæ vitæ conſuleretur. II. Metus: Quia enim exilium perpetuum divinitus ipſi inflictum erat fratricidii cauſa, merito metuere potuit Fratres Fratrumque Liberos ultionem *Abeli* ab ipſo interfecti petituros. *An Tencteri* ap. Tacitum *ſufficientem cauſam habuerint muros Conterraneis ſuis in ignaviam vertendi*, merito dubitamus. Non enim ſola defenſio, ſed quæcunque commoditas melior urbibus cauſa extitit. Fortis autem ille demum eſt, qui res viribus humanis pares ſuſtinet: Illa quæ ſupra nos ſunt ſuſtinere aut aggredi velle non fortitudinis, ſed audaciæ genus eſt; Ideo nec fortem dixerimus, qui tempeſtatum injurias, procellas ſimiliave de induſtria ſubit ac ſuſtinet, res enim ſupra nos poſitæ ſunt: Hujusmodi igitur aliave ſi declinare voluerunt incommoda, non ideo ignavi eſſe cœperunt, aut fortes eſſe deſierunt, ſed tantummodo declinarunt id, quod viribus ſuis majus erat. Contra amplificationem *Londini* ſui ac principem cauſam ejus *Jacobum* Regem Angliæ Oratione ad *Parliamentum* habita ita invectum legimus: *Viri Generoſi, quibus in urbe nihil rei eſt, Fœminarum ambitione eo trahuntur, mariti ſane ut uxoribus, parentes ut filiabus*

*filiabus gratificentur. Nec enim niſi Londini novam & tranſmarinam veſtium formam invenire eſt. At Londini ſi innuptæ ſunt, nuptiarum ſpem evertunt; Si nuptæ famam & maritalem cenſum. Mos Italorum obtinuit, Neapoli præſertim, quæ è ditiſſimis urbibus una eſt, ut Viri Generoſi aliiq; permulti relictis agris in urbes migrent: Nos in veſte & affectis Gallorum, ruris autem contemptu & domeſtica parſimonia, ac verius miſeria Illorum morem affectamus. Sed obſecro peregrina hæc & vana rerum eo relegemus, unde orta ſunt, & antiqvum Angliæ morem poſtliminio revocemus. Nobilitatis Anglicæ decus olim fuit ruri vivere, hoſpitalitatem colere; Ex his ſupra cæteras gentes famam meruimus, quod nobis in ubere degentibus ſolo non erat difficile. Edico igitur nunc vobis, Aulicos, Cives, Cauſidicos, eorumq; Clientes eos eſſe, quibus in urbe fas eſt vivere: Cæteris in agros eundum eſt; Nec enim ſolum deſeruntur agri melioris notæ, hominibus in urbe deſidentibus, ſed & alia hinc oriuntur & majora incommoda. Finge rebellionem excitari, quid obſecro eſſe poteſt remedii, dum abſunt, quorum autoritate ſedanda eſt. Ad pauperes deinde, qui præſentium charitate aut eleemoſyna juvabantur, pertingit ſenſus hujus abſentiæ: Tum vero illa pars Reip. quæ deſertionibus his credebatur negligitur: Ut taceam rei familiaris incommoda, quam per Patrum abſentiam occidere neceſſe eſt.* Itaque ut piſces ſua ſe oblectant aqva, ſalſa, dulci vel limoſa, ſic nos noſtra, non aliena amemus, Aulam, Urbes, Agros. *Reprimi autem poterit hæc ædificandi*

*licen-*

*licentia, ſi domini ædium, aut illis latentibus fabri in carcerem compingantur; Ædes verò ipſa, ubi ſine incommodo id fieri poteſt, autoritate publica æquentur ſolo.* Hæc *Jacobus* indignatus præprimis Nobilitati ſuæ, quæ numeroſius *Londinum* confluxerat, ibidemq; potius, quam ruri agere maluerat.

VII.

Ad *Fortalitiorum* materiem recenſuimus *in Med. Pol.* Arcanum illud Dominatus *Turcici*, quo Provincias remotiores deſolantur, eoque & Urbibus & Fortalitiis denudant. Rationes petivimus ex Autore *Deſcr. Stat. Turc. L. I. c. XV.* Et ſane adverſantur è diametro veterum *Romanorum* principiis, qui Provincias ſubjectas omnibus modis excolere, coloniis novis perficere, ſæpe & majoribus Privilegiis, quàm à prioribus Dominis ſuis habuerant, inſtruere amabant. Sed hi Legibus & placido moderamine populos in fide retinere ſtudebant; At illis ſola vis loco medii eſt & quidem Aſiaticis Populis non inſveti, qui durius haberi poſtulant, cum Europæi utpote politioribus Ingenii donati duritiem iſtam, veluti in ſeipſos non admittunt, ita aliis intentare inhumanum judicent: Sie wiſſen ſich deſſen ſo wohl zugebrauchen / inquit Autor noſter modo citatus, daß dieſes einige Mittel ihrer Regierung einen glücklichen Fortgang mache: Und gleich wie die Völcker / welche dieſem Reich unterthan / beſſer durch Strengigkeit als Gelindigkeit regieret werden / als hat man ſich nothwendiger weiſe ſolcher Mittel bedienen müſſen / welche

Sie

Sie/ ſo viel immer müglich/ in den Schrancken und unter dem Gehorſam einer Oberſten Autorität erhalten. Welches denn nicht geſchehen kan/ wenn alle Theil/ darinnen es beſtehet/ ihren freyen Willen hätten/ und ſo Volckreich wären/ daß ſie denen auffrühriſchen Gemühtern/ die darunter ſeyn/ die Stang halten/ und ihrem Herren/ in der von der Natur erbauten Fortification ihrer ungeheuren Berge und groſſen Wälder widerſetzen können. Und dieſes iſt vielleicht die Urſach/ warumb es unter den Türcken ſo wenig Auffruhren und Rebellionen in den weiteſten Theilen Aſiæ gibt/ und wann ſich ſchon einige zutragen/ daß ſie ſo kurtze Zeit währen. Dieſes iſt auch vielleicht die Urſach/ warumb hohe Stands-Perſonen dem Groß-Türcken in Capital-Sachen/ da es umb ihr Leben zu thun iſt/ ſie ſeyen gleich recht- oder unrechtmäſſig verdam̃t/ ſo blinder Weiſe gehorchen. Man kan auch ſagen/ daß eben umb der Uſach willen/ die Mörder und Räuber nicht entrinnen können/ dieweilen ſie ſich nicht in unbewohneten Oertern auffhalten dörffen/ allwo die ſcharffſehende Augen eines wachſahmen Befehlhabers ſie bald finden würden: So können ſie auch nicht in den verhergten Landen bleiben/ weil darinnen keine Lebens-Mittel zu finden/ dann das Abſcheuen/ welches ſie vor den Chriſten haben/ iſt ſo groß/ daß ſie auch in ihren aller gröſten Nöhten/ keine Zuflucht bey ihnen ſuchen: daß ſie alſo/ in dem ſie anderswo keinen ſicheren Auffenthalt finden/ nur allein ihrem Groß-Fürſten/ in deſſen Händen die Straff und Belohnung iſt/ zu gefallen und zu dienen befliſſen ſind. Dieſe Art/ die Länder

unbe-

unbewohnt zu machen uñ zu verſtören/ iſt dieſem Reich ein anſehnlicher Vortheil / daß nehmlich einem Feind der mit einer Armee zu Land einfallen wolte / darinnen zu beſtehen / ſchwer fallen würde / es ſey dann / daß ſie eine ſehr groſſe Menge Proviants darein brächten/ welches doch unmöglich iſt. Dann wann es darzu kommen ſolte/ würden alle Bauren ihre wenige Lebens-Mittel verbergen / und das Land gantz an denſelben entblöſſet laſſen. Dann wiewohl es ſich offtmahls gnug in Aſien zuträgt / daß etwan 3. oder 400. Unterthanen eines Beg oder Aga, welcher mit des Sultans Regierung übel zufrieden / ſich in die Wälder und auff die Berge begeben/ und die Reyſende plündern/ müſſen ſie ſich doch des Winters aus Mangel der Nahrung trennen / weilen ihnen die rauhe Zeit keine bleibende Stat zuläſt. Quorum omnium quicquid ſit, humano generi tamen modus iſte neutiquam expedit, ac proinde à LL. vitæ ſocialis diſcrepat, cujus eſt Statui Humano providere, ut commodis augeatur, non ut minuatur. Sicque de aliis etiam tum hujus tum aliorum populorum *Barbarorum* rationibus ſentiendum eſſe putamus; Quæ certe non plane nullæ ſunt, & admirationem ſæpe politioribus populis movent; Sed in eo ab horum ratiociniis differunt, quod Bono Privato eorum tantum inſerviant, nec alio flecti poſſint, id quod cum Brutis commune habemus; Adeoq; carent connexione cum Statu Humano h. Vita Sociali & Rationali, quam politiores populi in ſuis ratiociniis ſpectant.

# CAPUT XII.

## De

# MAJESTATE.

*I. Attributa Reipubl. II. Concluſiones ex Attributis hiſce: Quo ſenſu Reſp. gladium habeat ſuperiorem? Quo ſenſu Reſp. ſint æternæ? Cur Reſp. nusquam abſit? Cur nemini poſſit injuriam facere, &c. III. Cur Reſp. tam ſplendida Attributa auferat? IV. Quæ cura Divinæ Providentiæ hac in re? V. Reſervatorum Dei illuſtratio & exempla: Conſtitutio Principũ: Jus puniendi Reſpublicas: Peccata Clamantia: Pœna Talionis: Propagatio Religionis: Cur Bella Piorum hac in re toties infeliciter ſucceſſerint? Revolutiones Rerumpubl. VI. An populus cumulative ſe ſubjiciat Reip.? An Principes poſſint deponi? VII. An Princeps excommunicari poſſit? An Sacra Communione arceri? An publice reprehendi poſſit? VIII. Plenior Demonſtratio Doctrinæ de ferendis Principibus Infidelibus & Hæreticis. IX. Exemplum Canis pro Rege habiti.*

I.

ATtributa Reipublicæ non alia ſunt, quam ipſa *Sibi-Sufficientia* Reip. Ideo in eam quoque

omnia

Digitized by Google

omnia reſolvuntur, & ex ea derivantur, non aliter ac propria ab eſſentiis rerum derivari ſolent, quæ tamen non niſi diverſi conceptus ſunt unius ejusdemque rei, pro objectôrum varietate diſtincti, quemadmodum in Sole facultatem liqvefaciendi & indurandi tanquam diſtinctas concipimus, ſed intuitu Objectorum varietatis, cum alias idem Sol, idemque calor, ambo effecta producat. Sicq; jam Reſp. *Independens* eſt, h. alio extra ſe non eget, quia ſibi ſufficit. Veluti è contrario ſi alio extra ſe egeret, ſibi non ſufficeret, eoque aliunde dependeret. Similiter Reſpubl. eſt *Immenſurabilis*, h. nulli tempori aut loco intra fines ſuos alligata, aut neminem agnoſcit, à quo modum agendi ſibi præſcribi expectet: Iterum qvia ſibi ſufficit, è contrario ſi ab alio expectaret determinationem actionum ſuarum, eo ipſo ſibi non ſufficeret & conſequenter nec Reſp. eſſet: Rurſus Reſpubl. *Univerſali intellectu* donata eſt, h. ut nullius extra ſe Judicio aut cõſenſu in actionibus ſuis egeat, omnesye ad ipſius cõſenſum ſingula referant ſua: Itidem qvia ſibi ſufficit; Si enim neſciret rebus ſuis rite fungi, aut ſi conſenſum agendi aliunde impetrare cogeretur, ſibi non ſufficeret. Deniq; *Univerſali Voluntate* prædita eſt, ſola enim Sibi-Libera eſt, h. Poteſtatem in ſe habet. Nemo poteſtatẽ in ipſam, ſed ipſa in omnes: Sola agit, omnia vult, omnia jubet, omnia exeqvitur, quia ſibi ſufficit; Et è contrario, ſi omnia non poſſit, nec ſibi ſufficit, nec Reip. nomen retinere poteſt. Quibus addimus V.

Remp. *Univerſali Influxu* præditam eſſe, h. ut nihil agatur, quin idem ſit à Republ. & in Rep. Qvod *Anglorum* JCti ſignificantiſſime de Rege ſuo exprimunt: *Omnium domos*, inqviunt, *Principis Vigilia defendit, omnium otium illius Labor, omnium delicias illius Induſtria, omnium vacationem illius Occupatio. Eſt Halitus narium noſtrarum, & Lumen oculorum noſtrorum.*

## II.

Hinc lumen accendimus, non ignotis Elogiis, quibus Reſpublica, *Majeſtas*, Princeps (horum enim inſolubilis connexio eſt) paſſim, ſed nunquam ſatis celebrantur. Itaque I. *Princeps neminem habet ſuperiorem, quam Deum & Gladium*: Princeps enim, Reſp., Majeſtas independens eſt. Sed Deum ſuperiorem agnoſcit, quippe Creatura ejus, & in ipſa Vita Sociali ejuſdem Vicarius. De Gladio dubium eſt: ſic enim nihilominus foret in humanis, quod Principe exiſteret ſuperius. Sed Senſus eſt, nullum Jus in terris eſſe, quo Princeps infra alios collocetur, ſed ſolùm vim majorem, cui cedere poſſit, ſed non oporteat, cum ſine jure ſit. Scriptores Anglici de Rege ſuo id explicant: *Rex Angliæ neminem habet in ſuis Dominiis ſuperiorem; Omnes ſub illo, ille ſub nullo, niſi tantum ſub Deo, à quo ſecundus, ſub quo primus, ante omnes & ſuper omnes in ſuis ditionibus.*

II. *Reſp. ſunt æterna:* Quod generoſum erat Reſponſum *Brulardi Galliæ Cancellarii* ad Reginã ſuam, cũ *Henricum IV.* cecidiſſe quereretur: *Principes*

*cipes, qui homines ſint, vitâ deſtitui*; Remp. æternam eſſe, *cecidiſſe Henricum, ſtare Ludovicum* &c. apud *Gramond. Hiſt. L. I.* Æternam dixit, h. nullis Circumſtantiis temporis, quibus includatur, terminatam.

III. *Reſp. nusquam abeſt*; h. nullus intra Rempubl. locus eſt, qui Imperium ejus non ferat. Sic in conclavibus Principum aperto ſolemus eſſe capite, quia Principem abſentem corpore quidem, ſed virtute quaquaverſus præſentem ita veneramur. Et Princeps nullo judicio excludi poteſt: Nulla menſura locorum enim ipſum determinat, ſed virtute ſua quaquaverſus præſens eſt. Pertinetque huc Q. quam *Grotius* agitat *J. B. & P. Lib. II. c. II. §. XVII. Territorium deſerti ac ſterilis Soli advenis poſtulantibus concedendum eſſe, aut etiam ab illis recte occupari: Quia occupatum cenſeri non debet, quod non excolitur.* Cui Reſp. Non poſſe pro derelicto haberi in quod Reip. ſuum reſtat Imperiũ. Fateturq; ipſe Imperiũ in ejusmodi caſu veteri populo ſalvum manere: Quod ſi eſt, jam ab Advena non recte occupabitur; Aut ſi indultu Imperii occupatio iſta fit, juſta quidem erit, ſed ſolius Reip. autoritate ſubnixa, non jure proprio.

IV. *Reſp. ſuis non poteſt Injuriam facere.* Quæ enim univerſali intellectu donata eſt, ea nihil, quod ſuis damno eſſe poſſit, ſuſceptura eſſe præſumitur. Cui ſimilia ſunt: *Remp. non errare, nec cuiquam licitum eſſe de factis Reip. judicare, diſputare, multo minus*, ut iterum Anglorum JCtus *Bractonus*

de Rege ſuo ait, *contra factum ejus ire: Nam de chartis & factis ejus nec debent nec poſſunt Juſtitiarii, multo minus privata perſona diſputare.*

III.

Ratio, cur Reſp. tam ſplendida Attributa auferat, quæ alias ſolius Dei ſunt, in eo ſita, qvod *Dei in terris ſit Vicaria*, eoqve Divinitatis characterem inter homines referat: Ideo ipſe Deus Divinitatis Prædicatum Magiſtratui diſerte tribuit. Pſ. LXXXII. *Vos eſtis Dii.* Non tamen ſine indicio Imperfectionis: Non Deum enim, ſed Deos dicit. Pluralitas in rebus humanis perfectionem auget, ſed in Divinis eandem minuit, cum non poſſit eſſe, niſi unus Deus. Itaque Deus Reip. Divinitatem attribuit, ſed Pluralitatis numero, h. cum Imperfectionis nota, teſtaturus, ipſam in rebus humanis ſibi proxime quidem accedere, non tamen æqviparari poſſe. Inſt. *In tanto Ambitu Poteſtatis & virium Reip. ac Principis latam viam ſterni ad Tyrannidem.* Reſp. I. Principem nihil horum facere, niſi in caſu congruo. Faciuntque huc, quæ ad Tit de Dominio Eminenti imprimis obſervari merentur ex *Verulam. de A. S. L. IV. c. II. Reges juxta LL. Regnorum ſuorum gubernacula tractare, quemadmodum & Deus juxta* LL. *Naturæ, & æque raro prærogativam illam ſuam, qua LL. tranſcendit, ab illis uſurpandam, ac à Deo videmus uſurpari poteſtatem miracula patrandi.* II. Etiamſi verum eſſe poſſit, Principem in Tyrannidem propendentem his Principiis abuti poſſe, Remp. tamen

men ideo meliorem non reddi, ſi Principem iis privet: Quæ enim Principi adimuntur, ea ſubditi tunc ad ſe rapiunt, qui omnia ſcire, omnia poſſe, à nemine dependere volunt; Atque adeo eo ipſo, qvo via præcluditur Tyrannidi, eadem ſternitur ad Rebellionem.

IV.

Divinæ Providentiæ curam in ſeligendo Principe gravider expreſſit Card. *Aldobrandinus*, cum creato *Clemente IIX.* P. M. rogaretur, quorum ſuffragiis ille Pontifex factus eſſet? *Non fit*, reſpondit, *Summus Princeps, ſed factus de cælo recipitur*. Vid. Apophth. *Cardin. Aldobr. Lib. I. c. III.* Nimirum Deus eſt, qui ſupra nos negocium curat, cujus verbum manet in æternum. Quique rotulas machinæ noſtræ ita dirigit, ut omnes earum ſtrepitus atque diſcurſus ad unius conſilii ſilentium deſerviant. *Transfert Regna de gente in gentem propter injuſtitiam & injurias & contumelias & diverſos dolos. Eccleſ. X.* Conf. *Baud. de Ind. Belg. Lib. I.* Et ratio in aperto eſt; Princeps enim Divinæ poteſtatis Vicarius eſt; Vicarium autem non inferiores, ſed ſolus Prnicipalis conſtituit.

V.

Amavimus ſelectum hunc nobili *Reſervatorum Dei* Titulo comprehendere, materiæ, quæ in Politicis clariorem lucem adhuc deſiderat. Etenim quod in moralibus eſt *Arcana Dei Providentia*, id hic in Vita Sociali præſtant *Reſervata* iſta,

quibus Divinæ Majeſtati placuit ordinario fluxui negociorum noſtrorum ſe ingerere, ea dirigere, moderari, variare, nobis etiam aliud opinantibus. Aſſimilaveris ea *Reſervatis Imperialibus* vel etiam iis, quæ Domini Feudorum ſibi reſervant, ſi cum Jure Dei inter homines comparentur. Videnturque in talibus locum habere, *circa quæ intellectus humanus quam maxime fruſtra eſt, vel hebetatur*. Sic I. in ſeligendo Principe maxime falli poſſumus, ideo ut *Princeps conſtituatur, Deus ſibi reſervavit*. Exempla *Sauli* & *Davidis* jam in *Medit. Polit.* allegata. Eadem noſtro tempore eluxerunt in reſtitutione Sereniſs. Regis *Angliæ*, qui cum *Angliam* armis recuperatum iret, adverſa omnia & ſiniſtra expertus fuit; At ſine armis poſtea eandem obtinuit. Similiter *Poloniæ Rex Michael*, inter tot Regni Candidatos emerſit, præter ipſius pariter ac aliorum opinionem: Et A. MDCXLI. *Johannes Brangança* Dux Regnum *Portugalliæ* ſine ſangvine accepit, quod *Hiſpani* totis LX. Annis tenuerant, ſola Divina Providentia ipſi prælucente, totiq; Portugalliæ felix omen ex ipſis ſacris ejus diei præbente; Erant enim vigiliæ Dominicæ I. Adventus, qua Sacri Textus Epiſtolaris pars erat: *Salus noſtra jam propior eſt, quam opinabamini*: Quod ex eo in ſignum Liberbertatis ſuæ traxerunt Scriptores Portugallici, inter quos vid. *Anton, de Souſa in Luſitania Liberata*. II. Eadem porro clarent in iis, quæ executionem Imperii per LL. & judicia præſtant: In his enim

enim Intellectus humanus iterum debilis eſt: Deus igitur aliqva eorum ſibi reſervavit. Tale eſt I. *Jus puniendi Reſpp.* Hæ enim in terris hiſce ſi delinqvunt à nemine puniri poſſunt, qvod demonſtratum *Med. Polit. Cap. XXIII. §. VII.* Sic *Iſraelitæ* puniverunt *Amorrhaos*, qvo jure Deus illos inſtruxerat, & ſine qvo nullo modo gentes iſtas invadere potuiſſent. II. *Jus puniendi* in Rep. actus ſingulares tales, qvos Judicis ſcientia non æqvæ attingere poteſt: Suntque hi qvos *Peccatorum Clamantium* nomine Theologi exprimunt, h. talium, qvæ cum in terris ignorentur, vindictam ſui è cœlis poſcunt: Et vulgo quinque recenſeri ſolent ex totidem locis Sacri Codicis: Ut I. Gen. IV. 10. *Vox Sangvinis Fratris tui clamat ad me de Terra*, II. Gen. XIIX. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis.* III. Exod. XXII. 23. *Si læſeritis viduam & pupillum, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.* IV. ib. v. 27. *Si pauper clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum.* V. Jac. V. 4. *Ecce merces operariorum, qui operati ſunt in Regionibus veſtris, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Vid. *Theologos Practicos* paſſim. Non improbamus tamen recentiorum opinionem, qui numerum hunc amplius extendi poſſe putant, non adeo quia omnia peccata ad cœlum clamant, quam quod plura ſpecialem Dei vindictam expoſcant, eoque Peccata clamantia



Digitized by Google

vere ſint illa omnia, quæ cum inter homines ignorentur, divinitus vindictam expoſcant, ut appareant coram hominibus. Vid. *Joh. d'Eſpagne in Schiboleth*.

III. *Iterum in modo puniendi Reſervatum Dei* elucet: Ideo Deus pœna Talionis animadvertit in homines, & ipſis peccatis ſæpe peccata eorum puniri permittit, quod inter homines fieri neqvit; Rationem autem ſine dubio habet ut iniquitatem factorum ſuorum tanto acerbius ſentiant, quod infra pluribus declarabitur *Cap. XV*.

IV. Simile *Reſervatum Dei* eſt *Propagatio Religionis*, quam humanis viribus nullis unquam reliquit. Ideo Bella Religionis cauſa, vel etiam ſimpliciter à piis ſuſcepta, ſi offenſiva fuerunt, vix unqvam feliciter ſucceſſiſſe leguntur. Talia erant, Bellum Chriſtianorum *Albigenſium* Seculo XIII. adverſus cauſam *Pontificiam* ſuſceptum; Item *Bella Proteſtantium* præteriti & præcedentis Seculi, Expeditiones *Cruciatæ in Palaſtinam* Seculo XI. & ſeqq. Qvæ omnia infeliciter geſta ſunt, ne qvas partes Gloriæ Divinæ homines ſibi tribuerunt. *Ne gloriam aſſumat ſibi Iſrael ſupra me dicendo, manus mea ſalutem attulit mihi.* Jud. VII. 2.

V. *Revolutiones Rerumpubl.* denique inter Reſervata Dei ſunt, qvod evidenti indicio claruit in quinto Seculi noſtri Decennio ab Anno MDCXL. ad An. MDCL. *Quam malignum Aſtrum Regna tunc afflabat! Vides eodem tempore ſatis Galliæ, vides Angliæ, Neapolis, Cataloniæ, & Luſitaniæ*

Priol.

Priol. de R. G. Lib. II. cap. XLVII. Quæ allegaſſe ſufficiat: Reſervata Imperialia uberiorem meditandi materiem præbitura jam ante indicavimus. Neqve dubitamus Reſervata Dei, ut in ipſius Majeſtatis Conſtitutione, ita in ſingulis Regalibus, facile repertum iri. Noſqve tum huic, tum oppoſitæ ei materiæ *de Excelſis mundi*, ſingulariter forte propediem ſatisfaciemus.

VI.

Populum *cumulative* ſe ſubjeciſſe Principi adverſatur ipſi Subditorum intentioni, qui ideo Societatem Publicam inierunt, qvod ſcirent ſe defenſioni ſuæ haud pares eſſe. Et vero ſi cumulative ceſſiſſent juribus ſuis, jam eo ipſo profiterentur, ſe expectare quidem Protectionem Reipublicæ, habere autem nihilominus, qvo ſe ipſos defendere poſſint. Inſt. I. *Populum tunc reſumere jura ſua, ſi Princeps male imperet*. Reſp. I. Quis dixit Tibi Principem male imperare? ex *Med.Pol. Cap. XI. §. V.* II. Siquid etiam hic fieri poſſit, in caſu, qvo certo conſtet, Principem male imperare, Poteſtatem ne tunc qvidem redituram ad Populum, ſed reverti ad Remp. ad eum modum, quo reverti ſolet, ſi Princeps moriatur. Inſt. II. *Regimen omne eorum cauſa eſſe, qui regnantur, non qui regnat*. Sed τὸ ἀνακόλουθον in eo liqvido claret, quia licet propter eos, qui regnantur, regimen ſit, hi tamen modum regimini ipſi præſcribere non poſſunt; Hunc enim ſi ſcirent, ſibi ipſis ſufficerent & Principe opus non haberent: Jam vero

vero ideo Remp. & Principem amplectebantur, qvod ſinguli, ſe Statui Rerum humanarum pares non eſſe, eoque nec modum ſe alios docere poſſe agnoſcerent: Æqve ac pupilli quoq; modum rerum gerendarum Tutoribus præſcribere neqveunt; Hunc enim ſi ſcirent, Tutoribus non egerent. Inſt. III. *Tutores ſi male rem pupillarem adminiſtrent, amoveri poſſe.* Reſp. Poſſe, quia in rebus Tutorum Superior eſt, qui eas judicare poſſit, qvod cum Principe ſe Ita non habet. Cætera qvæ inſignem hanc materiam attinent, graviſſime expreſſit Sereniſſ. *Angliæ Monarcha* Jacobus, ut clariori luce nulla amplius opus eſſe certo perſvaſum habeamus: *Quod ſi inferior Feudi Dominus,* inqvit, *quicquid demum prætexetur, jure ſuo à vaſallis nequeat exui, ut omnibus eſt notiſſimum, quanto minus* Princeps, *ſupremus ille omnium Dominus à ſubditis ſuis in ordinem cogetur, vel autoritate privabitur. In inferioribus Regni judiciis Magiſtratuum Poteſtates, quæ omnes Regi ſubſerviunt, arbitrio populi non moventur ſuo loco, nec enim urbium Præfectos ante novæ electionis tempus civibus fas eſt rejicere: Nec in Eccleſiaſtica* Politia *Paſtor gregis ſui cenſuræ aut Poteſtati obnoxius eſt, ne quidem vilis ludi Magiſter ejici poteſt à diſcipulis. Si ex his, quorum omnis Poteſtas aut vicaria, aut temporaria eſt, & cum regia collata, aut minima, aut nulla, nemo per quascunq; cauſas exui poſſit dignitate, ab iis, quibus præſunt; multo certe minori jure, Rex ipſe, magnus Regni Præfectus & Magiſter, abdicabitur à ſubditis ſuis,*

*ſuis niſi forte inverſo Legis & Naturæ ordine, majorem par ſit à minori LL. accipere, judicem judicari à reo, ſummum omnium Dominum iis ſubeſſe, quibus præeſt. Quam appoſite autem Lex Naturæ cum Divino Humanoq; Jure, in hac cauſa conveniat, duplici ſimilitudine apparebit: Idem Rex eſt populo ſuo, quod Pater eſt liberis, quod caput eſt corpori è multis membris compoſito; Nam in Republica Iſraelitica piæ memoriæ Principes & Rectores non dubitarunt ſe Patres populi fateri, & in aliis Rebuspublicis titulus Patris Patriæ Regum proprius fuit, iisq; ſæpe decretus; Et ſane perquam ſimilia ſunt Regis in ſubditos & capitis in corpus officia. Capitis eſt pro ratione ſibi data, quæcunq; corpori aut ejus membris eveniant, incommoda proſpicere & avertere; Principis eſt eandem populi curam gerere: Capitis eſt ratiocinari & imperare: Corporis vero ſecundum varia membrorum munia exequi illius Imperium: Itaq; ſe res habet cum Principe & populo. Ut ratio è capite profecta quæ non modo membra omnia corporis dum ſana ſunt exercet, ſed & ægra, ſi medicabile videatur malum, quantum poteſt reſtituit, ſi immedicabile, præcidit: Sic quoq; ſe res habet inter Principem & populum. Deniq;, ut nullius membri curatio deſperata eſt, capite, cujus conſilio inſtituenda eſt curatio, recte valente, ejus autem valetudine affecta, omnia ejus membra ſimul affici neceſſe eſt: Ita quoq; ſe res habet inter Principem & populum. Quod vero ad Patrem attineat, animadvertite obſecro quibus erga illum officiis liberi devincti ſint, annon monſtro ſimile foret, ſi inventa cauſa in illum conſurgerent,*

*gerent & cum viſum eſſet abdicarent, è medio tollerent, alterum in ejus locum adoptarent, dicite, an ullus paternæ ſeveritatis aut improbitatis prætextus abſolvat liberos, ſi violentas* Patri *injciãt manus &c. Et, ut ad priorem ſimilitudinem tantiſper revertar, poteſt conſilio capitis membrum aliquod corporis jam putrefactum ob ſalutem totius præcidi: Aſt ſi caput ipſum quocunq; demum morbo tentaretur, corporis arbitrio præcidi deberet, quæ expectanda eſſet totius ſalus, facilis eſt conjectura. Atq; ita ſi liberis cujuscunque demum cauſæ obtentu fas ſit in parentem inſurgere, eiq; è medio ſublato alium ſuo arbitratu ſufficere, ſi corpori ut bene ſit caput morbidum liceat demere, tum non inficias eo, quin populus jure poſſit rebellare in Principem & cum viſum fuerit eum redarguere, & Majeſtate ac vita privare. Lectoris denique judicio excutiendum relinquo, an gemina hac ſimilitudine Regum officium melius declaretur, an Præfectorum in Collegiis, Artificum, Doctorum Medicinæ, quod tepidum comparandi genus à contraria ſententiæ autoribus uſurpatur.*

## VII.

Principes igitur *deponi* non poteſt. Q. *An excommunicari poteſt*? Reſp. *Neg.* Quia I, deſtruit obedientiam, quam populus Principi debet: Excommunicationis vi enim Societate ejus abſtinet. II. Cedit in Ignominiam Principis, qui poſthac ſeu bene ſeu male agat, male audit: *Inviſũ ſemel Principem ſeu bene ſeu male facta premunt.* III. Nec exemplo aliquo id conſtitit ante tempora *Gregorii VII.*

*rii VII.* qvi *Henricum IV.* primus excommunicavit. Vid. *Otton. Friſing. Godofr. Viterb.* Antiqviora vel ſuſpecta ſunt, vel huc non pertinent. Imp. *Philippi Arabis* maxime incertum eſt. Rationes dubitandi vid. apud *Scalig. Animadv. in Euſeb. f.134.* Aut ſi vere contigit, non fuit actus Excommunicationis, ſed ſpontaneæ ſubmiſſionis. Adverſus *Theodoſium* Imp. I. Divus *Ambroſius* & in jure & in facto erravit, qvod indicavit jam tum *Warem. ab Ehrenberg. de Subſid. Regn. cap. II. n.35. & ſeqq.* II. Imperatorem ultro communione abſtinuiſſe ait *Rufinus Lib.II.c.18. Chryſoſtomus Eudoxiam Auguſtam* prohibebat aditu Eccleſiæ: Sed cujus ipſum poſtea valde pœnituit. *Innocentii* actus adverſus *Arcadium* & *Symmachi* adv. *Anaſtaſium* fide laborant; Non leguntur enim niſi in Epp. Papalibus. *Contra Theodoram & Acephalos Vigilius pronunciavit damnationis ſententiam*, inquit *Gregor. Lib. II. Ep. XXXVII.* Et in *Leonem Iſaurum* ἀνάθεμα συνοδικὸν latum, ſententia damnatoria Dogmatis apud *Zonaram*; Sed in neutrum Ecommunicatio exercita legitur.

Qvæſt. *An Sacra Communione arceri poſſit?* Reſp. Diſparem à priori rationem eſſe, nec peccare Miniſtrum, ſi operæ ſuæ negandæ rationes alleget: Neque enim Sacramentorum Adminiſtratio eſt actus Juriſdictionis, aut coercitionis, ſed pars officii Sacrii; Et in hoc caſu Actus Charitatis adv. Principem. Perinde ac ſi Medicus recuſet potum præbere Hydropico, quem eum qvi-

dem

dem percipere patitur, ſi mori velit, ſed eo ipſo dum negat operam ſuam, Charitatis officium, non Imperii aut dominandi impotentiam exerit. Sed qvid, *ſi Princeps perſiſtat in propoſito cōmunicandi?* Reſp. Urgenti cedendum eſſe, non tamen aliter, quam *Ivo Carnotenſis* in caſibus hujusmodi conſulit: *Nolo te fallere; Introitum hujus viſibilis Eccleſiæ periculo tuo Te habere permitto: Januam Regni cœleſtis tali reconciliatione Tibi aperire non valeo.*

Qv. *An Princeps publice reprehendi poſſit?* Reſp. Neg. I. Pudore enim aut metu ipſum ſe ita coerciturum ſperat Orator ejusmodi, quod Subditum non decet. II. Populo occaſionem præbet ſimilibus invectivis in Principem agendi, eoque Seditionum materies eſt. III. Inhumanum eſt, ut quis crimen audiat eo loco, quo refellendi copia non ſit. Inſt. I. *Miſerum eſſe Imperatorem cui vera reticentur.* Reſp. Nec celandos eſſe errores Principi, ſed non imprudenter divulgandos. II. *Eſſe Partem Officii Sacri.* Reſp. Sed eo incompetenter haut utendum eſſe, ne degeneret in licentiam: Exemplo *Pauli,* qui cum rationem Apoſtolicæ Legationis ſuæ declaraſſet, in concluſione hac deſinit: *Obſecramus vos Chriſti loco, ut DEO reconciliamini.*

*Peragit tranqvilla Poteſtas,*
*Quod violenta nequit: Mandataq; fortius urget*
*Imperioſa Quies.*

Vid. plur. *Taylor in Duct. Dubitant. Lib. III. c. IV. Reg. VII.*

IIX. Prin-

Digitized by Google

## IIX.

Principem Infidelem ac Hæreticum Imperio in nos haut indignum eſſe ex perpetuæ in Sacra Pagina experientiæ obſervatione elucefcit: *Nunquam enim legimus, ſuadentibus Prophetis adverſus Regem quantumvis impium fuiſſe olim à populo rebellatum: Cum primo Regi Sauli denunciaſſet Samuel, DEO ita viſum eſſe illi ſceptrum adimere, & alteri dare, quod revera nihil aliud erat, quam Regem in ordinem cogere, & Dignitate Regia exuere, ſtatim inde domum ſe contulit Propheta, & multo fletu Divinam pro Rege miſericordiam ſollicitavit, tantũ abeſt ut quicquam turbarum dederit: Et David cum jam Rex ſuffectus vindicare jure poſſet injurias, quas à Saule, cui honeſtiſſime & ſine ullo maleficio ſervierat, perpeſſus fuerat, tantum aberat ut Unctum Domini occideret, cum poſſet, ut ægre ſibi perſvaſerit, veſtimentum ejus attingere, nec id quidem niſi cum ſumma Religione, imo capitalis hoſtis benedictione; Poſteà cum non nemo Saulem à ſe occiſum falſo jactaret, David neglecto Judicii more ac delicti examine, illud ipſum linguæ flagitium è veſtigio morte vindicavit. Et quamvis Achabo nemo unquam vixerit durior Tyrannus, rebellio tamen adverſus eum ab Elia nulla alia concitata fuit, quam quod in deſertum fugerit, ubi alimenti inops à corvis paſceretur, nec quiſquam opinor dubitabit, quin Samuel, David, Elias, ſi viſum modo illis fuiſſet ſeditionibus adverſus Regem concitandis operam & autoritatem ſuam impendere apud populum, tam gratioſi fuerint, quam*

*quisquam noſtra tempeſtate è factioſis illis, quibus unum hoc negotium datum eſt, Religionis obtentu rebelliones ciere. Porro Jeremias cap. 27. propter rebellionem adverſus Nebucadnezarem Regem Babyloniæ Dei populo minitabatur exitium, cui Regi & Idololatræ & crudeli & peregrino & tyranno & libertatis Judaicæ prædoni nihilominus cenſuit Propheta à Judæis parendum, quia ſemel illum Regem admiſerant & agnoverant; quin & pro illius felicitate preces æſtimavit fundendas addita ratione, quod ejus felicitate eorum Lex ſtaret. Deniq; Rex ille, cui Paulus jubet parere & conſcientiæ cauſa ſervire, fuit Tyrannus ille ſangvinarius, ſeculi ſui labes, & orbis opprobrium Nero, nec minus quam Rex Babyloniæ idolotria & Sanctorum odio infamis. Quod ſi igitur nec Idolorum cultus, nec Apoſtaſia, nec Tyrannis, nec Sanctorum propter veritatis profeſſionem odium Spiritum Sanctum retardarint, quo minus ejuſmodi Regibus ſinceram & juſtam obedientiam etiam Conſcientiæ cauſa præſtari à populo juberet, & Cæſari dare, quod eſt Cæſaris, Deo quod eſt Dei, ut Chriſtus ait; Si univerſa hæc Divini Codicis praxis cum primaria Lege inſtitutionis Monarchiæ Judaicæ ad ungvem cõgruit, quanta ſit iſta & quam impudens in Chriſtiano quoquam populo arrogantia, eam ſibi libertatem injuſte ire aſſertum, quam Deus ſuo ipſius electo populo noluit indultam.* Jacobus Rex Angliæ in Jure Liberæ Monarch. fol. 185. & 186. qui porro diſcurſum ſuum hunc ita finit: *Ut igitur juxta hæc noſtra è Sacris Literis argumenta univerſum hoc ſubditorum in*

*Reges*

*Reges officium & fidelitatem duarũ aut trium ſententiarũ ambitu complectar: Regi obedire debent ſubditi, ut DEI in terra Vicario: Regis juſſa facere, ut Dei Miniſtri, niſi cum Divinis juſſis è diametro repugnent: Regem ut Judicem ſuum vereri datum à Deo & ſoli Deo, ſive cum judicat, ſive cum judicii ſui rationem reddit, obnoxium; Regem deniq; metuere tanquam Vindicem, amare tanquam Parentem, pro eo orare tanquam Patrono, ſi bonus quidem ſit ut duret, ſi malus ut reſipiſcat: Juſſa prompte exequi, in injuſtis vero furorem ejus abſq; reluctatione effugere ſoloque fletu & ſuſpiriis repugnare, Deoq; in auxilium vocato, juxta illud in primitiva Eccleſiæ calamitatibus:*

Preces & Lacrymæ ſunt arma Eccleſiæ.

## IX.

Exemplum *Canis* à Norwegis pro Rege habiti allegat *Saxo Grmmaticus Hiſt. Dan. Lib. VII. f. 121. Gunnarum Svediæ* Regulum, ut devictæ gentis ignaviam inuſitata conditionis deformitate multaret, Rectoris loco *Canem* ei proponi curaſſe. *Et ne quid contumeliæ deeſſet, Satrapas procumvit, qui ſub ejus titulo privata ac publica negotia tuerentur: Cujus etiam jugi conſtantiq; cuſtodia diſtinctos procerum ordines applicabat. Statuit inſuper, ut ſiquis Aulicorum Ducis ſui deſpicabile duxiſſet obſequium, varioſq; diſcurrentis inceſſus plenis venerationis obſequiis inſequi ſuperſediſſet, membrorum clade ſupplicia lueret.* Confer. Pontan. *Hiſtor. Dan. Lib. I. in Siwald.* R. *XXXVII.* Johannes Magnus tamen de eo dubitat: *Quod ſi factum fuiſſet,*

 *pro-*

*profecto longe minus perniciosum morsum illi Regno inflixiſſet, quam ille unus morsus erat, quo à Norwegia avulsæ fuere Insulæ Orcadum.* Sed hæc videant illi quorum inuereſt. Ita ille *Hiſtor. Goth. Lib. VII. c. XVI.* *Pontanus Caligulæ* facto aſſimilat, *quo Equo ſuo incitato Urbis Populiq; Romani Conſulatum deſtinavit, & præter Equile marmoreum ac præſepe eburneum præterq; purpurea tegamenta ac monile è gemmis, domum etiam & familiam dedit, quo lautius nomine ejus invitati acciperentur.* apud Sveton. Calig.

# CAPUT XIII.

## *De*

# LEGIBUS.

*I. Legis diſcrimen à Conſiliis: II. Ratio eſt Anima Legis: III. LL. Divinarum forenſium obligatio: Scriptores Paralleliſmorum J. Divini & Civilis: IV. Ratio Naturalis aut Æquitatis dictamen Judiciis non ſufficit: Æquitas cerebrina: V. Legem alia non capiunt; Alia Lex non capit: Princeps non eſt ſubditus LL. ſed tamen nec iisdem ſolutus: VI. Chriſtiani Remiges apud Turcas non peccant, quando c. Chriſtianos remos agere jubentur. VII. LL. non obligant alternative: IIX. Obſervantia*

*vantia LL. Fundamentalium non præjudicat Abſolutæ Majeſtati: IX. Diſt. LL. in Affirmantes & Negantes nulla eſt: X. Interpretationis Doctrinalis & Uſualis Autoritas. XI. Conſvetudo.*

I.

LEGEM eſſe *Juſſum Univerſale* præſupponimus: Eo ipſo etiam, quia Juſſum eſt, differre à *Conſiliis*, quæ docent quid fieri poſſit; Leges, ſententiæ quid fieri debeat.

II.

*Ratio eſt anima Legis* condendæ, h. Legislator condidit, quam Statui Reip. congruere deprehenderat. *Legi ſervandæ* apud ſubditos ſufficit Voluntas Legislatoris: Parendi neceſſitatem enim ferunt, & ſæpe ne pares quidem ſunt rationibus penetrandis, quibus Princeps vel Reſp. ad jubendum motus fuerat.

III.

*LL. Divinæ Forenſes* pro Divinis quidem habendæ, non tamen à Deo, qua Deus eſt, prodiiſſe cenſendæ ſunt, cum Deus eas tulerit, non qua univerſalis Rerum Autor, ſed qvod ipſi placeret humano more Legislatorem Reip. Iſraëliticæ agere: Unde veluti Legislatores non aliis Leges ſcribunt, niſi Rebuspp. ſuis, ſic nec Deum alios extra Remp. ſuam his Legibus reſpexiſſe veriſimile eſt. Moduli rationem tamen retinere ubique in confeſſo eſt, qvod imprimis agnoverunt doctiſſimi

JCti, qui Parallelismos Juris Divini & Civilis ſcripſere *P. Pithæus in Collat. LL. Moſaicarum & Romanarum, Gvilh. Velvodus in Parallelis J. Divini Judæorum & J. Civilis Romani, Franc. Raguellus in LL. Policis ex Jurisprud. Sacræ Fontibus hauſtis, Joh. Calvinus in Themide Hebræo-Romana*: Quibus aliisve hujus generis utinam uno volumine fruatur Orbis eruditus!

IV.

*Jus Civile Romanorum* LL. exterarum Nationum hoc nomine antecellit, quod ſpecialia multa comprehendat, magna habita ratione circumſtantiarum, i. hominum, locorum, negotiorum, temporum, variisque reſponſis peculiares caſus determinet. E contrario *Athenienſium* LL. hujus defectus notantur, quod pauca comprehenderint, cætera Judicibus commiſerint. *Turturet, Parall. Eth. & Jurid. Diſſ.* LIV. Etenim plurima Legi, pauca Judici reſervanda eſſe argumento eſt, quod Legislator non de particulari aut præſenti, ſed generaliter de futuris judicet: Judex contra de negocio præſenti ac de rebus & perſonis certis ac definitis ſuam proferat ſententiam: Unde Legislator omni morbo animi & cupiditate caret, quibus affectibus Judex eſt obnoxius; Eoque in LL. nullus eſt locus gratiæ, odio aut beneficio, in Judicibus cupiditates efferveſcunt. Sed in adverſum nititur nimis nota nunc opinio, qua naturali judicio aut æquitatis dictamine nos negocia rerum in judiciis conficere poſſe confidimus: Cui

Cui opponimus I. Majores noſtros itidem ratione naturali & æqvitatis judicio ductos Leges olim condidiſſe, conditis etiam ſæpe rationes addidiſſe: Cauſam ergo dici non poſſe, cur ab iis recedendum ſit. II. Reverſuram ex hoc ſeu negligentiæ ſeu ignorantiæ fonte priſcam *ἀνομίαν*, vel certe confuſionem longe maximam, cui indicio eſt diſſenſus ex naturali judicio loqventium: Unde tot jura, quot non Regna vel Reſpp. ſed homines habentur, extitura eſſe metuendum eſt: III. Ratiocinanti ejuſmodi vel ſummam ſui perfectionem præſupponendam eſſe, qua falli non poſſit in applicatione ratiociniorum ſuorum, vel metum remanſurum perpetuum, ne rationes non ex Natura Rerum, ſed ex apprehenſionis ſuæ modulo formet. Unde iterum ſumma incertitudo non tantum LL. ſed ipſorum quoque Moralium. Dixeris Rationem hanc Naturalem non incongrue *Rationem Cerebrinam*, veluti alias *Æqvitatem Cerebrinam* vocant, qvam Judex ſibi pro arbitrio fingit, cujusve colore LL. autoritati illudit. Vid. *Turturet. cit. loc. Parall. Eth. & Jur.* Add. *Jac. Lerſener* / Obs beſſer ſey nach gewiſſen beſchriebenen Rechten / oder nach eigener Vernunfft zu regieren.

V.

Inter ea, quæ exemptionem à LL. præ ſe ferunt, alia ſunt *quæ Legem non capiunt*: Qualia *Bruta, Furioſi, Infantes*, quæ infra LL. poſita ſunt. *Alia Lex non capit*, qvalis Princeps, qui Legibus eminet, eoque ab iis capi aut comprehendi non

 poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Rationibus jam datis addi poteſt: Principem, quia Remp. præſentat, ipſi æqualem, & conſequenter L Latoria Poteſtate quoque non inferiorem, ſed ei æqualem eſſe, adeo ſingulis LL. eminere. Neque tamen Principem ideo LL. ſolutum eſſe temur, differreque putamus, Principem LL. ſubditum, eundemqve iis ſolutum eſſe, *Princeps LL. ſubditus non eſt*: Lex enim eum non capit, qvod jam demonſtratum, eiqve indicio eſt, qvod cogi non poſſit: *Sed nec ſolutus eſt LL.* etiamſi iis non capiatur. Reſpub. enim tanqvam autor LL. nihil præſumitur factura eſſe contra ſeipſam; ac proinde nec Princeps, qui eam repræſentat. Faceret autem, ſi contra eas ageret, eoq; & Reſp. & Princeps contradicerent ſibi ipſis: Legem Statui Publico non congruere, ideo ſe illam non ſervare; Eandemqve Statui Publico congruere, ideo ſe eam condidiſſe. Neqve illa etiam, qvæ infra LL. poſita ſunt extra omnes earum limites agunt. Quicquid enim LL. jubent, id gemino hoc ſenſu venit I. *Poſitivo*, ut fiat juxta eas. II. *Negativo*, ne quid deſignetur contra eas. *Bruta*, *Infantes*, *Furioſi*, quia tum ratione, tum uſus ejus carent, Leges non capiunt, eoq; non poſſunt facere juxta LL. At ſenſu Negativo non eximuntur LL. adeo ut licet ab illis non poſſit expectari, qvod faciant juxta LL. coërceri tamen poſſint, ne qvid faciant contra illas: Unde & durioribus mediis ſæpe coercentur, qvia metuuntur deſignare, qvod anomaliam in Republ. noſtra gignat, eoque fit contra LL. noſtras.

VI.

VI.

LL. *Injuſtas* ad Actum Obedientiæ Poſitivum non obligare generaliter aſſertu facile eſt; At ſpecialium caſuum determinatio longe difficillima. Talis eſt in Qvæſtione inter exteras Nationes ſæpe agitata: *An peccent Chriſtiani apud Turcas ad tranſtra damnati, quando contra Chriſtianos remis agendis adhibentur?* Ratio dubitandi ex §. eô noſtra pendet, qvod ſcientes ac volentes Legem injuſtam recipiant, & non tantum non reſiſtendo, ſed etiam agendo & concurrendo pareant: Qvare & Moralium Scriptores Catholici Sacra Communione indignos judicant ob malum voluntarium nimis manifeſtò admiſſum. Vid. *Ludov. de Beja in Colleg. Sacr. Bonon. de Confeſſ. Sacram. caſ. IX.* Attamen erit, qvo conſcientiam illæſam, excuſabilemque præſtabunt hanc obedientiam. I. Qvia non peccant peccato proprio, ſed alieno Principalis ſui, à qvo ad remigandum contra Chriſtianos non niſi inviti & cum interiori reluctantia adiguntur. II. Nec inſtrumenta ſunt, niſi actus ejusmodi, qvi in ſe innoxius eſt, & è qvo, qva talis eſt, nihil incommodi in Chriſtianos redundat, qvod ſecus ſe haberet, ſi curam ſclopetorum diſplodendorum &c. gererent. Rationes *Ludov. de Beja* ſunt: I. *Quod contraveniant Præcepto Decalogi de non occidendo, quo non ſolum comprehendantur, qui occidunt, vel occidere aut injuſte pugnare volunt, ſed etiam qui occidenti aut injuſte pugnanti vel id facere volenti aliquo modo auxiliantur &c.*



Digitized by Google

II. *Omnia Mala patienda potius eſſe, quam malo Culpæ conſentiendum: E quo porro colligit, illos ne mortis quidem timore, catenarum coactione & verberum acerbiſſima coercitione excuſari, idque III. Quia Christus docuerit, non eſſe timendos, qui occidunt corpus, ubi periculum immineat occidendæ animæ. IV. Quia ea, quæ intrinſece mala ſunt, quocunque metu fiant, ſint peccata letalia.* Quibus Reſp. I. Concedi, ſi habeant ſe tanquam autores aut inſtrumenta activa, quorum neutrum remigibus tribuendum. II. Cæteris paribus non eſſe malum culpæ. III. Non timendi ſunt, qui occidunt corpus, ſi nulla ſpes ſit actu innoxio illud ſervandi: Hæc autem ſi ſuperſit, cur non vitam antehabeamus morti? IV. Eſſe petitionem Principii.

VII.

Qv. *An LL. alternative obligent*, ut aut *obediamus*, aut *puniamur*? Reſp. Neg. I. Nulla enim Legis transgreſſio delictum foret, ſed quam ſuo quisque periculo libertatem emeret, eam jure haberet. II. Nec delicto neceſſario abſtinendum eſſet, quia Lex cenſenda foret Libertatem propoſuiſſe aut facinore vacandi, aut pœnam ferendi. Quod pluribus demonſtratum *Med. Polit. Cap. XV. §. XXI.*

IIX.

*Leges Fundamentales* conſiſtunt in conſpectu neceſſariæ connexionis Rerum ad Statum Publicum facientium. Earum obſervantia igitur & Prin-

Principem abſolutiſſime regentem obligat. Principem enim, etiamſi hic titulus LL. non eſſet, perpetuo ſervare oporteret iſtud vinculum, quo Reſp. cohæret; Nec magis ei præjudicant, quam ipſe repræſentandi Remp. actus. Neque etiam eapropter vel inferior ſit, vel ſubjectionem aliquam induit: Cum Leges has ſi obſervet, non aliud doceat, quam veram ſe eſſe imaginem Reip.; Et eas ſi non obſervet, non ideo plus poteſtatis accipiat, ſed eo ipſo à debito repræſentandi Rempubl. officio recedat.

IX.

Diſtinctio LL. in *Affirmativas & Negativas* videtur nulla eſſe. Lex *Affirmativa* eſt *Jubens*, *Negativa Prohibens*. Jamque in omni Juſſione per conſequentiam eſt contrarii prohibitio: In omni prohibitione contrarii Juſſio. Nihil hic ergo diſcriminis. Sic Lex de honorandis Parentibus Affirmativa & Jubens eſt; Eadem tamen & Prohibens eſt, dum per conſeqventiam non vult, ut parentibus ægre faciamus. Lex de non committendo Adulterio Prohibens & Negativa eſt; Sed eadem quoque Poſitiva eſt, dum caſte vivere jubet. Eadem ratio Diſtinctionis Peccatorum in Peccata Commiſſionis & Omiſſionis: Nullum Peccatum enim quod committitur eſt, quin eodem aliquid omittatur, nec ullo peccato aliquid omittitur, quin eodem quoque committatur aliquid.

X. Po-

Digitized by Google

X.

Poteſtas Leges ferendi ſeqvuntur Facultas easdem explicandi, Facultas applicandi & applicationem determinandi. Prima *Interpretatione* exercetur, altera *Judiciis*, tertia *Æqvitate & Diſpenſatione*. In Interpretationis generibus *Interpretatio Uſualis* æqvivalet Præjudiciis, & ex parte Conſvetudini; *Doctrinalis* vix alii, qvàm privatæ opinioni de Lege, aut Conſilio. Neutrius, niſi *Authentica* vel expreſſe vel tacite accedat, aliquam vim eſſe ratio clara indicat, qvia Princeps, veluti poteſtatem LL. ferendi ſibi ſoli ſervat, ita easdem determinandi facultatem quoq; alii concedere haut præſumitur.

XI.

Conſuetudo eſt *fluxus exemplorum*. Fluxus quia eſt, exquiſitam Connexionem reqvirit: Quæ fluunt enim omni ſui parte cohærent; Ac proinde exempla factioſa, manca, interrupta, è temporibus noſtris remota hinc aliena. Univerſalitate cum Lege communionem alit; Sed obligationē caret, cum nulla exempla, qua talia, obligent, eoque nec complexus ſeu fluxus exemplorum, niſi involvatur autoritas Principis: Qua vero non Conſvetudo manet, ſed in Legem abit.

CAP.

# CAPUT XIV.

## De

# JUDICIIS.

I. *Cur Judiciis opus ſit? Cur in Statu Naturali non ſint, & an hic loci id probatione egeat? II. Judiciorum Dei mediis ſeculis uſitatorum illuſtratio. III. Secreta Judicia in Weſtphalia. IV. Utrum Judicem oporteat ſecundum acta & probata, an ſecundum conſcientiam judicare? Prætextus Conſcientiæ: Quis Judex hic intelligendus? Caſus quibus actis & probatis locus non ſit. V. Conſideratio Axiomatis: De Occultis non judicat Eccleſia. VI. Torturæ conſideratio: Examen rationum Grevii.*

I.

*Judiciis* opus eſt, quia non omnium hominum ea ſunt Ingenia, ut officium ſuum ultro expleant. Executionem addunt Legibus; *Sapientius namque eſt abſtinere à ferendis Legibus, quarum injuriam ulciſci non poſſis*. Strad. *de B. B. Dec. I. Lib. V.* Statum Naturalem ea reſpuere conſtat, idque prolixa probatione illuſtratum à doctiſſimo Autore *Librorum Jur. Gent. Lib. V. cap. XII. §. II.* Sed eâ hic non magis opus eſſe remur, quam

quam ad reliqua Majeſtatis Jura omnia, vel etiam univerſos actus Vitæ Socialis. In Statu Naturali nec Majeſtati locus eſt, nec pœnis, nec præmiis, nec recognitione Superioritatis, nec Tributis, imò nec Dominia eo diſtingvuntur, nec Agris termini ponuntur: Cuncta non ob ſpeciales rationes, ſed generaliter, Vitæ Socialis Principia in Statu Naturali hominum locum non habitura eſſent: Si enim locum haberent, eo ipſo Status Naturalis deſineret.

II.

*Judiciis DEI* ita ſequioribus Seculis dictis veritas rei judicandæ eventui præter naturam manifeſtando permittebatur. Dicebant aliàs Purgationes. Uſus eorum antiquiſſimus; Notumque in Sacris eſt Aqvarum *Amararum* Judicium. *Numer. V. 12. 13. 14.* Apud *Sophoclem Thebani Oedipo* reſpondent: *In hoc parati ſumus tangere ardendes maſſas, per ignes ire, jurare nec hujus eſſe reos, nec conſcios.* Tuccia Veſtalis Virgo hoc indicio ſe caſtam probavit, apud *Valer. Max. L. IIX. c. I. n. 5.* Sunt etiam qui Virgilii iſtud huc trahunt:

*Gnatos ad flumina primum*
*Deferimus ſævoq; gelu duramus & undis.*

Quod tamen de qvæſito à majoribus noſtris robore accipimus. Maxima etiam amplitudine fuerunt hæ Purgationes; Easque apud *Saxones* Veteres & *Anglos* viguiſſe docet *Seldenus Analect. Angl. Britan. Lib. II.* Apud *Gallos Pontan. Lib. VI. Orig. Franc. cap. XVII.* Apud *Danos Wormius Monum.*

*num. Danic. Lib. I. c. XI.* De Svedis Vid. *Loccenius in Antiq. SveoGoth.* De *Hiſpanis Marina.* Res iis ſubjectæ ad omnes cauſas civiles pariter ac Religioſas extenſæ fuerunt, ipſarumque Diſputationum veritatem iis erui oportuit. Quemadmodum Catholici in Diſputatione cum *Albigenſibus Reformatis* Librum in Ignem conjecere, illumque illæſum eximendo cauſam ſuam probaverunt. Primus qui inter Chriſtianos judiciorum hoc genere uſus fuit, extitit *Bricrius* Epiſcopus *Turonenſis S. Martini* Succeſſor: Is prunas veſtimenti lacinia exceptas ſine noxa per urbem tulit, ut à falſo ſtupri crimine ſe liberaret. In circumſtantiis nulla varietas niſi quod diebus feſtis actus ſuſcipere non liceret; A jejunio quoq; & ritibus communionis imparato eſſe non licebat, qui examinandus erat. Fuitque communiter eventus iſte, ut peractis his Purgationibus, ſi contra reum teſtarentur, ille, quamcunqae etiam innocentiæ ſpeciem reſiduam haberet, damnatus eſſet, aut ſi pro eo facerent, quantocius abſolveretur. Species in *Medit. Polit.* jam traditæ. Omnibus verò generalem hanc epicriſin apponimus, *approbanda non eſſe, niſi Divinæ voluntati ea congruere nobis conſtet*; Adeoque Aqvæ Amaræ ſolæ ſuo in honore relinqvendæ: Cætera verò de quibus nihil tale conſtat, rejicienda veniunt, quippe tentationem DEI Nominisque ejus abuſum implicantia. Obtendit quidem *Aventinus Lib. IV. Annal. Boic.* Majores noſtros magis Deo quam ſibi confiſos,

plus

plus Divinæ Juſtitiæ, ejusq; promiſſis, quam ſuo Ingenio aut Sapientiæ inniſos, potiusque cœleſtibus Decretis, quas ſuis opinionbus ſtetiſſe. Sed id erit effuſiſſimæ Deum tentandi licentiæ campum aperire, pietatem ſocordiæ noſtræ obtentui ſumere, judicia noſtra omnia, quæ tamen ipſe Deus ſanctiſſime cuſtodiri jubet, everſum iri. Ne dicamus eorundem fallaciam in tot exemplis eluxiſſe: Unde dubitabundus ipſe *Aventinus* concludit Diſcurſum ſuum: *Hac tantum abfuit, ut impia judicarentur, ut ſanctiſſimos Pontifices, Principes Chriſtianiſſimos, Viros atq; Fœminas ſacratas uſurpaſſe iſtas purgandi ceremonias inveniam. Iſtud tum erat ſapere, fidem DEO habere, omnem ſpem in ipſo collocare. Noſtro ſeculo nihil minus: Quippe nihil aliud eſt, quam delirare, Deumq; immortalem irritando ad iracundiam provocare. Solet idem factum, ut video, diverſis ætatibus hic* Pietatis, *alibi erroris nomen accipere.*

III.

Occulta in *Weſtphalia* Judicia à *Carolo Magno* olim inſtituta in eos, qui enorme flagitium commiſiſſe comperiebantur. *Saxones* enim fidem Chriſtianam ſæpe promiſſam ſæpius abnegaverant, nec ulla clade aut Juramenti metu terrebantur. Itaque ut metu pœnæ eos compeſceret, occultos inſtituit Judices, quibus poteſtatem dedit, ut quam primum dejeraſſe aliquem cõperiiſſent, aut fidem fregiſſe, aut aliud flagitium admiſiſſe, mox illum ſupplicio afficerent, ubi primum comprehen-

prehendi poſſet, nulla prævia citatione aut defenſione permiſſa. Judices hos *Feymercs, Vemeſcheffen,* dixere, Judicium, *Vemum, Vemding,* quod malis hominibus regionem liberarent, ac veluti deſpumarent. Legebanturque viri graves & recti amantes, quos plectere innocenter veroſimile non erat. *Terruit ea res Weſtphalos ac demum in fide continuit, cum ſæpe in nemoribus & Proceres & mediocres viri laqueo ſuſpenſi invenirentur, nulla accuſatione prius auditâ. Quærentibus tamen cauſam conſtabat fregiſſe fidem, aut magnum aliquod ſcelus commiſiſſe; qui necati reperiebantur.* Vid. *Æn. Sylvius Europ. c. XXIX.* qui primos inter Hiſtoricos hanc rem attigit, quemque cæteri Hiſtorici fere ſecuti ſunt. Et exoleviſſe tandem idem indicat: *Degeneravit autem hoc Judicium. Nam & viles aliquæ perſonæ admittuntur, & civilia negocia tractare audent, quibus erat ſolùm de criminalibus permiſſa poteſtas.* Et ſane utrique malo primo remedium adhibere conati fuere *Sigiſmundus Fridericus & Maximilianus* Impp. in Reformationibus ſuis. Quin & paſſim Privilegia impetrare ſolebant à Cæſaribus, quibus ſe contra Judicum illorum uſurpationes tutarentur homines. Sed tandem omnem hominum medicinam ſuperante malo inveterato penitus abolita conciderunt, ſeu quod inſontes procedendi inſcitia ſæpe in crucem agerent, ſeu quod veros malefactores precio corrupti dimitterent. Vid. plur. *Freher. ſingul. Tract. de Secretis Judiciis in Weſtphalia.*



Digitized by Google

IV.

Judicem potius ſecundum *Acta & Probata*, quam *ſecundum Conſcientiam judicare debere* ſcimus receptam eſſe JCtorum ſententiam; Neque negamus incommoda Status humani tanta eſſe, ut hanc potius, quam contrariam ſententiam arripi oporteat. Fac enim extituros Judices, qui juſto conſcientiæ dictamine virorum bonorum partes expleturi ſint, quot obſecro erunt, qui cõſcientiæ obtentu innocentes damnaturi eſſent? Sanctiſſimus Martyr *Annas Burgius* præterito ſeculo ex hoc capite indoluit Judicibus ſuis, *qui ipſum ex conſcientiis quidem ſuis, non ex vera ſcientia & ſapientia Dei judicaſſent*: apud *Pezel. Mellif. Hiſtor. P. III. pag. 363.* Quod utinam intelligerent Conſcientiarii iſti, qui *uti muſcæq; culicesq; pedesque, pulicesque, odio & malo & moleſtiæ, bono uſui ſunt nulli.* At ſepoſitis hiſce ſi rem in natura ſua conſideremus, ſupererunt nihilominus, quæ Acta & Probata non ſimpliciter ſequenda indicabunt. Sunt ea I. Innocentem & juſtum occidi rem ſua natura malam eſſe: Ergo eundem nec ulla autoritate Legis condemnari poſſe. II. Ne ipſa lex quidem condemnatura eſſet innocentem, ſi melius poſſet informari; Judex e. plus non poteſt, idemque melius informatus eſt, quam Lex ipſa. III. Judicare ſecundum formalia proceſſuum eſt conſtitutionis humanæ; At iterum mors innocentis Legis æternæ. Et IV. Caſus dantur, qui ex Actis & Probatis judicari prorſus renuunt.

Prin-

Digitized by Google

Princeps certe non pateretur condemnari illum, qui ea die ſecum fuiſſet, qua per Acta & Probata homicidii convinci poſſet. E. naturalis nulla ratio eſt, cur Acta ejusmodi ſufficiant, ſed hominum imperfectio iis tantum autoritatẽ majorem addidit. Nosq; Principis perſonam ideo lubentius allegamus; nequis Judicis nomine in hoc qvæſito ſolos Inferiores comprehendi autumet, cum omnes infimos, medios, ſupremos Judices eoque ipſum Principem id attineat. Rurſus Titius accuſat Cajum homicidii, idemque ſufficientibus indiciis probat. Qv. iterum an Judex eum tradere poſſit, cui certò conſtat, eum tempore illo, quo perpetrati homicidii accuſatur, in ædibus ſuis fuiſſe ac rem domeſticam curaſſe? Si negandum eſt, utique dantur caſus, in quibus privata Scientia prævalet publico. Iterum Viretta, fœmina impudica prætendit ſe eſſe uxorem Colori Viri Nobilis, probat etiam teſtimoniis & Sacerdotis, qui illos copulaverit, & aliorum qui nuptiis interfuerint: Itaque Judex Colorum jubet uxoris loco Virettam habere. At ille probe novit ſe maritum eſſe non hujus, ſed Victoriæ Moroſinæ. Qv. An Colorus Judicis ſententiam contra propriam conſcientiam ſequi teneatur? Si negandum eſt, jam iterum dabitur caſus, quo Judicis ſententiæ conſcientia prævalet; Atq; adeo Colorus contra Acta & Probata adhærebit Victoriæ ſuæ & quidem vi neceſſariæ obligationis; Nullius hominis error enim aut malitia

LL. Divinas poteſt deſtruere. Inſt. I. *Judicem poſſe duplicem reſpectum habere perſonæ privatæ & publicæ.* Reſp. Sed effectibus contrariis eosdem diſtrahendos non eſſe. II. *Judici in caſu ejusmodi abdicandum eſſe munus ſuum.* Reſp. Eo ipſo effecturum, ut innocens periculum incurrat, quod ſalva conſcientia admittere non poteſt. Vid. *Taylor. Ductor. Dubit. Lib. I. c. II. Reg. VIII. num. 5. & ſeqq.*

V.

*De Occultis non judicat Eccleſia*, non incognitum Axioma eſt, idemque hic conſiderandum ſumſimus. Ratio ejus, quia Judiciis noſtris tantum actus externi ſubjiciuntur: Occulta enim quia ſcientiam noſtram fugiunt, pro externis haberi non poſſunt. Dubio, quod de cenſuris ſacris omnium fere Religionum in Peccatores occultos moveri poteſt, reſpondet *Navarrus*: *Occultum duplex eſſe*, alterum *per ſe*, quod ſua natura probabile non eſt; Qualia ſunt omnia peccata ſola mente & corde concepta; Alterum *Occultum per accidens*, quod ſua quidem natura eſt probabile, ſed quia nullo præſente factum eſt, non poteſt probari. *Occultum per ſe* deinde idem duplex facit, alterum quod comitetur actus exterior, per quem, uti per effectum & ſignum ejus, probari poſſit; Alterum quod non comitatur talis actus exterior. Vid. ipſum *Comm. in Cap. Cogitationis de Pœnit. Diſt. I.* Quæ in explicatiorem hanc ſummam contrahimus: Occultum aliud eſſe, quod

ab

ab intellectu humano animadverti poſſit, quod *Navarrus* vocat *Occultum per accidens*; Aliud quod intellectus humanus animadvertere non poſſit, quod iſte vocat *Occultum per ſe*. Hujus generis erunt ſolæ cogitationes ad actus externos nullos egreſſæ; Iſtius omnia peccata etiam externa, quæ pro ratione circumſtantiarum ſcientiam hominum fugiunt, remotis tamen circumſtantiis innoteſcere poſſent. Tales ſcortationes, cædes, actus idololatrici &ſſ. qui innoteſcere poſſent, niſi abſentibus omnibus peragerentur; Cogitationes vero ſecuri volvimus præſente cœtu quantocunque. Quæ omnia ſi ad Axioma noſtrum transferamus, reſpondemus: Eccleſiam judicare de Occultis per accidens, non de Occultis per ſe. De Occultis per ſe autem, ut cogitationibus, ſi Practicæ ſint, Eccleſiam non tam judicare, quam eadem judicanda Supremo Judici committere, aut à Judice Supremo judicanda eſſe denunciare.

## VI.

De *Tortura* ſimiliter reſpondendum ducimus: Præſtiturum, ſi ea opus non eſſet; Sed tanta in Vita Sociali eſſe incommoda, ut illa ſine Tortura ſe longe deterius habitura eſſet, quam dum aliquam iniquitatem ejus ſubinde ferimus. Et *Job. Grevius* quidem ſingularem Librum, quem *Tribunal Reformatum* vocat, ex Ergaſtulo *Amſtelodamenſi Tortura* oppoſuit: (Huc enim, quia Arminianas partes immoderatius tenuerat, compactus fuerat;) Sed non opinamur multum ro-

boris ratione ejus manere. Dicit I. *Nihil eſſe in Tortura, quod cum Præceptis aut Exemplis S. Scripturæ conveniat. L. II. c. I.* Reſp. Prima Patriarcharum & Iſraelitarum tempore eâ non eguiſſe, cum intra familias tunc includerentur Reſpublicæ, eoque minori etiam Proceſſuum Judiciariorum ordine opus haberent: Secuta Reip. Iſraeliticæ tempora itidem ea non indiguiſſe, DEO ipſo tunc plerunque actorem & teſtem agente, unde aliis mediis opus non fuit: Poſteriora ejusdem tempora caſus ſingulares haut perinde annotâſſe, quod è Libris Regum & Chronicorum ſatis patet; Neque argumentum contra Torturam inde ſumptum magis valet, quam qvicqvid contra univerſum apparatum Juris, ibi itidem non deſcriptum, inſtrui poſſit. Accedit effectum Legis Zelotypiæ in caſu mulieris adulteræ nihil diſſimile torturis hodiernis præ ſe ferre, cui Grevius etiam nullum dignum reſponſum opponere poteſt. II. *Torturam charitati eſſe adverſam Lib. II. cap. II.* Reſp. idem urgeri poſſe contra omnia ſupplicia capitalia. *Inſt. contra Jus Naturæ eſſe, aliquem cogere, ut ſeipſum prodat. Ib. p. 253.* Reſp. Aliis indiciis jam probabiliter proditum eſſe, qværiq; potiſſimum, ut ipſe veritatem agnoſcat, atque ita omnibus æqve ſatisfiat. III. *Torturam ingentibus malis occaſionem multiplicem præbere, qualia 1. Quod inſerviat iniquo Judici ad crudelitatem explendam. 2. Inſerviat item calumniatoribus ad opprimendos innocentes.* Reſp. Ideo prudentia Judicis

cis vel Inferioris vel Superioris eam temperandam eſſe. 3. *Ipſos ſceleratos ita innocentes alios in ſuſpicionem ſceleris ſæpe trahere.* Reſp. Iterum prudentiam Judicis huic malo obviam ituram. Cætera quæ oſtendit mala, ex his dijudicabuntur. IV. *Abuſibus eam crebro obnoxiam eſſe.* Reſp. Ideo nec omnem ubivis applicari poſſe; Rurſusq; ſupplicia eandem ob cauſam tollenda forent. V. *Homines ea ſæpe extingui.* Reſp. Eſſe itidem partem mali prudentia Judicis moderandam. VI. *Scriptores alios in Torturam* invehi, *Ludovic. Vivem Comm. ad Lib. XIX. cap. XVI. Auguſt. de Civ. Dei. Petr. Charonium Lib. de Sapient. Wilhelm. Zepperum de Polit. Moſaic.* & quos ille magno numero citat. *pag. 363. & ſeqq.* Reſp. Alios abuſum, alios imprudentiam Judicum aliaque reprehendiſſe, cæteros rem minus perpendiſſe.

## CAPUT XV.

### De

# POENIS.

*I. Fundamentum Juris Puniendi. II. Idem Privatis communicatum. III. Cur Miniſtri Executionum abominationi ſint? IV.* Explicatio *Axiomatis: Cogitationis Pœnam nemo patitur: V. Diſcrimen Delictorum natura ſua Capitalium, & Capitalium ex Lege: Poloni-*

*corum Statutorum Diſpenſatio in Homicidiis: VI. An Furta ſint mortis ſupplicio afficienda? An Adulteria Naturâ ſint Capitalia? VII. De Acerbitate Suppliciorum monitum: An Exilia à Chriſtianis indicenda? Hebræorum ſupplicia: Explicatio Dicti: Suſpenſus maledictus eſt coram DEO.*

I.

FUndamentum Juris Puniendi hic Scrupulus comitatur, quod Pœnæ invitis inferantur, veroſimile autem non ſit Subditum in transferendo Jure ſub aliquid Principi contuliſſe, quod ſibi invito poſtmodo obtruderetur. In eo itaque illud ſitum arbitramur, quod Jus conſervandi nos ipſos in Rempublicam aut Principem transtulerimus, & ſimul eo neceſſarium conſequens ejus, Jus unumquemque ab eo, quod noſtrum eſt, arcendi. Jus Puniendi autem ex Jure arcendi alios ab eo quod noſtrum eſt fluit, ut qvia prohiberi nolit, violenter arceatur, aliique à ſimili facto abſterreantur. Dum itaqve Jus conſervandi & arcendi in Rempubl. tranſtulimus, ipſe meum, alter, tertius cæterique omnes ſuum tranſtulere, atqve eo ipſo unusqvisqve alterum à ſuo arceri voluit, unde pœnæ neceſſario ſeqvuntur, non quas hic ſui cauſa & ſuo conſenſu, ſed propter aliorum Jura, & alii iterum propter hujus Jura ſubeant, eoqve à ſingulis approbatæ in univerſos exerceantur.

II. Pæ-

Digitized by Google

II.

*Pœna* itaque actus Reip. ſunt, in hanc enim Facultatem arcendi alium à Jure noſtro tranſtulimus. *Privati* Jus puniendi non habent, quia pares ſunt. Caſus quibus ab illis exerceri poteſt, Autoritatem publicam qva nitantur præſupponunt, qvales iſti, qvos *Imperium Maritale, Poteſtas patria* &ſs. ſuppeditat. Eodem modo ſentiendum de cæde eorum, qvos Respubl. hoſtes patriæ proclamavit, adeoqve unicuiqve libere interficere permiſit. In hoſtem publicum enim qvidvis licet, qvia Incolumitas ejus in periculum Reipub. cedere creditur. Hunc ergo qvi interficit, eo ipſo Rempubl. periculo eximit, ejusque ſalutem procurat: Unde non tantum in Foro Civili, ſed ipſo Conſcientiæ Foro abſolvendus eſt, niſi privatum odium intervenerit; Tunc enim non Reipublicæ ſed ſui cauſa cædem intentaſſe præſumitur.

III.

Cur *Miniſtri* pœnarum, *Lictores, Carnifices*, abominationi ſint, ex habitudine membrorum corporis noſtri non obſcure illuſtrabitur. In corpore noſtro membra omnia toti compagi uſum ſuum præſtant, ſed ab eadem varios Dignitatum gradus adipiſcuntur: Cor & cerebrum nobiliſſima ſunt, cum inſtrumenta Vitæ & Ratiociniorum ſint; Cætera, manus, pedes, oculi, mediocribus aliis officiis deſtinata: Infima omnium ſunt, qvæ ſordibus ejiciendis vacant, corpori qvidem non minus neceſſaria ac cætera: Eorum

tamen nos pudet, eoque naturali quadam velut infamia laborant, non ſui cauſa, ſed propter ſordes adhærentes. Similis ratio Corporis moralis & Reip. fuerit, cui *Lictores* & *Carnifices* id præſtant, qvod naturalia membra corpori, qvippe ſordibus Reip. ejiciendis deſtinati & tamen Reip. neceſſarii, ne nobilius membrum ſordibus gravetur: Unde abominationi ſunt, non adeo ſui cauſa, qvam propter facinoroſos, circa qvos occupantur.

IV.

*Cogitationis Pœnam nemo patitur.* Rationem generalem reddimus, quia *cogitationes non ſunt in poteſtate noſtra.* Jam vero veluti Leges non poſſunt ferri niſi de rebus in poteſtate noſtra poſitis, ita nec Pœnæ ab iis peti poſſunt, qvorum arbitri non ſumus. Cur in poteſtate noſtra non ſint, non tantum qvotidiana qvemqve experientia docebit, ſed idem etiam in notiſſimo Scholaſticorum Axiomate elucet: Præſente objecto potentia neceſſitatur ad agendum, qvod illuſtratum Vid. *Medit. Polit. Cap. VI.* §. *IIX.* *Sed an in Foro Conſcientiæ etiam impune exeant dubium eſt*, manente hic pro iis eadem ratione: Qvia non ſint in poteſtate noſtra; Iſthic vero in contrarium tendente Effato Sacro, qvo ad reddendas etiam cogitationum rationes aſtringimur. *Comitolus* reſpondet diſtingvendo inter cogitationes rei malæ *Speculativas & Practicas.* *Speculativæ* ſunt, cum per ſeipſas & nudæ manent, ſine appetitu,

conſi-

conſilio aut electione, qvæ eam antecedat aut ſeqvatur. *Practica* contra delectationem & deliberationem habent annexam, *Illas innoxias* dicit, nec pro peccatis habendas, qvia cogitatio talis prævenit voluntatem, ante voluntatem vero non eſt peccatum; *Practicas* vero pro peccatis habendas, eoqve Pœnam mereri. *Rep. Moral. Lib. IV. Qv. XLVI. num. IV. Navarrus* eodem ſenſu diſtingvit cogitationes acceptas I. *Proprie* pro *actu potentiæ cognitivæ*, ut in verbis *Ciceronis Lib. V. Tuſcul. Qv. Vivere Docto viro eſt cogitare.* Sicq; ſcribere, legere aut nobiſcum aliqvid cogitare dicimur. II. *Improprie pro actu potentiæ appetitivæ & voluntatis*, ut in Sacris *Gen. VI. & VIII. Cogitatio cordis humanæ eſt mala ab initio usq;.* Et poſteriori ſenſu veluti cogitationes pœna dignas eſſe agnoſcit, ita priori ſeuſu, prout cogitatio eſt quædam cognitio & actus potentiæ cognitivæ ſeparatus ab actu potentiæ appetitivæ ſive voluntate, pro actu habet, qvi per ſe neqve bonus neque malus ſit, ſed indifferens, ſicut loqvi, ambulare, ſedere; Sic enim & ſanctiſſimos qvosqve de peccatis concionari, ea legere, audire de iisdemqve diſſerere, ſed ſine conſenſu, ipſumq; Servatorem de iis crebro egiſſe, ſed ſine peccato. In ipſis *humanis* aliqvando eò extendi cogitationum pœnas, h. ſi innotuerimus delictum *aliquod* practice *cogitaſſe*, exemplo ſuo docuit ſummi Hiſtorici *Thuani filius*, qvi capitali ſupplicio affectus fuit ob ſolam conſcientiam cædis *Cardinali Richelio* intentandæ.

Cujus

Cujus ratio erat, qvia tacuerat rem Reip. valde exitioſam, è qva porro ſeqvebatur, non ſolam conſcientiam facinoris in eo fuiſſe, ſed tacitum ſimul conſenſum vel approbationem ſecuturæ cædis, in qvam ſi non inclinaſſet, non tacuiſſet. Rem totam vid. apud *Priol. Hiſt. Gall. Lib. I. Cap. VI.*

V.

De *Furioſorum* Pœnis Tribunalium ſententiæ variant, & dum mitiùs eos alicubi reſpiciunt, alibi tamen pœnas effugere non ſinunt, non tantum qvia rationem celare præſumuntur, ſed etiam ne qvi rationem celent, ſeu furoris prætextu affectus ſuos in innoxios effundant: Cui alia ratio accedit, in criminis nempe deteſtationem & delendam ſceleris admiſſi memoriam. Ideo namqve & *Bovem cornipetam*, ſi hominem occidat, Deus è medio tolli jubet, à qvo tamen omnis rationis uſus exulat. At pro *Furioſo* plura afferri non poſſunt, qvam iſta pro Bove ſunt: Unde & Furioſi ejusmodi ut plurimum etiam in dilucidis intervallis conſtituti infeliciter agunt, Deo vindice eos perſequente, ut qvia vita ſe ſemel indignos præſtiterant, iis nunqvam vita integre frui detur. *Navarrus in c, aut facta. Diſt. I. de* Pœnit. de hiſce ita diſſerit: *Dementes, ſi arripiant arma, incedant cum illis, minentur & intendent aliis mortem & injurias, ſi ea non eveniant, nulla pœna puniri.* At illa ſi evenerint, & ſeqvatur mors vel aliqvod magnum malum, caſtigari aliqva pœna arbitraria non obſtante dementia, *in exemplum cohibendi*

*delicta*

Digitized by Google

*delicta propter ſuſpicionem, quam talis eventus generare poteſt, quod aliquid mentis & culpæ habeat ille demens.* Sicqve apud *Græcos* caſus fortuitos non ſecuto eventu non punitos fuiſſe, ſecuto tamen illo non impunes manſiſse. Et ſiqvis in virgulta, quibus homo probabiliter non putatur abſcondi, ſolverit inſtrumentum manuarium aut ſclopetum, & nihil ſiniſtri eveniat, nulli inqviſitioni aut pœnæ ſubjacet; At ſi qvem abſconditum ita occiderit, ab inqviſitione non immunis eſt, & ut plurimum in exemplum vel ob horrorem tanti mali, vel ſolatium cognatorum exilii aut piæ impenſæ alicujus faciendæ damnatur.

## VI.

In Pœnis *capitalibus* Delicta duûm generum ſedulo diſtingvenda ducimus, nimir. utrum *delictum urgentibus circumſtantiis aliquibus capitale fuerit redditum,* an vero *natura ejusdem ita comparata ſit*, ut poſito illo neceſſario ſupplicium capitale ſeqvi oporteat. Poſterioris generis *Delicta natura ſua Capitalia*, prioris *Delicta Capitalia ex Lege dixerimus.* Sic *Atheiſmus* Delictum natura ſua capitale eſt; Atheus enim turbat univerſæ Societatis Creaturarum vinculum & conſeqventer vita indignus eſt. Pactum explicitum *cum Satana* itidem Delictum natura capitale eſt, tranſiit enim delinqvens in caſtra hoſtis Dei, eoque quicquid cultus Divini eſt turbat, unde inter homines tolerandus nõ eſt. Inter delicta homines propius attinentia, *Crimen læſæ Majeſtatis* capitale eſt; Delinqvens

linqvens enim univerſam Rempubl. turbavit. *Sodomia* eodem loco habenda; Homo talis enim ſua ſponte ſe infra humanum ſtatum abjecerat; Cur alii ergo eum inter homines paterentur? *Inceſtus* eodem referendus ex *Cap. VII. §. XII.* Obſervantqve ſcriptores Rerum Moralium, delinqventi ejusmodi, etiamſi millies in hiſce terris reviviſceret, nihilominus moriendum eſſe, ob indignitatem ipſi perpetuo adhærentem. *Homicidiorum* qvoqve prorſus eadem ratio; Licentia eorum enim totum Statum humanum in periculum abducit. Unde & dictamen Divinum iſtud Gen. IX. *Quicunq; ſanguinem humanum effuderit, ejus Sangvis effundatur.* Qvod & conſenſus plerarumqve Gentium veluti excipit, niſi qvod in Statutis Regni Poloniæ à Caſimiro Anno MCCCLXVIII. Lex occurrat: *Quamvis occidens hominem ſecundum DEI & Regum ſanctiones eſſet capitali pœna plectendus*, nos tamen rigorem illum temperantes, *ſtatuimus quod occidens militem XXX. Marcas parentibus, pueris aut amicis &c. ſolvere teneatur.* Et alia ejusmodi *Caſimiri de Kmethone* occiſo: *Si quispiam Kmethonem occiderit, X. Marcas ſolvere teneatur, quarum VI. uxori ſeu pueris ſi ſuperſtites ſint, & reſiduæ IV. Marcæ Domino occiſi ſolvantur.* Neque caſum pro pœna capitali alium annotare licet, qvam ſi *Kmetho Kmethonem* occiderit, & X. Marcas ſolvendo non fuerit, ut tunc pœna capitali puniatur, apud *Herbut. fol. 200.* Nec aliter nimiam illam lenitatem correxere, quam ut homicida

micida loco XXX. *Marcarum* CXX. perſolveret, totoqve anno & VI. ſeptimanis turri includeretur. Vid. *Statutum Sigiſmundi* ap. *Herbut. fol.* 195. & *Sigiſmundi Auguſt. fol.* 199. Sed in viam revertimur, ac licet caſus dentur, qvibus homicidium non fuiſſe capitale videri poſſit, ſupplicium tamen ideo non ablatum, ſed tantummodo dilatum dici debebit, h.e. ut pœna manſerit, effectus vero ejus ob cauſas graviſſimas ſuſpenſus fuerit. Sic *Jobus* duorum homicidiorum reus à Davide punitus non fuit, turbulentis Reip. ſuæ temporibus id non ferentibus. Idem tamen à Salomone poſtea interfectus fuit, cui inter monita moriturus David dabat, ne canos Joabi qviete ad ſepulchrum ferri pateretur, *I. Reg. II. v. 6.* Nec rebellionis cauſa aut conſpirationis cum *Adonia* ipſum interfectum fuiſſe, cujus tamen itidem reus erat, patet ex *v.* 31. *32. & 33. ejusdem cap.* ubi diſertus tenor ſententiæ eſt: *Joabum* ideo occidi, qvia ſangvinem innocentem effudiſſet. Neqve aliud de homicidio *Caini* dici poterit, cujus ſupplicii executionem differri qvidem oportebat, qvod in *Caino* pereunte periclitaturum fuiſſet totum Genus humanum, de qvo vid. *Medit. Polit. Cap. VII. §. XV.* Supplicii ipſius exors tamen ideo reddi non potuit: Qvapropter ipſe coram DEO profitetur, ſe morte dignum eſſe, ac ſe à primo qvoqve ſibi occurſuro occiſum iri. Neqve aliter à præſenti metu liberari poterat, qvam ſingulari diſpenſatione Divina circa ſuſpendendum Effectum,

qvæ

qvæ erat, ut ſignum *Caino* imponeret, ex qvo ab omnibus dignoſceretur; Nec etiam ſupplicium capitale effugere potuit, qvod ceſſante ratione periclitaturorum in cæde ipſius hominũ, à Lamecho uno poſterorum ſuorum abſtulit, ſi illo ſenſu ſibi conſtant, qvem pleriq; Interpretum ei attribuunt, *Lamechi* verba *Gen. IV. 33. Occidi virum in vulnere meo, & adoleſcentem: Cainus ſepties vindicabitur, Lamechus vero ſeptuagies ſepties.*

## VII.

Delictorum ex Lege Capitalium ſpecimen in famoſa illa de *Furtis puniendis* Qvæſtione elucere arbitramur. Neqve enim Qvæſtio ſimpliciter eſt, *an Fures ſint ſuſpendendi*, qvod argumenta valida evincunt. Sed an natura Furti ita ſe habeat, ut poſito illo ſupplicium capitale ſeqvi debeat, qvod negant Theologi, & nullam eſſe inter vitam hominis, & rem ablatam proportionem non abs ratione urgent. *Adulteria* ſimilem qvæſtionem præbebunt, *an natura ſint capitalia?* Ubi iterum qvæſtio non erit, an Jure Civili vel conſvetudinario certarum Regionum aliqvando capitaliter punita non fuerint, ſed an interna adulterii eſſentia ita comparata ſit, ut illo poſito, delinqventem è numero viventium exterminari oportebat. Ac apud *Hebræos* qvidem ante captivitatem Babylonicam capitalia fuiſſe Lex Sacra Forenſis nos dubitare non ſinit; cujus vero ſingularis hæc ratio erat, qvia *Polygamia* in Rep. Iſraelitica vigebat, & illa qvidem ad IV. ſæpe ad XIIX. uxores extenſa,

qva

qva de re vid. *Selden. in Ux. Hebr.* Spurciſſimum ergo eſſe oportuiſſet, qui in tanta uxorum copia vetitis inhiaret amoribus. Sub Templo ſecundo vero, quo tempore etiam Polygamia deſiit, adulterium haud perinde capitale fuiſſe habitum, ex hiſtoria adulteræ videtur colligi poſſe *Johan. IIX.* quam cum Phariſæi exhibuiſſent Servatori, & num ſupplicio capitali digna eſſet qvæſiviſſent, Servatorprimum tacere, deinde ut quisquis Phariſæorum ſine labe eſſet, primum lapidem in eam projiciat reponere: Sic exiiſſe omnes Sacrum Evangelium dicit mulieremque ſolam cum Domino manſiſſe; cui tunc ille: *An nemo accuſatorum Te condemnavit?* cumq; negaſſet, *proinde nec ego,* inqvit, *te condemno, abi & cave ne pergas ita peccare.* Quæ Hiſtoria licet nonnullis videatur genuina non eſſe, validiſſime tamen eam legitimam partem Evangelii eſſe probavit *Selden. Ux. Hebr. Lib. III. c. XI.* An Jure veteri *Caſaræo* pœna adulterii forenſis fuerit vitæ amiſſio ſæpe diſputatum eſt, ſeu an Lege Julia, vel alia cœperit vetuſtiori. Sed à Viris doctiſſimis ſatis eſt demonſtratum ex jure recepto pœnam ejusmodi non irrogatam fuiſſe, antequam ab Auguſtis *Chriſtianiſmus* ſuſciperetur, ſed relegationem alienamve citra mortem coercitionem. Vid. *Menoch. de Arbitr. Judic. Qv. Lib. II. Cent. V. caſ. 419.* Primaq; in Jure de capitali ſupplicio Lex eſt *L. 30. C. ad L. Jul. de Adult.* à *Conſtantino M.* lata: Sacrilegos autem Nuptiarum gladio puniri oportet: Vid. prolixe hac de re agentem *Selden. Ux. Hebr. L. III. c. XII.*



Digitized by Google

## IIX.

De Varietate Súppliciorum Capitalium diximus *Med. Polit. hoc Cap.* §. *XIX.* atque acerbitatem aliquorum minui ibidem optavimus. Hic *Thuani* judicium de eadem materie ſubdimus L. CXXIV. ad A. MDC. ubi de ſuppliciis rebellium militum Præſidiariorum Pappienſium diſſerit: *Ultra humanitatis modum tam fœdæ ac deteſtandæ Proditionis vindicta facta, non ſine multorum horrore, qui ita cenſebant: Improborum animos non tam per ſupplicia à ſceleribus perpetrandis avocari, quam ad quidvis agendum & patiendum efferari, neque tam acerbitate deterreri, quam aſſvetudine hujusmodi ſpectaculorum actum pœnarum imminui.* De *Exilio* ſingularis eſt obſervatio *Petri Martyris ad L. l. Reg. c. ll. fin.* & ex eo *Joh. Althuſii de Pœnis c. l. num. 139.* Pœnam *deportationis* nimirum & exilii perpetui in Rep. Chriſtiana non eſſe admittendam [1.] Quod ii qui deportantur in loca ſuperſtitioſa concedere, eoq; deteriores reddi poſſint. [2.] Deportatos ſæpe arcana Civitatis ſcire, ſicq; proditores & diffamatores fieri. [3.] Deportatos majori licentia eadem maleficia alibi repetituros. [4.] Quando hiſce maleficis exoneratur civitas, alia rurſus, in quam deportantur, oneratur & inficitur iisdem, contra Chriſtianam charitatem, quæ vult, ut quæ tibi non velles fieri, alteri etiam non feceris. Ideo conſultius fieri putant, ſi perſona releganda certo jurisdictionis noſtræ loco includatur, & ad meliorum frugem

redu-

Digitized by Google

reducatur. Sic *David Abſalonem* Filium ſuum relegandum certo territorii ſuo loco adſtrinxit, *II. Sam. XIII. v. 28. & cap. XIV. v. 14. 15. 29. 30. 33.* *Salomon* quoque relegavit maleficos *Abjatharem* & *Simei*, ſeu potius certo loco incluſit, iſtum prædio ipſius, hunc Hieroſolymæ, *I. Reg. cap. II. v. 26. 27. & 36.* Apud Hebræos Supplicia Reipublicæ qvatuor erant; *Interfectio*, quæ enſe peragebatur, ut apud nos: *Suffocatio*, quam teſtes duo peragebant, tacto ab utroque latere linteo vel fune, cui collum delinqventis involutum erat, ad eum modum, qvo hodienum apud Orientales Suffocationem hanc ſeu *Strangulationem* fieri moris eſt. Nec *ſuſpendio* locus erat, niſi in hoſtes vel Reipublicæ; Sic enim in hiſtoria Joſuæ qvinqve Reges ex arboribus ſuſpenſos legimus; vel hoſtes Dei, ſic enim Idololatræ poſtquam vel *Suffocationem* vel *Lapidationem* ſubierant mortui ſuſpendebantur, unde & ſua lux accedit nobili apud Apoſtolum dicto: *Suſpenſum coram DEO maledictum eſſe*; Erat enim *Idololatria* eoque Criminis læſæ Majeſtatis Divinæ reus & hoſtis Dei, ut proinde, non qvâ ſuſpenſus maledictus ſit, ſed qvia ſuſpendium ejusmodi crimen ſeqvebatur, qvod maledictionem delinquenti attrahebat. *Combuſtionem* Hebræorum Magiſtri itidem à moribus noſtris plane diverſam tradunt, demiſſum reum firmatumqve aperto ore plumbum liqvefactum excipere oportuiſſe tamdiu, donec moreretur. *Lapidatio* denique itidem à teſtibus peracta, qui graviſſimis

duobus lapidibus reos ita petebant, ut mortem è veſtigio ſubirent, tunc ſecuta reliqua turba aſtantium lapidibus eos non ad necem perductura, hanc enim jam ſubierant, ſed cadavera eorum obrutura in perpetuam rei memoriam. Cuncta plenius diducta in *Tractat. Sanhedrin cap. VII.*

# CAPUT XVI.

# BREVIARIUM DIGNITATUM.

*I. Generalia de Dignitatibus. II. Tituli Regii antiquitas, amplitudo: Jus Regna donandi in Sede Romana: Baronii Tr. de Monarchia Siciliæ. III. Titulus Imperatoris: Juſtiniani Veneti cenſura. Cur Henricus Auceps Rex, non Imperator dici voluerit? Nomen Electi Imperatoris: Uſus hujus nominis apud Græcos, Turcas, Ruſſos. IV. Majeſtatis nomen: Obſervatum de Imperio Germanico, de Hiſpaniæ Rege. V. Titulus Dei Gratia: Uſus pluralis Numeri: Dilectionis nomen. VI. Titulorum alius uſus ſimplex, alius dum Coronæ annectuntur. VII. Specialis Titulus Imperatorius Semper-Auguſti, Advocati Eccleſiæ, Pontificis Maximi. VIII. Titulus Catholici*

*in*

*in Hiſpania. IX. Titulus Chriſtianiſſimi in Gallia. X. Defenſoris Fidei in Anglia. XI. Titulus Porphyrogenneti, Sultani, Sophi, Magni Mogoris, Chami, Magni Negus, Preſtegiani, Magni Tabachi, Yncarum. XII. Nomen Principis Aſturiarum, Infantum, Delphini, Principis Walliæ, Nati Ducis Cornubiæ. XIII. Amici Regis, Lords, Pares, Grandes. XIV. Archi-Duces, Magni-Duces, Supremi-Duces. XV. Titulus Principum. XVI. Titulus Comitum: Examen vocis* Ehrlich. *XVII. Barones. XVIII. Nobiles. XIX. Dignitates Sacræ Pontificis Maximi, Muftii, Dairi, Magni Lamæ, Cardinalium, Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum &c. XX. Tria Equitum Genera, Clinodiorum, Cruciatorum, Auratorum.*

## I.

DIGNITATUM Natura conſiſtit in *Qualitate eminendi aliis.* Cauſa earum Impulſiva *Virtus*; At Principalis, *Agnitio Reipublicæ.* Sola virtus non ſufficit; Sunt enim Præmia Reipublicæ, adeoque à Rep. proficiſci oportet. Neque omnes virtutes aptæ ſunt, qvæ eas gignant, ſed ſolæ *Sociales.* Non *Pietas, Manſuetudo, Temperantia.* Rem civilem enim non attingunt, ſed in ſingulis requiruntur, etiamſi in nulla ſocietate vivant, unde nec Publici teſti-



Digitized by Google

monio aut declaratione indigent. Inter attributa earum eſt *Indelebilitas*, ſeu *Character indelebilis*, & quidem vel in perſona, vel etiam ampliori gradu in familia. Dignitates enim ſeqvuntur merita, merita autem quippe ſemel facta infecta fieri neqveunt, eoque judicium de iis etiam ſemper idem manere oportet. Dignitatum officiariarum non eadem ratio, cum merita non involvant & rem factam, ſed merenda & rem faciendam. Sola Divina officia excipiuntur, quorum Character itidem eſt indelebilis, ideo quia Deo nunquam ſatis ſerviri poteſt.

II.

REGIUS Titulus fons omnium Dignitatum eſt, æqve ac Sol fons lucis, qui veluti luciſſimus eſt, licet lucem aliis communicet, ita Regium nomen digniſſimum eſt, licet inde manent Dignitates cæteræ. Eo à primis temporibus uſi ſunt, ad ſummam & abſolutam poteſtatem deſignandam. Ipſi *Patresfamilias* αὐτόνομοι eodem olim uſi, in ſignum independentium jurium ſuorum. Unde numeroſa illa apud veteres Regum ſeries, & ipſe Abraham Juſtino *Rex Damaſci* dictus, Chetæis in Geneſi *Princeps Dei*. Secutis temporibus REGES REGUM enati, h. qui aliis Regibus eminerent, adeoque poteſtate eſſent ampliſſimâ: Cui titulo *Imperatoris* nomen à Romanis ſurrogatum, primùm modeſtiæ cauſa, poſteà quod Principem Romanum Principibus ac Regibus aliis ſuperiorem eſſe vellent. Horumq;

veſti-

veſtigiis etiam *Pontifices Maximi*, licet alio ex capite, inſtiterunt: Unde illæ de Poteſtate ſeculari Pontificum Maximorum in omnes Chriſtianiſmi & Orbis Reſpublicas aſſertiones Catholicorum quorundam. Ipſaque Regna donandi conſvetudo eorum inde manavit, cujus exemplum in donato Hiſpanis Novo Orbe notum eſt; Et præterito adhuc ſeculo *Philippi* ac *Mariæ* Regum *Angliæ* temporibus *Hiberniæ* Titulum Regium decrevere, quanquam jam antè & *Henricus IIX.* & *Eduardus VI.* Reges Angliæ autoritate Parliamenti Anglicani ſe Reges Hiberniæ inſcripſerunt. Et Rex *Hiſpaniæ* hodienum in Siciliam cis Pharum ſeu R. Neapolitanum Dominium directum Sedis Romanæ agnoſcit: quod & in Siciliam trans Pharum prætenditur, ſed renuentibus, à *Carolo V.* usque *Regibus Hiſpaniæ*. Et *Cardinalis Baronius* cum ſingulari tractatu Monarchiam Siciliæ Pontifici Maximo vindicaret, & ſpe Pontificatus obtinendi, à qvo propè aberat, à factione *Hiſpani* dejectus, & tractatus ipſe ſimul Tomo XI. Annalium, cui illum inſeruerat, in omnibus Hiſpaniæ Jurisdictionis Provinciis prohibitus fuit. Dux *Sabaudiæ* etiam titulum Regium affectat, ſed qvem cæteris titulis ſuis poſtponit: ut, *Dux Sabaudiæ, Marchio Montisferrati, Saluciarum &c. Rex Cypri*, ſine dubio, quia iſti reales, hic prætenſus tantùm adeoque reipſa fermè caſſus eſt. In abſtracto tamen *Celſitudinis Regiæ* alloqvium continuò admittit, *Son Alteſſe Royale*: cujus rei origo ab antiquâ prætenſione in Regnum *Cypri* nata eſt.

III.

IMPERATORUM nomen tanquam præſtantiſſimum inter Regios Titulos jam allegatum. Ideò Græci αὐτοκράτορας vocarunt, h. ſuæ adeoque abſolutæ poteſtatis, non ab alio dependendentes, per eminentiam. Fuere quidem qvi rati ſunt, ſe reperiſſe in eo quod reprehenderent, ſed vix levi ſuſpicione fulti. *Leonhardus Juſtinianus Venetus* legitur ad Cyriacum ſuum ſcribere: ſe jam pridem barbaricum iſtum Tituli hujus uſum damnaſſe. Tres enim gradus majorum Dignitatum apud Romanos, de quorum Principe ſermo ſit, fuiſſe: *Regem*, *Dictatorem*, *Imperatorem*. Ex his ſupremam omnium poteſtatem *Regiam* eſſe, ſecundum tenuiſſe Dignitatis locum *Dictaturam*, poſt Dictaturam *Imperium* tertio gradu conſeqvi. Sed meminiſſe facilè potuiſſet, Verba uſu valere ſicut numi. Titulos Regum, Dictatorum jam meliori Romanorum tempore exoleviſſe; Et prænomen Imperatorum primis ferè poſt *Julium* Romanorum Principibus decretum fuiſſe. Quæ prolixè demonſtrata vid. ap. *Bebel. Apolog. pro Defenſ. Imper. à. Juſtinian. Tom. 1. Script. German. Schard. fol. 1243. & ſeqq.* Cur *Henricus Auceps*, cum officio vere Imperator eſſet, *Rex* tantum dici voluerit, modeſtiæ ipſius tranſcribimus. Vulgo ex defectu Coronationis Romanæ derivant; Indeque adhuc fieri putant, ut hodierni Imperatores à *Carolo V.* usque non ſimpliciter Imperatores, ſed Electi Romanorum Imperatores dicantur; *A Caroli V.* temporibus enim Coronatio Romana

mana deſiit. Sed *Maximilianum I.* atq; *Carolum V.* utut Romana Coronatione donatos, legimus *Electorum Imperatorum* titulo gaviſos fuiſſe; Et è contrario *Caſares*, *Imperatores* dictos, etſi Romæ non coronatos, demonſtrat Goldaſtus *Replic. pro Imperio c. XXXVI.* Imperatores *Græci* fermè usq; ad everſam *Conſtantinopolim*, quod Imperatoribus Occidentis eminere vellent, Imperatores noſtros *Reges* tantum dixere, ſeipſos autem *Baſileas*: Quem faſtum noſtri contemtu vindicarunt. *Imperator Turcicus* ſpeciali cum Imp. *Rudolpho II.* pacto hoc nomen adeptus eſt initio hujus ſeculi. *Magnus Dux Moſcoviæ* ſe *Czarium* vocat, quod communiter Cæſarem reddunt: Olearius verò docet in Itinerario, in Sacris ipſorum Davidem Regem aliosvè itidem *Czarios* dici. Principes extra *Europam* ſicubi hunc titulum reportant, id reſpectu potentiæ eorum fit, non quod eodem tanquam Ordinario utantur.

## IV.

*Abſtractum* utriusque Tituli Nomen MAJESTATIS eſt: Quod tamen antegreſſis ſeculis nulli Regum ab Imperio noſtro tributum. Ideo adhuc Anno MDCXLI. cum è *Comitiis* ad Regem *Galliæ* ſcribendum eſſet, Status de Majeſtatis nomine ſubdubitantes Cæſar admonuit, Stylum in Imperio receptum id non admittere: Daß den Kronen Franckreich und Spanien das Prædicatum Majeſtatis weder conjunctim cum dignitate noch diviſim zugeben / ſondern es bey dem alten Stylo zu laſſen / mit welchen ſolches nicht Herkommens / ſondern

biſshero allein eines Römiſchen Käyſers oder Königs Majeſtät im Reich agnoſciret worden. Oportuitq; omiſſo Majeſtatis vocabulo ſolum Dignitatis Nomen (Königliche Würde) literis inſeri. *Limn. Notic. Franc. L. II. c. VI.* Unde & inter ſuſpiciones non incluſi Articulis Pyrenæis Imperatoris *Galeacius Gualdus* reponit, *obtentum ab Imperiali Camera jus, quo negentur alii Reges Imperatori in Majeſtatis titulo adæquandi eſſe.* Inter Reges etiam ſcrupuli eapropter moti; Et Rex *Hiſpaniæ Philippus II.* literis ad Regē *Daniæ* Fridericum II. datis vacuis ſpatiis Dignationum Titulos interrupit, ap. *Strad. Dec. II. L. IX.* Cujus rationem ille reddit, quod dubitaverit Philippus, qua Danum appellatione, Majeſtatisne, an Regiæ Celſitudinis ſalutaret, *quod eum nollet honore aut pari exæquatum, aut minori offenſum.*

V.

Titulo DEI GRATIA utuntur in argumentum abſolutæ poteſtatis ſuæ, ſe divinitus eam accepiſſe, à nemine hominum verò dependere. *Non fit ſummus Princeps, ſed factus de cœlo recipitur,* dixit aliquando Cardinalis Aldobrandinus. *Pontifices Maximi* formula *Divina Providentia* eodem ſenſu utuntur. *Epiſcopi Dei & ſedis Apoſtolicæ Gratia* ſe conſtitutos ſcribunt in ſignum & ſummi officii ſacri & ejusdem cum Sede Pontificia connexionis. *Græci* Imperatores etiam θεοςεφεῖς, divinitus coronati dici voluerunt, ut non jura modo, ſed externa jurium ſigna æqve ad Deum refer-

referrentur. *Numeri Pluralis* rationem ex multitudine Repræſentandorum pendere remur. Princeps enim quia omnes repræſentat, unus inſtar omnium, adeoque veluti multiplex eſt. At *Hiſpaniarum* Rex in ſubſcriptionibus ad Inferiores Numero ſingulari & in prima quidem perſona utitur, *Yo el Rey*, *Yo el Reyna*. Nomine *Dilectionis* ſe mutuo compellant, cujus ratio vel in amore, quo cauſa communis illos ſingulariter implicat, vel in naturali conſangvinitatis aut affinitatis vinculo, qvo pleriq; conjuncti ſunt, qværenda.

VI.

Sunt deinde ſpeciales Tituli, quibus unus atque alter Regum veniunt. De his initio generaliter monendum: Aliter ſe habere promiſcuum uſum eorum, ae rurſus aliter eorundem uſum, ex quo ſingulari Coronæ annecti cœperant. Titulos *Auguſti*, *Chriſtianiſſimi*, *Catholici &c.* aliis etiam extra Imperium, Regna *Galliæ*, *Hiſpaniæ* attributos negari non poteſt; Sed ex quo Patrum noſtrorum memoria certis coronis alligati fuerunt, ſinguli ſingulorum veluti Domeſtici cœperunt eſſe.

VII.

Imperatoribus noſtris annexus eſt Titulus SEMPER-AUGUSTI, cum antehac Imperatores Auguſti dicerentur: Origine non ab Auguſto veteri, ſed ſtudio amplificandi Imperium petenda. *Auguſtos vocare conſveverunt Scriptores Cæſares, qui Rempublicam augmentabant*, ait *Rigordus præf. ad vit. Philip. Gallorum Regis*. Ideo & *Germanica*

expreſ-

expreſſione uti ſolent, Allezeit Mehrer des Reichs. Et *Carolus V.* loco Semper-Auguſti, *Omni tempori Amplificator* Imperii Romani. *Ep. ad Otton. Epiſt. Auguſt. dat. Anno MDLIV.* Græci ejus loco Σεβαςὸς, Ἀεὶ Σεβαςὸς dixere, voce minus adæqvata; Σεβαςὸς enim propriè venerandus eſt. Imperator *Juſtinianus* eo primùm uſus fuit. *l. 8. C. de Sum. Trin. Victor Juſtinianus*, Pius, Felix, Inclytus, Triumphator, *Semper Auguſtus*. A *Galliæ* Rege tempore Pacificationis Monaſterienſis huic Titulo contradictum fuit, non tamen alia ratione, qvam Galliæ Regibus uſitatum non fuiſſe Semper Auguſti Titulum Imperatori tribuere. *Advocati Eccleſiæ* itidem Imperatores noſtri vocantur, more à *Carolo M.* usqve recepto; Et ſenſus eſt, Imperatores eſſe Protectores Eccleſiæ: Qvod tamen ex natura Imperialis Dignitatis etiam ſatis conſtare autumamus; Jus *Advocatiæ* enim pars Imperii circa ſacra adeoqve ipſius Majeſtatis eſt. Primi Chriſtiani Imperatores etiam PONTIFICUM MAXIMORUM Titulum admiſerunt, ad autoritatem ſuam in Rebus ſacris firmandam; Sed *Gratianus* eum ſimul ſtola Pontificali reſpuit, ἀθέμιτον εἶναι χριςιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας, ratus habitum hunc Chriſtiano indignum eſſe. *Zoſim. in Grat.*

### IIX.

*Hiſpaniæ* Rex vocatur CATHOLICUS, qvo nomine primo appellatum volunt Recaredum, cui, cum *Arianos* ejeciſſet, in *Concilio Toletano III.* accla-

acclamatum ſit: Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico, Recaredo Regi. A *Ferdinando V.* vero demum, illo, cui nihil antiqvius erat, quam Religionem omnibus negotiis ſuis prætexere, Titulis Regum Hiſpaniæ conſtanter adhæſit, ſeu *Alexandro IV.* Pontifice Maximo ita decernente, ſeu undecunque natus: ſine dubio ut tantò Religioſior Rex appareret, eoque *Ferdinandi Catholici* Nomine adhuc commemorari ſolet: *CATHOLICI Cognomentum, quod Recaredo olim Regi, quo tempore univerſam Gothorum gentem, repudiatis Arii opinionibus, in Catholicæ Religionis caſtra revocavit, in Toletano Epiſcoporum conventu acclamatum, intermiſſum multis ætatibus Alexander eo nomine VI. Pontifex Maximus in Ferdinando Aragone Rege inſtauravit, effecitque ut conſequentibus Regibus proprium hæreditariumque eſſet.* Mariana L. VII. c. IV.

## IX.

Rex *Galliæ* vocatur CHRISTIANISSIMUS, cujus origo probabiliter ad illa tempora referenda, quibus Ferdinandus Hiſpaniæ Rex Catholicus vocari cœpit. Ferunt Sedem Romanam meditatam fuiſſe ejus translationem in *Ferdinandum Catholicum*; ſed id ſine motibus haud eventurum fuiſſe agnoſcit ipſe *Mariana L. XXVI. C. XII.* Rationem collati tituli hujus Scriptores petunt à donationibus immenſis, quibus Franciæ Reges Eccleſiam affecerunt. Hinc *Guicciardinus*, cum immenſas donationes *Pipini* & *Caroli M.* Sedi Roma-

Romanæ conceſſas enumeraſſet, *ob qua beneficia, addit, Reges Galliæ celebrati, & honoribus à Pontificibus affecti, CHRISTIANISSIMI appellationem ſunt conſecuti. Diſcurſ. de Orig. Poteſt. Secul. in Rom. Eccleſ. L. IV. Hiſtor. Primogeniti Eccleſiæ* Titulum iidem habent, ob cauſam forſan eandem. Imperatores Romanos vero etiam hoc Titulo veniſſe in exemplo Marciani claret, qui φιλόχριςος vocatur in actis Concilii Chalcedonenſis, quod interpres reddidit CHRISTIANISSIMUS. De Juſtiniano idem habetur *L. Inter Claras. 8. C. de Sum. Trin.* Et inter Scriptores præteriti ſeculi extat Diſſertatio *Henrici Bebelii*: Quod Imperator Romanorum jure ſit Chriſtianiſſimus dicendus. *T. 1. Script. Germ. Schard. p. 25.* De *Johanne Gerſone* Pariſienſi *Cancellario* non diſſimile eſt, quod perhibet *Thuanus L. LXXXVII. ad An. MDCVI. Is Caroli VII. temporibus Regius ad Conſtantienſe Concilium Orator autoritate ſua & doctrina opinione pervicerat, ut multa in eo ſalutaria & memorabilia Decreta insererentur, indeque re bene ad Dei gloriam, & decus regni geſta reverſus* Doctoris CHRISTIANISSIMI, *non ſolum apud nos, ſed inter exteras nationes, ſummo conſenſu nomen meruerat.*

## X.

Rex Angliæ vocatur DEFENSOR FIDEI. Occaſioni fuit Liber ab *Henrico VIII.* Rege Angliæ contra Lutherum editus; quò judicium illius de Indulgentiis & Sacramentis reprehendit, ſumto

ſcri-

ſcribendi argumento ex libro de captivitate *Babylonicâ. Sleid. Comment. L. III.* Eodemque Reges Angliæ hodienum utuntur, licet ad Evangelicam Religionem tranſierint. Singulari enim Statuto Parliamentario adhuc tempore *Henrici VIII.* decernebatur, ut Titulus DEFENSORIS FIDEI in perpetuum Regiis Titulis annexus eſſet.

XI.

*Imperatores Conſtantinopolitani* olim PORPHYROGENNETI dici amarunt, non à *Purpura*, vel *habitu* purpureo, ſed à loco, in quo Auguſtæ pariebant, quem *Purpuram* vocatur. Ἐξ οὗ καὶ τὸ τῶν Πορφυρογεννήτων ὄνομα εἰς τὴν οἰκουμένην διέδραμε, *unde nomen Porphyrogennetorum univerſum orbem pervagatum eſt.* SULTANI nomen in aula Turcica Imperatoribus quidem tribuitur, ſed non ſolis verum omnibus dignitate præcellentibus. Apud Perſas uſitati ſunt Tituli *SCHACH & SOPHI. Schach* Caput, Doctorem, Regem, propriè *Senem* ſignificat. *Sophi*, *Tzophi* Arabicè ſignificat puræ Religionis hominem & in melius reformatum. Nomenque hoc Regio titulo annexum fuit ab *Iſmaele* Sophi conditore hodiernæ familiæ Regiæ, qui tanti apud Perſas adhuc æſtimatur, ut per caput ejus jurent religioſiſſime. Indiarum Rex *Magni MOGOR* ſeu MOGOL cognomen habet derivatum à Tartarorum Gente, quam Moglos & Mogorenſes dixere; Huic enim ac in ſpecie Tamerlani notiſſimo Tartarorum Monarchæ ſe originem debere non diffitetur. CHA-

MI

MI Nomen Tartaris illud eſt, quod Perſis Schach & Turcis Sultan. *Æthiopiæ* Imperator Magnus NEGUS in Itinerariis paſſim appellari ſolet. *Negus* ſeu *Neguſh* eſt Rex, Lingva Æthiopum, ac proinde *Magnus Negus*, magnus Rex. *Preſtegiani* nomen non ad illum, ſed ad Principem Chriſtianum in India Orientali olim pertinuit. Origo ejus à *Preſte*, qua voce hodienum Chriſtianos in Oriente appellant & *Cham* q. d. Chriſtianum Dominum. Regis Monomotapæ in Africa nomen ſingulare eſſe *Magni Tabachi* & Tabequi docet *le Blank. Itin. p. II. c. IV. Yncarum* titulum in Peruvia audire erat, antequam Hiſpani Regnum iſtud everterent.

XII.

Manent & Prolem Regiam peculiares tituli: Quemadmodum univerſi Liberi Regum in *Hiſpania Infantes* dicuntur: Infantaſicum Loca Apanagio ibi deſtinata. Sereniſs. Familia Auſtriaca eundem ſæpe Regiis titulis addere ſolet, in demonſtrationem communis ſangvinis. At Primogenitum in ſpecie vocant *Principem Aſturiarum*, à duabus Aſturiis, Provinciis Hiſpaniæ. Occaſio ſumpta ab Henrici *Johannis Caſtiliæ Regis* Filii conjugio cum *Catharina Johannis Gandavenſis* Filia. *Ut* Aſturum Principes *vocarentur edictum, more ex Anglia translato, ubi Regum Filii majores Walliæ* Principes *nominantur. Quod ab hoc initio ſuſceptum ad noſtram ætatem conſervatur, ut Caſtellæ Regum majores Filii Aſturum Principes ſint, qui-*

*bus*

Digitized by Google

*bus Annis conſequentibus Ubeda, Biatia, Illiturgisq;* *ſunt addita. Marian. L.XIIX. c. XII.* Primogenitus *Galliæ* Regis ſalutatur *Delphinus*; Hac lege enim *Humbertus* ultimus Delphinatus Princeps Provinciam hanc Galliæ adſcripſit. Olim & cum additamento *Delphinum Viennenſem* dicebant, in diſcrimen à *Delphinis Avernenſibus*, qui erant Comites ex Humberti filia nati. Primogenitus Angliæ dicitur *Princeps Walliæ.* Initium ſumptum ab *Eduardo II.* fuſo *Leoino Principe Walliæ.* Idem eſt *Dux natus Cornubiæ*, cum hoc diſcrimine à cæteris iſtis titulis, quod cum reliqui tales fiant, hic eo ipſo, quo naſcitur, Ducatus Cornubiæ juribus pleniſſimè fruatur.

## XIIII.

*Perſonæ Illuſtres* poſt *Regiam* Dignitatem generali nomine in quibuslibet ferè Rebus publicis comprehendi ſolitæ fuêre. Qvemadmodum in Regno *Hebræorum* erant *Amici Regis*: Huſai amicus Davidis *II. Sam. XV. v. ult.* Sabud filius Nathanis erat amicus Regis *I. Reg. IV.* 5. Qvi Titulus & apud veteres Svedos in uſu fuit, teſte *Loccenio* in *Antiqvit. Svedo-Goth. L. II. c. IV.* qvos tamen & *Anſes* dixerunt, ab *Anſee* aut *Anſa*, h. e. lingva Svedo Gothica aſpicere, curare, qvaſi diceres ſpectabiles, ad imitationem Spectabilium in Romano Imperio. In *Anglia Lords* vocantur h. Domini & conſvetâ compoſitione Mylords, mei Domini. Confer. *Smith. de Republ. Angl. L. I. c. XVI.* In *Galliâ Pares, Pares Franciæ* & dignitas *Pariatus*,



Digitized by Google

qvaſi diceres Patres ad imitationem Veteris Reipublicæ Romanæ, in qvâ Senatores Patres dici moris erat, qvamqvam hic etiam fœminas in Titulum Pariatus aſſumant. Ibidem eſt Dignitas Procerum *de Pour* ſ. *Avoir le Pour*, quorum inter alias prærogativas eſt jus caput tegendi certis caſibus coram Rege. Vid. *l'Eſtat de France L. II. P. I. c. III.* In *Hiſpaniâ* ſunt *Grandes*, qui participes Conſilii Status habentur, hâcque inter alios prærogativâ gaudent, qvod illis liceat præſente Rege in Camerâ legere, & in Capella pulvinari inſidere; Habent etiam jus tegendi caput præſente Rege. Vid. *Spreng. in Perſpicill. p. 42. Chiflet. de Eqvit. Aur. Vell. C. II.* His ſimiles apud *Hungaros Magnates*, & apud veteres Perſas ac Parthos item Medos *Megiſtanes.*

## XIV.

*Archi-Ducis* nomen à Græco Ἀρχων eſt, quaſi dicas Principem Ducum, à quo ἄρχων etiam Germanicum noſtrum eſt, Ertz/ ut Ertz-Biſchoff/ & hic Ertz-Hertzog: Initia fortè antiqviora ſunt, ſed à temporibus *Maximiliani I.* Auſtriaci eo conſtanter uſi ſunt, ut indicarent ſe omnibus Ducibus majores eſſe. Congruitqve illud inprimis cum *Friderici III.* Imp. intentione, qui omnibus modis gloriam Auſtriacam promovere ſtuduit, unde & Symbolum geſſit A. E. I. O. V. h. ex communi interpretatione Aller Eheren Iſt Oeſtereich Voll/ vel, ut alii reddunt: *Auſtria Erit In Orbe Ultima*, aut, quod manu ipſius Friderici Imperatoris

toris in Bibliotheca Cæſareâ extare dicitur, *Auſtriæ Eſt Imperare Orbi Univerſo.* *Magni Ducis* nomen ſuperiori ſeculo in *Italiâ* & veluti per acccidens natum fuit. P*ontifex M.* enim P*ius V.* *CoſmoMedices* conſtituerat Regium Titulum conferre, cui acerrimè contradictum fuit à *Maximiliano II.* Imperatore. Et jam *Pontifex M.* Regiam Coronam *Coſmo* transmiſerat, ſed Cæſar ne nimiùm exacerbaretur, cum allegaret, in Italia neminem eſſe Regem præter Imperatorem, tandem Magni Ducis Titulus loco Regii nominis inventus Coſmoque datus fuit. *Supremi Ducis* titulo ſolus Sereniſs. Elector *Brandenburgicus* gaudet, aſſumtumque in ſpecie Supremi Nomen in diſcrimen à Ducibus cæteris, qui Vaſalli ſunt. In *Anglia* Primogenitus Regius eſt Dux Natus *Cornubiæ*, h. ut non tantùm Titulum à prima nativitatis die habeat, ſed etiam omnes reditus Ducatus, Officiarios quoque Cancellariam & quicquid præterea eſt, eo ipſo, quo naſcitur, accipiat. Duces *Venetorum & Genuenſium* propriè vix aliter quam Duces Officiarios dixeris. In *Dania & Hungaria* Duces nulli ſunt: In *Svedia* ſoli Principes Sangvinis Duces appellantur.

XV.

*Principis* Nomen in genere omnibus tribuunt, qui è Superiori Nobilitate ſupra Comites ſunt. In ſpecie in Germania noſtra Principes vocantur ex antiquioribus ſoli *Anhaltini*, è recentioribus verò omnes fermè, quibus jus ſuffragii in Comitiis

noſtris collatum. Similiter Epiſcopatus ſeculariſati Principatus dicuntur, & Epiſcopi Germaniæ itidem Principes audiunt. Duces *Mechlenburgici Vandalorum* Principes inſcribuntur. In *Gallia celebris* eſt *Principatus Orangius*. *Tranſylvanus* Princeps *Tranſylvaniæ* vocatur: talesque etiam Principes *Walachiæ* & *Moldaviæ*. *Principes Sangvinis dicuntur*, qui è Familia Regia ſunt.

XVI.

*Comites*, Germ. Graffen/ à Judiciis, Angl. *Earles*, quæ vox multos torquet Scriptores extraneos. Origo eſt à noſtro Ehrlich h. Fürnehm/ utrumque enim & honoratum & honeſtum vox iſta Germanica denotat. Sicque pro honorato etiam accipitur in Sacris in Hiſtoriâ rebellionis *Coræ*, ubi ſocii Rebellionis fuiſſe dicuntur CCL. viri, Raths-Herren und Ehrliche Leute/ h. non honeſti, tales enim non erant propter rebellionem, ſed honorati. Et in præceptis *Chriſti* eſt monitum, ne ſupremum locum appetamus, daß nicht ein ehrlicher komme denn du biſt / iterum non honeſtior, in honeſtate enim non dantur gradus, ſed honoratior. *Comites Palatini* ſunt, quod olim fuerunt *Præfecti Prætorio*; Unde & hodienum penes Palatinum eſt jus Vicariatus Imperii. Et in *Hungaria* qui Vice-Rex eſt, *Palatinus* audit. De *Landgraviis* ac *Marchionibus* quæ compendio dici poſſunt, jam in *Medit. Polit.* prolata. *Vice-Comites* ſolum in *Galliâ* & *Anglia* extant, dignitate ſupra Barones quidem, infra *Comites* tamen collocata.

XVII.

XVII.

*Baronum* Titulus in ſuperiori Nobilitate infimus eſt. In Regno Neapolitano aliiſque locis, Baronum nomen Statibus Regni æqvivalet, qvo etiam Proceres in Reſcriptis publicis utuntur. Dominos huc etiam referimus, qvod nomen tamen initio Imperii Romani & mediis ſeculis Auguſtiſſimum habebatur, tribuique tantùm Imperatoribus ſolebat. Imò mediis ſeculis titulis humanis omnibus ſublimius erat, ſolumque DEUM ac Chriſtum Dominum vocabant, Imperatorem verò & Papam Domnum, ejectâ literâ. Et Græci Imperatores eandem ob cauſam κύρι tantùm vocari, ſolum Deum vero & *Chriſtum* Κύριον dicere ſolebant. In *Anglia* ſunt *Baronetti* à Jacobo primum inſtituti, & medio loco inter *Barones* & Nobiles poſiti.

XIIX.

*Nobilium* Nomen generaliter Dignitates ſuperiores omnes *complectitur*, unde diſtinctio in Nobilitatem ſuperiorem ac inferiorem; Specialiter proximam à Baronum Dignitate. *Carolum* Juniorem *Vaſcorum* Regem ſingulare *Nobilis* nomen habuiſſe docet *Mariana L. XIIX. c. XI.* Et ſtylo Aulæ Romanæ præteritis ſeculis receptum fuit, ut ad Principes Germaniæ inde perſcriberetur: *Dilecto filio, Nobili viro.* Sed hæc ad æqvivocationem Nominis pertinebunt. In Pomeraniæ & Neomarchiæ Actis publicis ſimplici nomine Mann / virorum, ſæpe appellari ſolent; ut in *Pri-*



Digitized by Google

*vileg. Erici An. MCCCCLIX.* Mit unſern getreuen Rähten / Prælaten, Mann und Ständen &c. Ad Antiquitatem verò pertinet dictum *Eccl. X. 14. O te beatam Regionem, cujus Rex natus eſt clariſſimis!* prout textus verbotenus ſonat. At *Lutherus* interpretatus eſt: Wol dir Land / des König Edel iſt. Piſcator: des König vom Edlen Stamme iſt. Arias Montanus, *Filius Heroum.* Junius & Tremellius: *cujus Rex Nobilis eſt.* Et Chriſtus in parabola adventus ſui ſe εὐγενῆ, generoſum, vocat *Luc. XIX.* Homo aliquis generoſus abiit. Ein Edler zog fern in ein Land. Quæ tamen etiam ad Nobilitatem generali ſenſu acceptam retuleris. Ad Titulum *Strenui* quo ſeorſim gaudent, notat *Henelius Sileſiogr. p. 70.* Fuit quidem tempus cũ *Nobiles* noſtri titulo Tüchtig honorarentur, honoratiores autem ex Nobilitate Woltüchtige audirent; Creſcente autem ambitione crevit Titulorum Luxus & proxima ſuperiori ætate abolito veteri Titulo cœpti ſunt Nobiles dici Veſte / validi & Ehrenveſte / mox Strenge ſ. Geſtrenge / quod vocabulum ſecundum Latinorum *Strenuum* formatum receptumq; videri poteſt; Et tandem Edle / quo nomine tum ſoli *Barones* inſigniebantur, ut ex antiquioribus Privilegiis Ducatus Glogovienſis & aliorum apparet.

## XIX.

Inter Dignitates Sacras prima eſt *Pontificis Maximi:* Qui Titulus jam apud Romanos veteres Principi Sacerdotum tributus fuit. Ἰουδαίων

eſt

eſt *Papa* nomen, à Syrorum *Abba*. Sed *Alexandrinus* Patriarcha eodem utitur, quod præcedenti ſeculo adhuc videre fuit in literis *Joachimi Alexandrini* Patriarchæ. *Fateor ego Joachimus*, Papa & Patriarcha *magnæ Urbis Alexandrinæ* apud *Cruſ. Turco-Græc. L. III. p. 229.* Et *Alexandriæ Papæ* nomen primo auditum tradit *Eutychius in Annal. Alexandrinis T. I. p. 332. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti &c. Cum verò homines audirent, Epiſcopos vocitare Patriarcham* Abba ſeu *Patrem, inter ſe dixere: Nos Epiſcopum quemlibet* Abba ſeu *Patrem appellamus; Et appellant Epiſcopi Patriarcham* Abba, *Unde ſanè oportet, ut vocemus nos Papam*, i. Avum, *cum ſit Pater Patrum. Ita à tempore Heraclæ Patriarcha Alexandrinus dictus eſt* Papa, *Avus.* Ipſi *Pontifices Maximi* in *Epiſcopi modeſtaque Servi appellatione acquieſcunt. Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei.* Ab aliis *Sanctiſſimi* nomen auferunt. *Sanctiſſimus D. N. Clemens Divina Providentia Papa X.* Sereniſſimi tamen etiam vocari nonnullibi leguntur, cujus exempla vid. ap. *Goldaſt. Replic. pro Rom. Imp. c. XXXII.*

Extra Eccleſiam hujus generis Dignitas in Imperio Turcico eſt *Mufftii*, qui tamen *Sebül Iſlam* ſe ſcribit, h. *Epiſcopum puritatis*. Vid. hac de re *Harſany. Colloq. Turc. IIX. p. 492.* Apud *Japanios* eſt *Dario* univerſum Jus Sacrorum conceſſum, idemque ipſius Imperatoris externa veneratione humillima munitum, non tamen niſi ab artibus

Politicis ortum, quia Dairi Majores ipſum Imperium *Japanenſe* tenuerant, quo ejici commodius non poterant, quam ſpecie Sacrorum ipſi relictâ, Tituloqve Imperatorio majori indulto, quemadmodum & Patrem ſuum Imperator eum ordinariè ſalutare ſolet. Vid. *Varen. Deſcript. Japan.*

In Tartariæ Regnis *Tanguth* & *Bamntola* eſt *Magnus Lamma*, h. Magnus Sacerdos, itidem ſic dictus, quod ab eo ceu à fonte quodam tota Religionis, ſeu potius εἰδωλομανίας ratio profluat. Is intra ſecretos Palatii ſui receſſus otio indulgens, Numinis inſtar adoratur, non ſolum ab indigenis, ſed & omnibus Tartariæ Regibus ſubditis, ſuſcepta ad eum voluntariâ peregrinatione; hunc veluti DEUM verum & vivum, qvem & Patrem æternum & cœleſtem vocant, magna munerum, qvæ eidem offerre ſolent, atteſtatione adorant. *Kircher. Chin. III. L. I. n. IV. p. 72.*

*Cardinales* à *Cardine* aut *Titulo Cardinali* ſeu *Eccleſiâ* cui præerant, dicti, à qvatuordecim Urbis Romæ regionibus initia ſumſiſſe creduntur. Incrementa eorum creſcenti Sedi Romanæ adæqvata, cui veluti Conſiliariorum arcanorum participum vices præſtant, niſi ſublimiori etiam loco haberi velint, cum Sacra eorum Congregatio, ſ. Sacrum Collegium omnes rerum Eccleſiaſticarum Deciſiones expediat, eoqve ultimam Analyſin omnium controverſiarum tam Theologicarum qvam Canonicarum nunc præbeat. Principibus utiqve noſtro tempore anteferri ac

Regi-

Regibus æqviparari voluerunt. Unde non tantùm Titulum *Reverendiſſimi* cum *Archi-Epiſcopis* & *Epiſcopis*, & *Illuſtriſſimi* cùm *Principibus* communem antehac geſſerunt, ſed etiam, cum illi non amplius ſufficerent, novum hodieqve uſitatum *Eminentiſſimi* aſſumſerunt, in prærogativæ ſuæ diſcrimen & teſtimonium, qvod contigit Anno MDCXXX. M. Junio.

*Patriarchæ* nominantur ordinariè qvinqve, (Nam plures ſicubi legantur, illi tanqvam his ſubordinati cenſendi ſunt) comprehendunturq; voce reipſa non diſſimili Κάρροι: Ejus ſingulæ literæ initialibus ſingulorum nominibus reſpondent. K. *Conſtantinopolitanus*, A. *Alexandrinus*, P. Primo *Romanus* cum tota Eccleſia in qvinqve has Patriarchales Sedes diſtribueretur, cui ſecutis temporibus ſe numero huic eximenti præterito ſucceſſit *Ruthenicus ſeu Ruſicus*, A. *Antiochenus*, & deniqve I. *Jeroſolymitanus*.

Ad *Archi-Epiſcopos* notamus illorum, & hoc ſingulare eſſe, qvod *Primates* ſalutentur: Sic *Archi-Epiſcopus Salisburgenſis* in Imperio noſtro eſt *Primas Germaniæ*. In Anglia tamen cum diſcrimine Primatum diſtribuunt, ut cum ambo Archi-Epiſcopi Primates vocentur, Archi-Epiſcopus Cantaurienſis tamen, utpote altero Ordine ſuperior, Primas totius Angliæ audiat; Archi-Epiſcopus Eboracenſis verò tantùm Primas Angliæ.

XX.

Dignitates *Equeſtres* ad capita hæc reduci

 poſſunt,

Digitized by Google

poſſunt, qvæ produnt *Sanſovinus de Eqvitib.* & poſt eum *Hieron. Megiſerus* de iisdem *L. I. Cap. II.* Ut Dignitas Eqveſtris ſit *Sacra* vel *Civilis*. Dignitatem Eqveſtrem ſacram qvi gerunt Eqvites, *Cruce ſignati* ſunt: Qvos indicat Megiſerus (1.) *Johanniticos*, qvi & *Rhodii* & *Melitenſes*. (2.) *Teutonicos*, (3.) *Templarios*, (4.) *Cruciferos*, qvi in *Livonia* potiſſimum noti fuerunt. (5.) & (6.) *Eqvites S. Sepulchri* duûm generum, de qvorum inauguratione prolixè agit *Radzivilius* in Itiner. (7.) *Eqvites S. Mauritii*, (8.) *Eqvites S. Lazari*, qvi ambo tamen uno ordine nunc comprehenduntur in Sabaudia: (9.) *Eqvites S. Stephani*, à *Coſmo Medices* Magno Duce Hetruriæ inſtituti & Johanniticis noſtris ſimiles, (10.) *Eqvites S. Jacobi* ſive S. *Jago*. (11.) *de Calatrava*, (12.) *de Alcantara*, qvi tres ordines propriè *Hiſpanici* ſunt. (13.) *Eqvites Jeſu Chriſti* in *Portugalliâ*, (14.) *Eqvites S. Mariæ della Redemptione* in Aragonia, (16.) *Eqvites de Mōteſiâ*, qui ad ordinē de Calatrava referūtur, (16.) *Eqvites Hungarici*, (17) *Fratri de Madonna*, ſive de Maria Matre Domini, in urbibus Bononiæ & Modenæ nati. Dignitas Eqveſtris Civilis itidem duûm generum Eqvites habet, *Eqvites Clinodiorum* & *Eqvites Auratos*. Eqvites Clinodiorum, qvos Itali vocant *di Callana* & latinè forſan dixeris *torqvatos*, ut plurimum è Nobilitate Superiori ſunt, ad eosq; referendi ex Hiſpaniâ *Eqvites Aurei velleris*, de quibus ſingulari Tractatu egit *Chifletius*: In *Galliâ Eqvites S. Spiritus*, & *S. Michaëlis*: In *Angliâ Eqvites Aureæ Periſcelidis* & *Eqvites Balnei*, cæterique

*Dania*,

Digitized by Google

*Daniæ*, *Svediæ* aliarumqve Nationum Eqvites. In Germaniâ noſtrâ *Chriſtianus Erneſtus Marchio Brandenburgicus* & Princeps Berutinus in flore ætatis ſuæ medioqve, qvo tunc detinebatur per Galliam itinere *Eqvites concordiæ* inſtituit in memoriam Pacis *Pyrenææ*, cujus ſolennitatum ipſe ſpectator fuit. In Sabaudia ſunt *Eqvites della Annunciatione* ſeu Annunciationis, in cujus Clinodio ſunt literæ F.E.R.T. *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*. *Eqvites Aurati* ſunt, qvi vel ob ſingularia merita à Principibus ſeorſim in dignitatem Eqveſtrem evehuntur, qvod Eqvites creandi genus *Angliæ* hodienum ſummè familiare eſt, vel tempore Inaugurationum *Regiarum* creantur, qvarum ferè pars eſt Eqvitum Creatio. Vid. exempla Inaugurationum Cæſarearum, Regum *Angl. Galliæ, Poloniæ*, aliorumve.

XXI.

Qvod ſupereſt Inaugurationibus harum dignitatum h. ritibus conferendi aut indicandi eas, qvà qvidem per reſiduum hujus paginæ pergere licebit, recenſendis impendemus. Inaugurationum Regiarum primo communis miniſter eſt, idemqve primus Antiſtes Sacer. Sic *Hiſpaniæ* Rex creatur ab Archi-Epiſcopo *Toletano*, utpote Primate totius Regni, Rex *Portugalliæ* ab Archi-Epiſcopo *Bracarenſi*, *Galliæ* Rex ab Archi-Epiſcopo *Remenſi* Eccleſiaſticorum Principe & primo Pare Franciæ. In Imperio noſtro inter *Electorem Moguntinum & Colonienſem* d. XXV. Junii Anno

MDC.

MDCLVII. convenit, ut neutri in Diœceſi ſuâ jus coronandi ambiguum eſſet, extra eam v. alternatim illud poſſiderent.

Inter Partes earum prima eſt *Unctio*, à ritu ungendi Reges & Sacerdotes V. T. haud dubiè ſumta. Finis, ut eſſet ſymbolum gratiæ ſpecialis in Reges effuſæ. In Imperio à tempore *Juſtiniani* vel *Juſtini* ſenioris videtur viguiſſe. Galliæ Regibus ſingulare eſt ex *Ampulla Remenſi* ungi, *Phiala* ex vitro rudi mediocris ficus magnitudine, qvam Alba Columba oleo plenam circa An. D. Remigio Sacro Antiſtiti, cùm Clodovenum Regem baptiſaturus eſſet, attuliſſe fertur: unde & monetæ tempore coronationis *Ludovici XIII.* ſparſæ Ampullam hanc inſcribi curarunt cum Elogio: *Francis data munere cœli.* Altera Pars eſt Clinodiorum collatio: *Talia I. Corona*, priſcorum Romæ Regum tempore jam uſitata: Nam Tarqvinius priſcus *ad ultimum usq; vitæ diem & Coronam tulit & veſte indutus eſt purpurea. Dion. Halicarn. L. III.* Primi Romani Imperatores tamen non coronis ſed diademate uſi, neqve certò coronarum uſus ſibi conſtitit ante Juſtini junioris tempora. In Sacris etiam, qvod de coronis commemoratur, de diademate accipi poteſt. Materies earum aurum eſt, niſi qvod in Inauguratione Regum Peguanorum Coronâ plumbeâ utantur. Imperiales Coronæ perhibentur qvidem Aurea, Argentea & Ferrea eſſe; ſed diſtinctio illa nō materiæ eſt, ſed ſolorum nominū unde unde petitorum.

Digitized by Google

rum. II. *Globus* ſeu *Pomum*, in ſignum univerſalis Imperii; Eidem *crux* impoſita in memoriam S. Crucis & honorem ejus, qvi inde cruciatibus noſtris medelam attulit. III. *Sceptrum* tanqvam clementiæ notæ, ſic enim novum Imperatorem admonent: Accipiat virgam virtutis & æqvitatis, eaque intelligat mulcere Pios, terrere Reprobos. *Hartm. Maur. Coron. Caroli V.* IV. *Enſis* in ſignum Juſtitiæ. V. *Annulus*, ut loco pignoris ſit & fidei à ſubditis acceptæ commonefaciat.

Specialia ſunt in Galliâ *Communio S. Cœnæ ſub utraq;*, *Emiſſio Avium*, *Profectio ad S. Marculphum*, à qvo & Donum ſtrumas ſanandi petunt; Eiqve ſimiles ſunt in Polonia *Profectio ad S. Staniſlaum*, & apud Turcas *Profectio ad S. Hiobum*. Conſtituitur etiam Rex *Galliæ Abbas S. Hilarii*, qvemadmodum Reges *Hiſpaniæ Canonici Burgenſes*, Imperatores noſtri *Canonici Aqviſgranenſes* & per Coronationem Romanam *Canonici S. Petri.* In *Hiſpaniâ* vexilla explicant & concurſu Populi militumqve Regis nomen *ingeminant*: *Ea Ceremonia Gentis inſtituto Regia Poteſtas deferri conſuevit*, *Marian. L. XVII. C. VII.* Idem in *Hungariâ* obſervatur, & Regem novum decem è Proceribus Hungariæ præcedunt, *quorum ſinguli vexillum, in quo nomen & inſignia unius e Provinciis à Corona Hungariæ dependentibus picta ſunt, manu tenent.* Contin. *Thuan. ad A. MDCXIIX.* Ibidem eqvum in collem adigunt & aërem qvater verberant. Qvemadmodum & veteres *Ægypti* Sultani edu-

ctis

ctis ad Byrtham Emporium juxta Euphratem copiis ſolenni Pompa eqvum ad potandas profluentis aqvas ſpectante exercitu, in aqvam adegerunt. Vid. *Jov. L. XXXIII. Hiſtor.* Apud *Turcas Muſtius* Novum Imperatorem framea accingit. Apud veteres Perſas Regem oportuit ſtolam ſuam ponere & induere eam, qvam Cyrus priſcus, priusqvam Regno potiretur, geſſit, & ficorum maſſam eſſe, tùm terebinthum vorare & calicem haurire lactis acidi. *Plutarch. in Artox. haut procul init.*

# CAPUT XVII.

## De

# IMPERIO MAJESTATIS CIRCA SACRA.

*I. Regalia certo numero non comprehenduntur: II. Summa Imperii circa Sacra: Eccleſia eſt in Republ. non Reſp. in Eccleſia, Albaſpinai explicatio examinata: Cardin. Tuſchi ſententia hac de re: Plenior Axiomatis illuſtratio: III. An Principi nomen Epiſcopi conveniat? IV. Explicatio Poteſtatis Architectonicæ & Dogmaticæ: V. Cur ſola Poteſtas Architectonica ad Principem ſpectet? VI. Quo ſenſu Reſp. ſit ipſa Eccleſia? VII. Cur Poteſtas Dogmatica ad ſolum Sacrum Ordinem pertineat? Quam*

*aute-*

*autoritatē ei addat? Abuſus hujus autoritatis ejusq; ratio: IIX. An Poteſtas Dogmatica & Architectonica compatibiles ſint? Cur Uſia Rex Juda punitus fuerit? Cur Lepra? Cur in fronte? Cur perſonæ Sacræ non poſſint ſecularia tractare? IX. Diſputationes Theologicas eſſe neceſſarias: Exceſſu tamen laborare. X. Edicta publica eo nomine edita: Edicta de non conviciando. XI. De condemnationibus Eccleſiaſticis: XII. Jus mutandi Religionem: An Populus ad audiendas conciones cogi poſſit? XIII. Quo in loco habenda Feſta à Magiſtratu injuncta? XIV. Cōciliorum Nationalium uſus, Univerſalium defectus: Cur Hæreſes poſt Concilia auctiores redditæ? An Univerſale Concilium inter Proteſtantes expectari queat? XV. De Jure Advocatiæ monitum: Seculariſationis cauſæ, modus: Cur Bonorum Eccleſiaſticorum direptio toties ſiniſtre ſucceſſerit? Cur Deus ſæpe ne Templa Gentilium quidem ſpoliari paſſus ſit?*

I.

R*Egalia* ſeu Jura Majeſtatis *non differre à Majeſtate*, ſed eſſe ipſam Majeſtatem pro objectorum varietate diverſa tantum ſortitam nomina jam in *Medit. Politicis* traditum. Hic indicandum, ea nec certo numero com-

comprehendi, nec certis nominibus omnia æqve exprimi poſſe, ſed totidem eſſe, quot Res in Rep. vel Actiones à Rep. in Subditos vel aliò emanare poſſunt: Qvæ cum infinitæ ſint, etiam Jura Majeſtatis infinita, h. ſummam Poteſtatem in infinita Objecta extenſam eſſe oportet.

II.

Qvod tamen Generalibus qvibusdam Nominibus diſtingvi non renuant, eadem diſcrimine ab Objectis petito proponenda diximus; Adeoqve *Imperium circa Sacra* primo conſiderandum ſuſcipimus, cujus totum cardinem in duobus hiſce verſari autumamus. I. *Quid Princeps ſit in Sacris.* II. Qvid *idem in iis poſſit.* Ad *primum* Reſp. Principem, qva Princeps eſt, Sacris præeſſe; Curam enim univerſæ Reip. gerit, eoqve ut omnium eâ comprehenſorum, ita Sacrorum pariter ac Civilium; Idqve non tam probari hic, qvam aliunde præſupponi, cum certum ſit, Sacra aliqva ſui parte in Rep. eſſe, idemque antiqviſſimo Chriſtianorum axiomate conſtet: *Eccleſia eſt in Republica, non Reſpublica in Eccleſia*; Qvo primo uſum opinamur Optatum Milevitanum *Schiſm. Donatiſt. L. III. Cum ad Donatum Patrem tuum venirent, & quare venerant, indicerent, ille ſolito furore ſucc enſus in hæc verba prorupit: Quid eſt Imperatori cum Eccleſia? &c. Jam tum meditabatur contra Præcepta Apoſtoli Pauli Poteſtatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus ſi Apoſtolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Apoſtolus*

Paulus:

*Paulus*: Rogate pro Regibus & Poteſtatibus, ut qvietam & tranqvilliaam vitam cum ipſis agamus. *Non enim Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt, in Imperio Romano: Quod Libanum appellat Chriſtus in Canticis Canticorum, cum dicit, Veni Sponſa mea, veni à Libano, id eſt, de Imperio Romano, ubi & ſacerdotia ſancta ſunt & pudicitia & virginitas, quæ Barbaris Gentibus non ſunt, & ſi eſſent, tuta eſſe non poſſent.* Et integra qvidem iſthæc verba citanda duximus; Sentimus enim inſignem virum *Gabr. Albaſpinæum* aureo huic axiomati, ut hypotheſibus ſuorum conſuleret, aliqvam vim inferre: *Optatum* voluiſſe dicere Imperatoribus Romanis non eſſe maledicendum, ſed pro eis orandum ſecundum Apoſtolum, qvia qvietam magis vitam Chriſtiani cum eis agerent, qvam cum aliis Nationibus, apud qvam. qvod eſſent Barbaræ, non licebat Chriſtianis tam qviete vivere: Igitur *Remp. non eſſe in Eccleſia*, eſſe, Eccleſiam non facere Bella, non Leges figere, non populos ſub Legibus coercere, non res civiles exercere & ſimilia: *Eccleſiam autem eſſe in Republica*, h. Chriſtianos ſub LL. Imperatorum vivere, protegi, qvietam vitam ſub eis & ex eorum protectione ducere & ſeq. Sed eo ipſo, qvo protectionem à Rep. expectat Eccleſia, qvo illa hanc tutam præſtat, Eccleſiam ſub Rep. eſſe oportebit; Neqve enim plus juris ab alio prætendere poteſt, qvam ipſa in ſe admittit; Atq; adeo ſi protectionem Reip. admittit, eidem nec ſubeſſe recuſabit.

cuſabit. Foret enim relatum ſine correlato, agens ſine patiente. *Cardinalis Tuſcbus* aliam evadendi viam commonſtrat, ſed valde lubricam: *Eccleſiam eſſe* quidem *intra territorium Principis, non tamen de territorio ejus.* Vid. *Concluſ. Ej. T. III. Concl. V.* Id ipſum certe eſt, qvod Politici hac inreurgent; Futurum nempe, ut ſingularis intra Remp. ſit Resp. eoque Reſp. non omnibus æqve intra limites ſuos ſufficere poſſit, qvod eſt Remp. reddere non Rempublicam. Quæ omnia doctiſſimo hoc ratiocinio complexus eſt *Ant. Quirinus Senator Venetus* in Relat. Rat. Reip. Ven. c. difficultates *Pauli* V. P. M. *Mea opinione ſufficit, ſi dixerimus Civitatem conſtare Civibus, & Cives eſſe tales, qui beneficiis Civitatis gaudeant, ut ſcil. inter ſe pace fruantur, ab Extraneis defendantur, facultates ſuas ſartas tectas conſervent, & tandem illius felicitatis fiant compotes, ad quam omnes ſimul & unanimiter tendunt, quorum tamen neutrum absque bonis Legibus, ordinibus publicis, & communione judiciorum obtineri poteſt. Et hic eſt ordo naturalis in omnibus Civitatibus ſervandus, à quo ſi in particulari aliqua re, aut ſuo ipſius merito, aut alio reſpectu quiſpiam eſt liber, oportet ut illud habeat à munificentia & liberalitate eorum, qui poſſunt talia concedere, ad quod etiam proprius ipſius conſenſus requiritur. Qui vero hanc Libertatem non habet, & in omnibus ad vitam Civilem pertinentibus Privilegiis Civium frui cupit, eum à natura oportet, ut Legibus eorum ac ordinibus, quæ bonis præmia, malis vero*

*pœnas*

*pœnas conſtituunt, ſeſe ſubmittat. Siquidem Chriſtus ipſe Dominium, quod Principes & alii Superiores ſuper ſuos Subditos habent, nullo modo ſuſtulit, ſed potius confirmavit, ubi ſimul fatetur Regnum ſuum non eſſe mundanum, nec res ſeculares ſpectare.* Confer quæ infra allegabuntur, ubi demonſtrandum erit, Perſonas Eccleſiaſticas numero Subditorum ſe ſubducere non poſſe. De axiomate noſtro autem tum ex hiſce, tum ex iis, quæ jamjam de *Poteſtate Architectonica* in Sacris dicemus, ſatis conſtare remur, non aliò quam ad curam Reip. ſenſum ejus deflectendum eſſe: Nimirum *Eccleſiam eſſe in Rep.* h. pertinere ad curam Reip. *Non autem Remp in Eccleſia*, quippe ad quam Sacra, non autem cura publici pertinet. Sic enim virtutem etiam dicimus eſſe in Rep. & tamen à Rep. illa regimen non accipit, cum virtutem æqve coli oportuiſſet, ſi nullæ Reſpublicæ extituræ fuiſſent: Ac proinde & hic ſolum iſtum ſenſum feret, curam nempe virtutis, Reip. relinquendam, non ut ſit, ſed ut cuſtodiatur ac protegatur. Extra hunc ſenſum ſi capiatur, vix ſine ſcrupulis erit; Inter quos eſt: Eccleſiam & longe amplius ſe extendere, quam Rempublicam; Et extituram fuiſſe, etiamſi nulla futura fuiſſet Reſp. Cum vinculum non inter homines, ſed inter Deum & homines contineat. Cui argumento eſt, quod in actibus pure Eccleſiaſticis Princeps ipſe perſonam ſingularem induat; Baptizatur enim, S. Cœnam percipit, orat, credit, qui actus omnes liberi fo-

rent apud ipſum, niſi agnoſceret, Se pariter ac Subditos tanquam ſingularem perſonam ſublimiores cujusdam Societatis membrum eſſe.

III.

Princeps igitur, *qua Princeps*, *Sacris praeſt*. Neque alio titulo Principes jure hoc uſos fuiſſe, in exemplis omnium Rerumpp. claruit, quorum magna pars recenſita *Medit. Polit. hoc Cap.* §. *VI.* Principes Imperii noſtri ſane eadem mente Scripto ad *Ferdinandum* Regem in Comitiis A. MDLV. proteſtati ſunt: Wollen Ihr. Churfl. Gnaden ſich mit der Chur- und Fürſten Satzung und Ordnung/ ſo Sie Ihrer Geiſtl. Güter/ Standes/ Weſens/ Ampts/ Beneficien und Officien halber auffrichten / nicht anmaſſen oder anfechten laſſen: Sondern ſtellen daſſelbe alles auff ihre ſelbſt gegen GOTT den Allmächtigen Verantwortung. *Principem* præeſſe, *qua Epiſcopum*, alii tradidere; Sed his in *Medit. Polit.* §. *V.* jam reſponſum: Epiſcopatum non opponi, ſed ſubordinari Principi, & Principem, dum in Sacris verſatur, non deponere naturam Principis, ſed Epiſcopi titulo tantum variare, ſeu Principem eundem à ſacris, circa quæ occupatur, dici Epiſcopum, æqve ac ipſa eademqve Majeſtas à Sacrorum tractatione Imperium circa Sacra dicitur. Dubium quod hic ſupereſt, eo recidit, *quod ad Epiſcopi partes pertineat Jus Docendi & in univerſum Poteſtas Dogmatica, eam verò Principi non cõpetere, ac proinde nullum reſpectum Epiſcopalem.* Reſp. Epiſcopum ſignificare vel primum Docentem, quo ſenſu

ſenſu primis temporibus vocem hanc acceperunt; Vel Directorem Sacrorum, h. qui Sacra non tradat, ſed, qvod ipſa vox præ ſe fert, in ea inſpiciat, qvo ſenſu Epiſcopi ſecutis ſeculis appellati fuere, veluti eodem & Superintendentes noſtri pleriqve veniunt: Qui licet ferè omnes Poteſtate Dogmatica ſimul gaudeant, Sermones ſacros faciant, Sacramenta adminiſtrent, cuncta tamen non quà Superintendentes faciunt, ſed quia Paſtoratum h. primum Docentis Officium ſimul gerunt: Unde qua Paſtores docent, qva Superintendentes verò regunt. Jamq; Princeps non priori qvidem ſenſu Epiſcopus dici poterit; Sed nec de eo à qvoqvam Scriptore facile movetur Qvæſtio; At altero ſenſu Epiſcopum eſſe & Poteſtas ipſi ante aſſerta, & eadem Superintendentibus communicata, & ipſe nunc receptiſſimus uſus termini Epiſcopi evidenter infert.

IV.

Seqvitur ut facta Poteſtatis *Architectonica* & *Dogmatica* mentione modum qvo præſit, ſeu qvid poſſit Princeps in Sacris dicamus. Et illam qvidem *Principibus* aſſeri, hanc verò *Sacro Ordini* relinqvi, notum eſt. *Architectonicam* qvoque eſſe Imperium in Sacra, *Dogmaticam* functionem, cui imperetur, qvi obſervant, rem totam benè ſatis explicant. *Cardin. Mazarinus* hoc fine ſapienter diſſeruit cum rationem excluſi Pontificis M. à Pacificatione *Hiſpano-Gallica* redderet: *Nulli Regum Jus in Sacra, Inſpectionem ſolum; Nulli Pontifici Jus*

*in Reges, ſed paternum amorem eſſe debere*, apud Priol. *Lib. X. cap. XXVII. Grotius* prorſus eadem comparatione Principem Architecto, Miniſtros Sacros operis ſub Architecto aſſimilat: Non eſſe Architecti, qva Architectus eſt, operi manum admovere, qvia Architecti ſit ſecundum rectam rationem unicuiq; qvæ facienda ſunt, præſcribere; Operarum verò rectè imperata recte itidem exeqvi. Similis eſt, quam aſſumit à Functione Medica, Functione Philoſophica, Agricultura, Mercatura: Qvæ omnes à Principe dirigantur, nec tamen ideo Principem Medicum, Philoſophum, aut Agricolam evadere. Sicq; in Sacris etiam Miniſtros docere, at Principis eſſe Docentibus autoritatem addere. Vid. *Grot. de Imp. circa Sacra c. II. §. III.*

V.

Qvia itaqve Poteſtas Principis in Sacris eſt *Architectonica*, h. in imponendo conſiſtit, ſeqvitur eum circa alia, qvam qvæ in Poteſtate humana ſita ſunt, verſari non poſſe: Neqve enim ullum Imperium ſe extendit longius; Æqvè ac Architectus etiam non operari poteſt, niſi congruam habeat materiam. Qvare Evangelii prædicationem, Sacramentorum Adminiſtrationem &c. prohibere nequit; Imperio Humano enim non ſubjacent. Et Apoſtoli Concilio vetanti docere in nomine Jeſu merito reſponderunt, *Deo magis parendum, qvam hominibus*; Ab ipſo Servatore enim præceptum acceperant *in nomine Ipſius pœnitentiam & remiſſio-*

*remiſſionem peccatorum prædicandi & quidem initio facto Hieroſolymis.* Neq; animi ſenſis de Religione imperare poteſt. *Quis mihi imponat neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi?* Lactant. Inſtit. Lib. V. c. XIV. Sunt enim actus Interni, adeoque extra poteſtatem noſtram poſiti: Quod pluribus demonſtratum *Medit. Polit. §. IV.* Sic *Conſtantinus M.* ſe rerum Externarum, τῶν ἔξω πραγμάτων, quaſi Epiſcopum eſſe in Convivio Epiſcopali aſſeruiſſe legitur apud *Euſeb. de Vita Conſtant. Lib. IV. c. 24. Vos quidem*, inqvit, *in iis quæ intra Eccleſiam ſunt Epiſcopi eſtis; Ego verò in iis, quæ extra geruntur, Epiſcopus à Deo ſum conſtitutus.* Et mox ſubdit Euſebius: *Ita conſilia capiens dictis congruentia omnes Imperio ſuo ſubjectos Epiſcopali ſolicitudine gubernabat, & quibuscunq; modis poterat, ut veram Pietatem conſectarentur, invitabat.* Facitque huc imprimis gravis diſcurſus *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici* JOAHIMI II. Glor. mem. quem Sacris Miniſtris nonnullis oppoſuit, cum injunctam ipſis rerum Adiaphorarum tractationem difficilius exciperent: Ich weiß wohl/dixit primo, wo es Euch Herren Prædicanten leit / dann Ihr Euch in viele Händel menget / die Euch nicht befohlen / und wollet ſelbſt Herren ſeyn / keine Obrigkeit oder Ordnung leiden / und ein jeder will es in der Kirchen machen / wie es Ihm gefällt und behaget. Den Pabſt wollet Ihr zum Herren nicht leiden; Keine Biſchöffe wollet Ihr auch nicht wiſſen/ keinen Fürſten könnet Ihr auch

nicht dulden: Nun müſt Ihr doch zuletzt jemands lei-
den. Wenn Ich Euch was verordnete/ das wider GOtt wäre/ als daß Ich Euch wolte verbieten das reine Göttliche Wort nicht zu predigen/ an Chriſtum nicht zu glauben / durch Eure Wercke ſelig zu werden/ item die Sacramenta nach der Einſetzung Chriſti nicht zu reichen/ und verböt eure Weiber nicht zu haben/ in dieſen Stücken ſolt Ihr mir gar keinen Gehorſam leiſten/ ſondern ſagen: Nein/ Gnädigſter Herr / in dieſen Stücken können wir E. Churfl. Gn. nicht gehorſam ſeyn/ uñ da müſt Ihr das Wort gebrauchē/ Man muß GOtt mehr gehorſam ſeyn/ denn denen Menſchen: Dieſer Stücke aber wehre Ich Euch keines ꝛc. und ordne Euch nur bloß Res Adiaphoras, das ſeyn Mitteldinge/ die zur Seligkeit weder geben oder nehmen / thue es derhalben/ damit/ wie Paulus ſaget / omnia decenter & ordine fiant: In dieſen Stücken ſeyd Ihr mir Gehorſam zu leiſten/ als Eurem Landesfürſten / wie Paulus ſaget / ſchuldig; Thut ihrs nicht / ſo thut ihr wider GOtt/ &c. Quodque Wittebergenſis Eccleſiæ placitorum illi meminiſſent, ſubdit: So wenig als Ich an die Römiſche Kirche will gebunden ſeyn / ſo wenig will Ich auch an die Wittenbergiſche gebunden ſeyn: Dann Ich nicht ſpreche/ Credo Sanctam Romanam, oder Wittebergenſem, ſondern Catholicam Eccleſiam, und meine Kirche allhier zu Berlin und Cölln/ iſt eben eine ſolche rechte Chriſtliche Kirche/ wie der Wittenberger Kirche &c. Dn. concludit: Wolt Ihr Euch demnach verhalten / wol gut / ſo will Ich Euer Gnädiger Herr ſeyn und bleiben / wo nicht/

habt

Digitized by Google

habt Ihr zu bedencken/ was mir zu thun ſeyn will/ dann Ich will das gehalten haben/ was Ich Euch itzt fürleſen laſſen/ das kurtz/ und kein anders: Wolt Ihr mich aber zum Ordinario nicht leyden/ ſo will Ich Euch dem Papſt oder dem Biſchoff zu Lebuß befehlen/ die werden Euch wol regieren: Gehet es Euch aber nicht recht/ und kommet dann und klaget/ will Ich die Hand auch abziehen/ und dann zu Euch ſagen: Nein/ Ich weiß keinen Rath/ wollt Ihrs doch nicht leiden/ daß Ich Euch Chriſtlich in eurer Kirche regierte.

VI.

Ex conſideratione Poteſtatis Architectonicæ nova qvoque lux affulget non tantum axiomati ante tradito: *Eccleſiam eſſe in Republica*; Sed illi etiam, quo Politici nonnulli utuntur: *Remp. eſſe ipſam Eccleſiam*, nim. ab objecto ſacrorum tale ſortitam nomen; Sed particularem, viſibilem, & quod caput rei eſt, una vivendi regula gubernatam. At ſolam hanc eſſe Eccleſiam, non aliam, non univerſaliorem falſum eſt, quod demonſtratum in fine §. 11. *Inſtat* Hobbes *Leviath. c. XXXIX. Eccleſiam nullam legitimam eſſe poſſe. quæ autoritate illius non ſit convocata, qui ſummam habet in Civitate Poteſtatem.* Reſp. Peti principium, neque aliud inde ſequi, niſi hanc vel iſtam ſententiam in rebus Religionis publice non prævalituram, vel publice doceri non poſſe, niſi Principis accedat autoritas, id vero Eccleſiam ipſam ab autoritate Principis non ſuſpendere. Confirmatq; nos illud ipſum, quod mox ſubjicit: Eccleſiam ſumi inter-

 dum

dúm pro hominibus, qui cœtum jure intrare poſſint, etiamſi non ſint actu congregati, ut *Actor. VIII. 3.* ubi Saulus dicitur devaſtaſſe Eccleſiam. Etenim ſi quid juris intrandi cœtum aliquem privatis ſubinde competit, id ex ſpeciali ejus conformitate cum cœtu iſto fiuet, non autem fiet reſpectu unionis ſub uno Principe. Inſt. II. *Nullam eſſe in terra Eccleſiam Univerſalem, quam audire obligentur Chriſtiani univerſi, cum nulla ſit in terra Civitas aliarum Civitatum omnium Domina.* Reſp. Nec opus eſſe, ut Chriſtiani homines ſeu ſingulares ſeu in cœtu talem audiant, cum omnibus una Scriptura, quam audiant, ſufficiat. Inſt. III. *Eccleſiæ extra Rempubl. nullam eſſe poteſtatem judicandi, abſolvendi, condemnandi, aut actionem quamcunq; agendi.* Reſp. Nec exerceri aliam, niſi eã, quam Cives poſſunt abſente Judice, idem nec actus executivos in Eccleſia, qua talis eſt, eſſe, ſed eosdem Judici Chriſto relinqui.

VII.

*Sacro Ordini* autem relinquenda eſt Poteſtas *Dogmatica*; Hæc enim veluti interna Religionis concernit, & quæ Conſcientiam propius attinent, quibusve ſtandum eſſet, etiamſi nullius Reip. vinculis aſtringeremur: Ita relinquendam eſſe Miniſtris Sacris natura Eccleſiæ exigit, quæ homines per eos doceri vult iſta, quæ ad univerſale ſui cum Chriſto vinculum ſpectant, quod in Rep. qua talis eſt, de eſſentia non eſſe veriſimile eſt, quoniam alias nes Heterodoxæ, nec Gentiles Reſpp. unquam

quam veræ Reſpp. futuræ fuiſſent. Qu. *Quam Autoritatem Poteſtas hæc Dogmatica S. Ordini addat?* Reſp. Eam eſſe poſſe, quæ à vulgi contradictione Eccleſiaſten eximat; Si enim unicuique contradictio libera eſſet, & diſſentiendi cacoethes aliaque mala exempla inde propullulatura eſſent. *Infallibilem* tamen non eſſe. quod vulgo ſæpe propinari ſolet; argumento eſt, quia vel Scripturam ipſam profert, vel ſuam circa Scripturæ ſenſum ac opinionem. Poſterius cum omnibus hominibus commune habet, eoque non magis, quam cæteri quique infallibiles erit; Prius infallibiles quidem reddit, ſed per accidens, non enim illi adeo, quam Scriptura quam proferunt, infallibilis eſt. Dixeris tamen & alio ſenſu, non quidem *demonſtrative, probabiliter tamen minus falli* quam cæteros, tum quia ſacra crebrius tractant, tum quia pax & tranqvillitas Eccleſiæ dictitat, Sacri Miniſtri ſententiæ potius inhærendum, quam ſingulos in Eccleſia privatis opinionibus ſuis relinquendos eſſe. Sed extra hos limites & Autoritatem & ipſam Poteſtatem Sacram crebro trahi vetus & notiſſima querela eſt: Et innumera prope conſilia, ſcripta, ipſa facta à multis retro ſeculis viſa, ut obex poneretur creſcenti Poteſtati Eccleſiaſticæ, dolentibus tot inſignibus ingeniis, *decantatam iſtam Libertatem Eccleſiaſticam, qua olim præclare ſecum actum putarit, ſi rerum leviſſimarũ cunctisq; patentium uſu & commercio non prohiberetur, per univerſum Terrarum Orbem tanquã Dominam & Reginam incedere,*

*trium-*

*triumphare & de graviſſimo ſervitii jugo Principum cervicibus imponendo cogitare*: Quæ verba ſunt *Octavii Meninii Foro-Jul. & Cenetenſis Perfecti Or.* ad *Principes Roman. Imperii de Immenſa Curiæ Romanæ Potentia moderanda.* Atque eadem fere ſors Rei Evangelicæ noſtræ: Quæ ſi viam ſtabiliendæ poteſtati temporali hactenus præcluſit, declinare tamen non potuit, quin cauſæ manſerint, cur faſtus, πολυπραγμοσύνης, litium ſtudii, opinionum, pertinaciæ Perſonæ Sacræ ſæpe poſtulatæ fuerint, dum autoritatem docendi, adeoque Sacram, vertunt in affectus ſuos, & rem Divinam toties periclitari opinantur, quoties ab ingeniis ſuis res gerenda menſuram non accipit. Videat Lector ſcripta de Colloquiis utriusque partis Evangelicorum, item quæ de initiis Belli *Bohemo-Germanici* edita ſunt & ſim. & cauſam dubitandi non habebit. Eandem ob rationem in Sacris Sermonibus loco verborum Dei toties humana verba audimus, Eccleſiaſte tempus quo Auditorium Deo adducendum erat, querelis, expoſtulationibus, objurgationibus cauſam ſuam attinentibus terente, quod ſacrum, non ſuum eſſe meminiſſe debuiſſet; Atque adeo *Anti-Chriſtum*, quem unum ejeciſſe videri volumus, mille figuris reducimus. Quicquid enim contrarium Chriſti Doctrinæ creditur, agitur, ſperatur *Anti-Chriſtianiſmus* eſt: Cujus ſpecies quia ſunt habendi, eminendi, dominandi, voluptuandi, jurgandi, bellandi, aliisque nocendi ſtudium, hæc autem ab iſtis vitæ noſtræ

ſtræ ducibus ſæpe foventur, conſequens eſt *Anti-Chriſtum* ſecundum plus aut minus ad huc regnare, *Comen. Tr. Unum neceſſarium c. XX. §. XXIV.*

IIX.

Porro examinandum, an ambæ, Poteſtas *nimirum Dogmatica* & *Architectonica*, *aliquando compatibiles ſint*, ſ. an Imperium & functio Sacra in una perſona poſſint conſiſtere? Reſp. Affirmandi probabilitatem aliquam eſſe, quod Principes Medicinam, Aſtronomicam, Poëſin Regni curæ adjunxiſſe legantur: Poſſe igitur & rem Sacram addere, cum nulla functio excellentior ſit aut civitati utilior. Iterum *Grot. l. ante cit.* Sed veluti ſtudiorum horum Regiorum communis iſte defectus fuit, ut res Regni neglectim habitæ fuerint, ita argumento eſt, non niſi cum incommodo diſparia ejusmodi ſtudia conjungi poſſe; Cauſa, nam ſingula eorum totum abſumunt hominem: Veluti noſtro tempore *Jacobus Angliæ Rex*, Regum certe doctiſſimus, ſed ſcholæ magis quam vitæ proficiens, res Regni ſegnius curaſſe, paſſim notatur. Tanto minus ergo Princeps Sacram functionem rite gerendo erit, cujus ſingulæ etiam pares totum hominem requirunt; Et *Uſiam Regem* ideo graviter punitum legimus, quia Poteſtatis Dogmaticæ partes ſibi ſumſerat, quæ Sacerdotum filiorum *Aronis* erant, ipſaque cauſa, cur leprâ in ſpecie punitus fuerit, inde pependiſſe videtur, quia ſolius ſummi Sacerdotis erat de lepra judicare, & in fronte quidem, in hac enim idem

idem Sacerdos ſignum Sanctitatis gerebat. Sed vice verſa & perſonæ Sacræ, h. eſt functioni Sacræ adeoqve Poteſtati Dogmaticæ addictæ, res ſeculares commode haut curare poterunt, quia veluti Deus nunqvam ſatis coli, ita ratio Deum agnoſcendi & colendi nunqvam ſatis excoli poteſt: Ideo licet omnes vires ſuas eo intendant, nunqvam tamen officio ſuo ita ſatisfaciunt, qvin plura majorave ſuperſint, quibus adhuc ſatisfacere & poſſint & reqvirantur, minimè omnium verò rebus aliis implicari liceat: Qvod vidit *Paulus* ideo vetat *Chriſto militantem implicari negociis ſeculi, II. Tim. II.* Et univerſi Apoſtoli *idcirco curam viduarum à ſe ſubmovebant, ut perdurarent precibus & miniſterio ſermonis, Actor. VI. 4.* Idqve ad inferiora etiam Civilia munera extendunt Canones antiqviſſimi, qvi Apoſtolici dicuntur, ut *Canon. VI. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam ſeculares curas aſſumat; Sin aliter dejiciatur.* Iterum *Can. LXXXI. Diximus non oportere Epiſcopum vel Presbyterum ſeipſum ad publicas adminiſtrationes demittere, ſed in Eccleſiaſticis negociis verſari: Vel ergo ita facere perſvadeatur, vel deponatur.* Et *Canon LXXXII. Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans & utrumq; obtinere volens Romanum ſc. Magiſtratum & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur: Quæ ſunt enim Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Qvorum ratio paulum ante *Canon. LXXVII.* ab iiſdem licet in caſu diſpari reddita, ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ ἐμποδίζοιτο, ne *Eccle-*

*Eccleſiaſtica impediantur.* Specialior eſt *Can. III.* Concilii Chalcedonenſis, ſed in eundem finem tendens: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quia de his qui in Clero connumerantur quidam propter turpis lucri gratiam alienarum poſſeſſionum conductiones & cauſas ſeculares ſuſcipiunt, & ſe ipſos quidem à Miniſteriis Sanctis per deſidiam ſeparant, ad domos autem ſecularium concurrunt & ſubſtantiarum earum gubernationes avaritiæ cauſa ſuſcipiunt. Decrevit ergo ſancta & magna Synodus neminem deinceps eorum, h. Epiſcopum, ſive Clericum aut Monachum conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſecularibus procurationibus, niſi forte qui Legibus ad minorum tutelas ætatum ſive curationes inexcuſabiles attrahuntur, aut cui ipſius Civitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula, vel orphanorum ac viduarum, quæ indefenſæ ſunt, & earum perſonarum, quæ maxime Eccleſiaſtico indigent adminiculo propter timorem Dei. Si quis vero transgreſſus fuerit Statuta, correptioni Eccleſiaſticæ ſubjaceat.* Et mox *Canone VII.* anathematizari jubet, ſi in propoſito tali perſtiterint, & non ejus *rei pœnitere maluerint, ut ad hoc idem revertantur, quod ante obtentu Dei propoſuerunt.* Confer. *Can. XVI. Concil. Carthag. III.* Quo itidem Conductores eſſe prohibentur, & qvidem, *quia reſpicere debeant, ſcriptum eſſe: Nemo militans Deo implicat ſe negociis ſecularibus.*

## IX.

E Partibus Imperii Sacri *Jus ferendi LL. Eccleſia-*

*cleſiaſticas* demonſtratum & illuſtratum *Med. Pol. hoc Cap. §. VII.* Hic inter objecta ejus recenſendæ *Controverſiæ Sacræ*, de quibus annotamus I. *Non poſſe nullas*, immo numero majores eſſe, qvam aliarum Facultatum aut Scientiarum controverſiæ. Quia 1. mere intellectualia & non tantum à ſenſibus remotiſſima ſunt, ſed etiam univerſa ratiocinia noſtra tranſcendunt, in qvibus S. Theologia verſatur. 2. Eadem majoris momenti ſunt, quippe à quorum ſenſu pendet æternitas: Eoque ingenia humana in omnes modos ea aſſequendi ſe non abs re diffundunt, & in viarum divortia eunt, unoquoque viam, quam commodiſſimam eſſe autumat, eligente ac proinde id, qvo ſibi optime conſultum eſſe putat, præoptante. II. *Exceſſu controverſandi tamen peccari.* Eo ipſo enim, quo quælibet ſecta ſe aut ſolam Eccleſiam, aut puriſſimam Eccleſiæ partem credidit, creditque adhuc, interminabiles diſputationes natæ, quæ non finem controverſiis ſed odia animis adduxerunt infinita. Videantur innumera illa Scripta Polemica & tanta quidem cum controvertentium diverſitate, ut ſi quis omnes ſimul intueri velit, non aliud haberet ſpectaculum, quam ſi innumerabile videret agmen hominum per eandem viam progredi ſe profitentium, quorum tamẽ alii dextrorſum, alii ſiniſtrorſum, hi ſurſum, illi deorſum, imo alii prorſum, alii retrorſum ſeſe agant, & quod magis monſtroſum, alii pedibus, alii capitibus incedant: Quæ expreſſio eſt *Comenii cit. loc. §. XXII.*

Digitized by Google

§. XXII. Ne allegemus, quam minaci ſubinde fronte appareant, ſæpe nugas, ſæpius calumnias, Furias, ipſum Diabolum profiteantur: Talia: *Furia Prædicantium: Repetitæ Furiæ: Prædicans vapulans & diſciplinatus: Lutherus ſepticeps: Lithus dedolatus: Calvino-Turciſmus:* Lucifers Danckſagung an S. G. Wer hat das Kalb ins Auge geſchlagen? Es müſte wol eine Kuhe lachen: Heilbrunniſcher Trumf: Lutheriſcher Katzenkrieg: Dreyköpffiger Anti-Chriſt: *Abſurda Abſurdorum Abſurdiſſima: Bellum Calvini & Jeſu Chriſti: Elixir Calviniſticum:* Calviniſcher Greuel der Verwüſtung: Caliſtiniſcher Greuel/ & innumera hujuſmodi alia, fœnum in cornu gerentia, aut mandato Servatoris è Diametro oppoſita: *Hoc eſt mandatum meum ut vos mutuo diligatis.* Quæ licentia non aliunde, quam quia cauſam ſuam coram humano judice decidi non poſſe opinantur: De iisq; non abs re jam ſuo tempore exclamavit *Staupitius*: *Quis nos liberabit à rixoſa & contentioſa Theologia?* Et B. *Melanchton* diffiſus modum hac in re poſitum iri, ſolum placidæ ad cœleſtia emigrationis beneficium languenti animo ſuo ſolaminis loco ſtatuit, verbis hac tabula, quam poſt mortem ejus inter chartas invenere, comprehenſis:

*Noli metuere mortem.*

| Quia | Quia |
|---|---|
| *Liberaberis à peccato,* | *Venies in conſpectum Dei,* |
| *Ab omnibus ærumnis,* | *Et ibi diſces arcana myſteria* |
| *A Tyrannide Diaboli,* | *De Deo, quæ in hac vita* |
| A rabie *Theologorum* | *Aſſequi non potuiſti.* |

III. Itaque Principes tollendo huic malo merito incubuerunt: Quod jam olim factum *L. Nemo Clericus. 4. C. de Summ. Trin. L. in Mon. C. de Episc. & Cler.* Et *in Cod. Theodoſ. integer* Titulus eſt: *De his qui ſuper Religionem contendunt*; Nec diſſimili modo noſtro tempore Inſtrumento Pacis Monaſterienſi *Art. V. §. XVII.* juſſum, *Ut utriusq; Religionis Magiſtratus ſevere & rigoroſe probibeat, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, diſputando, ſcribendo, conſulendo Transactionem Paſſavienſem,* Pacem *Religioſam vel Monaſterienſem imprimis uſpiam impugnet, dubiã faciat &c.* Quorũ rationes præter eas, quas jam interſperſimus, ſunt: I. Quod ingenia per cacoethes iſtud excitentur ac pruriant.

*Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.*

II. Controverſandi hoc genus fine caret; Neque enim ullam controverſiam ita complanatam legimus. Imo III. ad contentionem magis accendit: Quam rationem *Siſinnius* jam olim *Theodoſio* Imperat. inculcavit: *Diſceptationes non ſolum non reconciliare Schiſmata, ſed Hæreticos præterea ad contentionem magis accendere. Idcirco concertationes Dialecticas vitandas, teſteſque adhibendas tantum Formulas Fidei à veteribus editas*, apud *Sozom. Lib. VII. Hiſtor. Eccleſ. cap. XII.* Et Marchici noſtri totum controverſandi inter Evangelicos negocium inde ſuſpenſum iri confiſi in Conſil. Viſitator. An. MDCXXXIII. Würde das Werck der Viſitation alſo angeſtellet &c. ſo werden die Herren Viſita-

ſitatores den unnützen clamanten/welche von anders-wo herkommen / und den Kopff voll Diſtinctiones haben/ die ſie von ihren eigenſinnigen Præceptoribus erlernet oder aus ihrem Kopff geſponnen haben / wol können begegnen / daß ſie wie Dagon vor der Bundes-lade beſtehen/ und das riffeln und ſchmehen wol müſſen bleiben laſſen.

X.

Eundem finem, eaſdemque rationes habent Principum utriusque Religionis Evangelicæ Edi-cta, quibus iniquas Eccleſiarum aliarum condem-nationes & acerrimas diſſentientium inſectatio-nes tolli voluere, rati non ante animos exulcera-tos ſanari & conjungi poſſe, quam è medio tolle-rentur ea, quæ fovendis diſtractionibus & rixis augendis eſſent, accuſationes nimirum & excom-municationes non neceſſariæ ante deciſionem controverſiæ, convitiorum petulantia, calumnia-rum atrocitas contumeliis appetens famam ho-minum innocentiſſimorum. Tale edidit Anno MDLXVI. *Auguſtus* Elector Saxoniæ, idemque poſtea filius ejus *Chriſtianus I.* renovavit, diſpari quidem cum eventu, nam quod in Parente lauda-tum fuerat, id in filio improbabatur; Sed tempo-rum iſtorum ſtatus non alius erat: Qua de re vid. plur. Autorem *de Vit. Chriſtiani I. p. 12. 13.* & ex eo *Hoſpin. Hiſtor. Sacram.* ad An. MDXCI. fol. 392. Simile à Ducibus *Brunſvicenſibus* An. MDLXII. nomine Eccleſiarum Saxoniæ Inferioris emiſſum, & à *Joachimo Friderico* Duce *Lignicenſi* A. MDCI.



Digitized by Google

in *Sileſia*. In P*alatinatu* An.MDLXXXIV. d.XIX. Febr. à *Johanne Caſimiro* Tutore Electorali: Wann uns nun gleich zu Eintrettung unſerer Regierung und Churfürſtl. Adminiſtration ſo wol von Unterthanen als andern / vielfältige Klagen fürkommen / daß von vielen Pfarrherrn / Kirchen- und Schuldienern ſolchem nicht nachgeſetzet / ſondern das Schelten / Läſtern / ungegründetes Zumeſſen / und ungütliches Beſchuldigen irriger Lehre je länger je mehr zugenommen / dadurch die Unterthanen / ſo dieſem Unweſen keinen Beyfall thun / und eines theils mit Ihnen den Kirchendienern in Mißverſtand des H. Abendmahls ſich nicht vergleichen können / auff den Cantzeln und ſonſten zum ärgſten angefahren / außgeholhipet / angefeindet / von den heiligen Sacramenten abgehalten / und bey der Heiligen Tauffe zu Gevattern zu ſtehen abgewieſen &c. Erklären uns hiemit &c. In Marchia eodem exemplo Anno MDCXIV. d. XXIV. Febr. id. edixit Glor. mem. *Joh. Sigiſmundus*: Setzen / ordnen und wollen deßwegen &c. dahingegen aber alles Schelten und Läſtern anderer Kirchen / die Euch doch nicht anvertrauet / die auch einiges Irrthumbs / wie recht durch ordentliche Erkäntnüß noch niemahls überwunden / gäntzlich einſtellet / fliehet und meidet / und ſolche mit keinem Sectiriſchen Nahmen außruffet &c. Quod & hodiernus Sereniſſimus Elector DN. FRIDERICUS WILHELMUS An. NDCLXII. pie repetiit & ſapienti hoc ratiocinio munivit: Das nicht allein im Alten Teſtament die Könige des Volckes Gottes / David / und andere / welchen nachgerühmet wird / daß Sie ge-

than/ was dem HErrn wolgefiel / unter andern hohen Ampts-Geſchäfften / auch dieſes Jhre höchſte Sorge ſeyn laſſen/wie das von Gott ihnen anvertraute Volck/ ſo wol im Geiſtlichen / als im Weltlichen / oder in Religion- und Profan-Frieden erhalten / und ſo offt daſſelbige durch die Höhen des Landes gleichſam in mancherley Secten und Gottesdienſt zertheilet war / zu der Bundes-Lade / und dem einigen Altar im Hauſe des HErrn einmühtiglich einführen uñ vereinigen möchtē; Sondern es haben auch die erſte Chriſtliche Käyſer/ die wegen ihrer ſonderbahren Gottesfurcht in den Kirchen-Hiſtorien gerühmet werden / da zu ihren Zeiten Ungleichheit der Religion zwiſchen ihren Unterthanen entſtanden / auch nichts höhers Jhnen angelegen ſeyn laſſen / als entweder dieſelbe Ungleichheit / nicht zwar durch Gewiſſens-Zwang / ſondern durch Chriſtliche Concilia, oder andere friedliche Mittel zu ſchlichten/ oder doch zum wenigſten die Diſſentirende bey ungleichen Meinungen / zur Chriſtlichen Tolerantz und Beſcheidenheit anzuhalten / damit die Warheit im Friede geſucht und gefunden werde.

## XI.

Neque vocales tantum actus, ſed Libros ſcribendos etiam Jus hoc ſpectat. Nam inſtrumenta ſunt, quibus animi ſive in fide ſive in moribus inficiuntur: Auguſtinus quidem dicit: *Judicium & cenſuram Librorum etiam à quocunque Epiſcopo conſcriptorum poſſe eſſe penes quemcunque Epiſcopum & virum doctum, ac præſertim Concilium. De Bapt. Lib. VI. c. III.* Sed de Autoritate Sum-

mæ Poteſtati ſubordinata intelligendum eſſe nova demonſtratione hic nõ egebit: Neq; etiã Praxis antiquæ Eccleſiæ aliud præ ſe tulit, quam cenſurã Summi Magiſtratus ſubiiſſe, & ſi illa non ſufficeret, ſeverius prohibitos, & cum infamia è medio ſublatos fuiſſe Libros, uti Ulpianus vocat, improbatæ Lectionis. *Conſtantinus M.* ad Epiſcopos & Populum ita ſcripſit apud *Socratem Lib. I. c. VI.* *Cum Arrius ſceleſtorum, & impiorum hominum conſvetudinem imitetur, eandem cum illis ignominia, & turpitudinis notam merito ſubire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hoſtis, qui nefarios libros contra religionem Chriſtianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & ejusmodi quidem, ut apud poſteriora ſecula non ipſe ſolum maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſima infamia labe aſperſus, verum etiam impia ejus ſcripta deleta penitus, & extincta: ſic jam viſum eſt, Arrium & ejus Sectatores, Porphyrianos nuncupare, ut quorum ſecuti ſint mores, eorum etiam nomen habeant: Quin etiam ſi quod opus ab Arrio conſcriptum reperiatur, illud cremandum eſſe, ut non modo execrabilis ejus doctrina funditus tollatur, ſed etiam nullum monimentum ejusdem omnino relinquatur ad poſteritatem. Illud etiam mandamus, ut ſi quis librum ab Arrio compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte mulctetur. Nam mox ut comprehenſus fuerit, plectatur capite. Deus vos ſervet incolumes.* *Neſtorii* libros Conciliũ quidem *Epheſinum* damnavit,

vit, ut ſcribit Liberatus, ſed *Theodoſius Imperator* lege prohibuit, neqvis eos legere auderet. Superſtitioſos Mathematicorum Libros *Honorius*, & *Thedoſius* cremandos eſſe, lege data, decernunt. *Valentinianus, & Martianus: Præcipimus*, inquiunt, *ubicunq; hujusmodi ſcripta hæreticorum reperta fuerint ignibus concremari; eos vero qui vel ſcripſerint, vel aliis legenda tradiderint docendi ſtudio, vel diſcendi, cenſemus deportatione puniri.* Leo Romanus Pontifex monet: *Ne quis damnata impune legere præſumat*, *nec inter Catholicos*, inquit, *cenſeatur, quisquis talibus utitur ſcripturis. Non ſit perverſis liberum ſimulare quod fingunt, ne ſub velamine nominis Chriſtiani decretorum Imperialium Statuta declinent.* Itaque ad Imperiales ſe reducit prohibitiones. Juſtinianus Origenis libros ſevera prohibitione proſcripſit. *M. Ant. de Dom. Lib. VII. c. VII. §. 16.* Idemq; noſtro tempore Principes ac Reſpp. cordatiores pie imitatæ ſunt. Sic Reſp. *Genevenſis Mich. Serveti* Libros flammis tradidit: *Valentinum Gentilem* damnavit, ut exutus usque ad Camiſiam, pedibus nudis & capite diſcooperto facem accenſam manu tenens, genibus in terram flexis veniam à Rep. & juſtitia deprecaretur, fatendo, ſe impie & ſcelerate ſparſiſſe falſam & hæreticam doctrinam, *& ſcripta ſua in ejus defenſionem deteſtaretur, eaque propriis manibus ſuis in ignem accenſum conjiceret, donec, in cinerem redigerentur, tanquam perniciosis mendaciis referta.* Calvin. *Explic. Perfid. Val. Gent. f. 778.* Senatus



Digitized by Google

*Amſtelodamenſis* quingenta Exemplaria *Inſtructionis Volckelii* Sociniani exuri curavit. Vid. *Rivet. Apolog. c. Votum Grot. de Pace. p. 41. §. XXIV. Jacobus Angliæ* Rex Scripta *Vorſtii*, quod ipſe teſtatur in *Proteſt. Anti-Vorſtiana*. Curia *Geldrica* in Tabulam, qua Religio Reformata cum Mahometica conferebatur, cujusvè autor Remonſtrantium nonnemo habebatur, eodem modo animadvertit. In primis verò Regnum Galliæ in hanc curam incubuit, & ne ipſi quidem Patri Patrum Pontifici M. pepercit, ſed in *Bulligerulos* aliquoties nunc plauſtri pompa, nunc carnificis manu & flammis ultricibus animadvertit. Sic Camera *Catalaunenſis* An. MDXCI. *Edicta Pontificis M. c. Henricum III. Regem defunctum & Henricum IV. emiſſa, tanquam nulla, & abuſus, offenſionis publicæ, impoſturarum plena atque ad ſeditiones ſpectantia & contra ſancta Decreta, Canonicas Conſtitutiones, Concilia probata, Jura & Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ facta, vana & irrita eſſe pronunciavit, decrevit, ut ſi qui eorum vi cenſuris alligati fuerint, ab iis ſolvantur, ipſa Diplomata & Acta executionis illorum publice in platea urbis à Carnifice comburantur. Thuan. Lib. CI.* qui idem quoque à Rege decretum paulo poſt docet. An. MDCX. *Marianæ* Liber autoritate Parliamenti *Pariſienſis* flammæ datus, quo pleraque perperam de Summi Pontificis in Reges Poteſtate deque Subditorum obedientia ſcripſerat. *Gramond. Lib. I. ad An. MDCX.* Damnatus item *Bellarmini* Liber, quem in *Barclajū*

de

de Poteſtate Summi Pontificis ſcripſerat, idemq; pœnale judicium abſtuliſſet, niſi interceſſiſſet Romanæ Sedis Nuncius, obtinuiſſetq; à Rege in ſuſpenſo haberi ſententiam. Iterum *Gramond. l. c.* Idem An. MDCXII. factum Scioppii Libro, quem *Eccleſiaſticum Autoritati Sereniſſimi Domini Jacobi Magnæ Britanniæ Regis oppoſitum inſcripſit.* Mox & Becani Libro, *Cotroverſia Anglicana de Poteſtate Regis & Papæ.* Vid. *Contin. Thuan. Lib. V. ad An. MDCXII.* Cui ab Aula Romana quoque autoritas, dubium quo animo, addita; Profitebatur enim eo multa falſa, temeraria, ſcandaloſa & reſpective ſeditioſa contineri. Sed ita ſolent Pontifices, quod in poteſtate ſua non amplius habent, verborum ſpecie adhuc ſuo tranſcribere peculio. An. MDCXIII. Apologia *Adolphi Schulkenii* Coloniæ excuſa, quæ multas Propoſitiones ſeditioſas contra vitam & Imperium Regnum ac Principum Supremæ Poteſtatis continebat, ex Sentent. Præfecti Pariſienſis à Carnifice in platea Grevia combuſta fuit. *Contin. Thuan. Lib. XIII.* An. MDCXIV. *Svarezii* Liber exuſtus, de quo vid. inter alios *M. Ant. de Dominis* Oſtenſionem errorum *P. Svarezii*, annexam *T. II. de Rep. Eccleſ.* An. MDCXXV. Liber *Ant. Sanctarelli*, de quo Alph. Vargas de Strateg. Jeſuit. c. LV. *In eo Libro leguntur ſententiæ iis conſentaneæ, quas multo prius Salmero, Gregorius de Valentia, Bellarminus, Suares, Sa, Richeomus, Heiſſius & alii veluti fidei Dogmata tenendas & credendas Libris editis docuerant:*



Digitized by Google

*Videl. Papæ & Chriſti eſſe unam Tribunal, Papam habere jus in ſpiritualia ſimul & omnia temporalia &c.* Sed forte generaliori cenſura non tantum in hoc genus, verum in univerſam Rem Librariam opus foret; Et noſtrum omnino facimus, quod in tanto indocte doctorum, aut docte delirantium agmine cum prudentioribus ſe metuere profitetur *Comenius*: *Niſi vagum iſtud ſemperq; adhuc incrementa capiens Librorum Diluvium aliquando ſiſtatur, futurum brevi, ut homines aut nihil legant, aut nihil credant, profanitasq; & Atheiſmus inundent omnia; Quemadmodum initia videmus paſſim, maxime in Gentibus, quæ ſibi maxime cultæ videntur. Ideo & quoties grande volumen videmus, & multo magis dum numeroſam aliquam Bibliotecam ſpectamus, miſerationem jubet animum ſubire miſeria humanæ tantis Labyrinthis diſtractæ, licentia, corrupta.* Tr. Un. Neceſſ. c. VI. §. VIII. Cenſuram quoq; iniquam Libros melioris notæ ſæpe pati, Indices Expurgatorii nos dubitare non ſinunt, quos tamen Rei Evangelicæ potius profuiſſe, quam nocuiſſe jamdudum docuit Doctiſs. Theologus *Franc. Junius* Præfat. in editos abs ſe Indices Expurgatorios. At homine indigna vox eſt, quam integro Libro profitetur *Joh. Bapt. Cardona Canonicus Valentinus*: De Hæreticorum Nominibus *expungendis, etiam de Libris, qui de Religione ex profeſſo non tractant.* Veterum utique Chriſtianorum Libri eodem modo à Gentilibus habiti. Quæ cauſa cur tam pauci antiquiſſimorum Patrum ad noſtra

ſtra tempora transmiſſi ſint. *Gloriantur tantopere,* inquit, *M. Anton. de Domin. c. l. §. XXIII. noſtri Romanæ Eccleſiæ propugnatores, ſeu potius Romanæ Curiæ ſatellites, Illuſtr. & Reverendiſſimos Cardinales hinc Bellarminum, hinc Baronium Proteſtantibus os obturaſſe, ita ut ne mutire quidem amplius audeant, aut poſſint.* Sed interim quicquid virium eſt in Papatu id totum expromitur, ne Libri & Bellarminum & Baronium confutantes in Catholico-Romanorum oculos incurrant. Si noſtri illi *Coriphæi* non ſatis hiſce Libris impugnantur, cur eos legi à doctis non libenter patitur Beatiſſimus, ut in veritate melius ipſi Lectores confirmentur, ubi nullius momenti viderint impugnationes? Si autem pugiles illos ſuos eximios videt Scriptis hiſce proſtratos; cur de moderatione & expurgatione ſeu Doctrinæ non cogitat? De exuſtione *Librorum Lutheri* extat Ep. *Udelonis Cimbri* in *Goldaſt. Polit. Imper.* It. *Simonis Heſſi* cauſæ, quare Colonienſes Lutheri opuſcula combuſſerint. *Jojakimus* in Jeremiæ Vaticinia ita ſæviebat, ſed duriſſimam eo nomine ſententiam divinitus accepit. Et cum A. MDCXXVII. in Urbe N. certa dies comburendis Evangelicorum libris deſtinata eſſet, legimus nocte diem illam antegreſſa ignem CL. ædificia urbis ſimul duobus Monaſteriis devoraſſe. An recte factum à *Jacobo* Anglorum Rege, qui coram Epiſcopo & Mareſchallo ſuo *Dav. Parei* Comm. in Ep. ad Romanos igni tradiderit, quod hypotheſes aliquas continere videret,

quibus

Digitized by Google

quibus Poteſtas Regia nimium coarctaretur, in medio relinquimus. De *Judæorum* Libris tollendis controverſia initio præteriti ſeculi agitata fuit in Aula Imper. *Maximiliani I.* Et *Reuchlinus*, qui commode tolli non poſſe aſſeruerat, licet multa eo nomine à *Colonienſibus & Pariſienſibus* indigne paſſus eſſet, ſententiâ à *Georgio Palatino Epiſcopo* Spirenſi lata prævaluit, pars altera autem maximam invidiã ſibi eo facto conflavit: *Nam quicunq; erant viri docti per Germaniam, variis emiſſis in illos atque facetis Libellis Reuchlinum propugnabant, ſalſe deridentes illos, ut homines Barbaros, Lingvarum & omnis litemtura politioris hoſtes.* Sleidan. Lib. II. ad An. MDXX. ubi totam rem geſtam prolixè enarrat.

## XII.

Juri *mutandi Religionem* demonſtrando adjicimus, Principem, ſi eo careat, ne Religionem depravatam quidem reformare poſſe. *Inſtantia: Unicuique privato Jus æque patere, ut abjecta opinione deteriori meliorem accipiat*: Reſpondemus, ita Principem quoque privatim ſibi conſulturum; Sed ut publice Religionem aliam introducat, id ſolo Jure Principis fieri. Quos limites in Imperio noſtro habeat ex *Inſtr. Pac. in Med. Pol §. IIX.* dictum. Similes Literis Reverſalibus, Declarationibus abs ſe editis, aliisve hujus generis, qvæ Principes & in Imperio & extra illud ſibi poni patiũtur, cujus rationes ex argumenrtis pro tolerantia diverſarum Religionum pendent. At ſi Principis perſo-

Digitized by Google

perſonam tangat Qvæſtio: *An Literis Reverſalibus ejusmodi ſeipſum certæ Religioni aſtringere poſſit?* Negativa merito aſſerenda. Actus enim Conſcientiæ eſt, qui liberrime haberi, nulli rei externæ alligari cupit. Ideo cum Glor. memor. Electori *Joh. Sigiſmundo* Obligationis Formula Halæ Saxonum in Arce Mauritiana manu propria ipſius ſubſcripta, contra ſuſceptam poſtea ab eodem Reformatam Religionem ab Eccleſiaſte τῷ δεῖνα objiceretur, Sereniſſimus Frater ejus Dn. Joh-Georgius non abs re reſpondit: Es würde kein rechtſchaffener Chriſt/ dem ſein Chriſtenthum ein Ernſt iſt/ dergleichen Obligation und Zuſage/ ſie ſey auch ſo ſtarck als ſie immer wolle/ vor kräfftig und bündig halten/ daß er darumb die Warheit/ ſo er hernach beſſer erkennen lernet/ fahren laſſe und von ſich ſtoſſen ſolle/ dann es iſt recht eine promiſſio contra bonos mores, welche/ ob ſie gleich mit einem Eyde beſtätiget wäre/ dennoch unter die Regul gehöret/ die da ſaget: Juramenti illiciti melior eſt transgreſſor, quam ſervator: Ja wir ſehen auch/ daß ſolche promiſſiones approbante Scriptura entweder nicht gehalten/ als Saulus und Davids: 1. Sam. XIV. v. 24. 25. Oder aber/ eadem improbante, mit ſchwerer Verſündigung/ als des Herodis/ ſeynd vollbracht worden. Marc. VI. v. 23. Derowegen dann unſers Herrn Bruders des Churfürſten L. an ſolchen Revers und Zuſage/ im wenigſten nicht verbunden/ nicht anders als wann einer aus unſern in GOtt ruhenden Elter-Vätern/ ſeinem Herrn Vater einen Revers geben müſſen/ daß

er

Digitized by Google

er nimmermehr von der Bäpſtiſchen Religion abwei-chen wolle; Da würdet ihr je ſelbſt geſtehen / daß einen ſolches / an Erkäntnüß und Bekäntnüß der Warheit / nicht hindern könne ꝛc. Sagen nochmalhs / daß dergleichen Reverſe und Zuſage / der Warheit und deren Erkäntnüß nicht præjudiciren könne / auff welcher Seiten aber nun die Warheit ſey / das läſt ſich aus ſolchen Reverſen nicht nehmen / ſondern gehören andere Gründe darzu. Q. *An Princeps ſubditos ad audiendas conciones cogere poſſit?* Reſp. Conciones vel ſimpliciter ſpectari, vel cum annexis Religionem aliam concernentibus ritibus. Simplicem concionem ſubditum haut facile declinare poſſe, cum nihil ea exigatur, quam propoſitum audiendi, facultate intra ſe approbandi ſalva manente, quæ ſi non exeratur, non magis ipſi noxæ erit, quam aliud argumentum perſvaſorium alienæ Religionis: Quod ſi falſum eſt, Auditorem non movet, ſi verum aut melius iis, quæ ante audivit, inſanus vel obſtinatus eſſet, ſi non ſuſciperet. Interim quodcunque ſit, argumentum ipſi præbet Principis arctius cum eo uniendi deſiderii. Sicque *Judæis* ſcimus in *Haſſia* & alibi peculiares ſacros Sermones ſtatis diebus deſtinari, pia perverſam gentem ab erroribus ſuis avocandi intentione, qua ſi excidunt pii Principes, non levitate argumentorum, ſed σκληροκαρδίᾳ obſtinatorum hominum accidit. At ritibus ſimul implicare Auditorem erit ad peregrinum cultum eum adigere, vel certe ſpectando ei offenſam præbere; Sunt enim ſigna

ſigna interni cultus, à quo ſi ſubditus alienus eſt, nec externis ejus ſignis proferendis fatigari poteſt. Ex qua ratione jam in *Maximiliani II.* Imp. Electione cum *Miſſa* officium celebrandum eſſet, *Palatinus, Saxo, Brandenburgicus ex Choro in proximum conclave diſceſſere, inibi donec Liturgia ad coronidem deducta eſſet permanentes; Inſequentibus eos Guilielmo Landgravio Juniore, Georgio Palatino, Franciſco Landgravio, Anhaldino aliisq; compluribus una cum ſuis Conſiliariis, Principibus atque Ducibus.* Vid. *Hiſt. Fratr. Heydenorum de Elect. & Inaug. Maximil. II.* Quem morem Evangelici in noſtra usque tempora in ſolennibus ejusmodi retinuerunt.

## XIII.

Jus *Ferias* indicendi itidem Principis eſt: Qui enim ipſa Sacra moderatur, etiam temporis & loci iis deſtinandi facultatem habebit; Et Subditi ſi non Actu poſitivo, ut interſint Feſtis talibus, aut negativo ſaltim, ne quid adverſus ea faciant, illud ferunt: Quæ apud Reformatos Galliæ etiam eſt obſervandi Feſta Catholicorum ratio, vi Declarationis Regiæ Anno M DC LXIX. d. 28. Maji. Artic. XLVI. *Que les dits de la R. P. R. garderont & obſerveront les Feſtes indites par l'Egliſe, & ne pourront és jours de l'obſervance desdites Feſtes vendre ny eſtaller à boutique ouvertes, ny pareillement les Artiſans travailler hors les chambres & maiſons fermés esdits jours defendus en aucun meſtrer, dont le bruit puiſſa eſtre entendu au dehors par les paſſans*

*ou voiſins ſuivant l' Article XX. de l' Edict de Nantes &c.* QV. *Quo in loco habenda Feſta à Magiſtratu injuncta, ut Jejunia, Feſta Eucbariſtica & ſeqq.* Reſp. Opinamur cum Ameſio pro Sabbatis extraordinariis habenda eſſe, quotiescunque Deus judiciis ſuis ſingularibus ad ſolennia ejusmodi vocat. Aſt ad placitum inſtituta minus ſacra videntur, cum nihil religioſum ſit, quod omnino pendet ex voluntate humana. Vid. *Ameſ. Caſ. Conſcient. Lib. IV. c. XXI. & Med. Theol. Lib. II. c. XV.* §. *LIV.*

XIV.

Ad Principem pertinet Jus *indicendi Concilia*: Ut ad Veritatis & Pietatis amplificationem, conſilium inde capiat. Sic cenſuerunt Proceres Germaniæ in Diæta Norimbergenſi A. MDXXII. & Adriani VI. P. M. Legato, cum Lutherum ejusque dogmata cohiberi urgeret: *Non tantum ex parte Lutheranæ Sectæ*, reſponderunt, *ſed ex aliis cauſis multos errores & corruptelas inoleviſſe, adeo ut iſtis oportunis remediis provideri ſummopere neceſſarium ſit &c. Nullum itaq; commodius, opportunius & efficacius remedium Illuſtriſſ. Locumtenentem cæterosq; Principes & Ordines cogitare poſſe, quam ſi Beatitudo Pontificis accedente Cæſ. Maj. conſenſu Liberum Chriſtianumq; Concilium ad locum convenientem in Natione Germanica quantocius & celerius, quantum fieri poſſit Argentorati, vel Moguntiæ, vel Coloniæ Agrippinæ, vel in Urbe Metenſi, vel alio convenienti loco in Germania indicat, inq; tali Concilio*

*eis,*

*eis, qui intereſſe deberent, non obſtantibus quibuscunque Juramentis & obligationibus libere loqui & conſulere pro gloria Summi DEI & ſalute animarum proque Rep. Chriſtiana abſque aliquo impedimento liceat.* ap. Gold. T. II. Conſt. f. 454. Quam & retinuit *Carolus V.* in Mandato ad Proceres Imperii de clelebrando Concilio d. IIX. Jan. A. MDXXXIII. §. Dieweil aber 2. Sey kein ander Weg durch des Reichs Stände berahtſchlaget und gefunden/ dadurch ſolche Zwieſpalt und groſſe Gefährligkeit und Verwirrung aller Sachen bequemlicher hingeleget oder geſtillet möchten werden / denn daß ein gemein Concilium außgeſchrieben würde / und ſolchen Weg/ nach dem die Sachen ſonſt je länger je böſer werden / für nothdürfftig geacht/ und von uns gäntzlich in Unterthänigkeit begehret. Et *Theologi Bremenſes* in Synodo *Dordracena* ad Proteſtationem Remonſtrantium Synodo oppoſitam reſpondebant: *Synodum legitimo & ſummo Belgicarum Provinciarum Magiſtratu eſſe convocatam, ex eo ipſo fundamento, quod intelligeret & ad animum revocaret, partem hanc officii ſui eſſe, ut & Chriſtianæ fidei puritatem tueatur ac propaget, & Eccleſiarum tranquillitatem in præſens & futurum tempus procuret &c.* Act. Synod. Dordrac. fol. 146. Et Theologi *Haſſiaci* in eadem Synodo Proteſtationem ideo Remonſtrantibus maximo vitio vertendam cenſebant: Illam enim non tam impetere Synodum, quam *Illuſtriſſ. DD. Ordines Generales*, utpote qui Synodum hanc convocarint eidemque poteſtatem fecerint, controverſias, quæ

has Eccleſias Belgicas turbarunt, cognoſcendi, & ſecundum verbum Dei, ceu unicam perfectam, & infallibilem fidei normam ac regulam, dijudicandi. Cum enim *Illuſtriſſ. DD. Ordines Generales*, ipſorum Remonſtrantium confeſſione, Jus habeant & poteſtatem convocandi Synodum, & vero negari non poſſit, Synodum hanc ab ipſorum Dominationibus convocatam, & in eadem legitimum modum ac ordinem, quem Dominationes ipſorum præſcripſerunt, hactenus obſervatum fuiſſe; haud intelligimus, qui poſſit huic Synodo ea detrahi poteſtas, quam *Illuſtriſſ. DD. Ordines* legitime ipſi conceſſerunt, quin ſimul imminuatur autoritas quæ ipſis Generalium Ordd. Dominationibus competit. *Acta Syn. Dordr. f. 139.* Unde maximus uſus Conciliorum in Republica: Quia enim omnes æqve pacem amare videri volumus, etiam pacis media horumque obſervantiam amplexuri præſumimur. Sed *Nationalium*; Intra Reip. limites enim vis obligandi eorum ſe exerendo eſt: De *Univerſalibus* id vix aſſeri poterit, cum argumento intrinſeco careant, quod diſſidentes abſolute vel infallibiliter convincat, vel contradictionibus modum ponat; Communis Magiſtratus autoritatem vero non recipiant in tanta rei Chriſtianæ amplitudine: Veluti & jamdudum ab aliis notatum: Concilia iſta Univerſalia & ita dicta Oecumenica revera ex univerſa Eccleſia conflata non fuiſſe, cum magna pars ejus latius pateret, quàm Romani Imperii fines; Sed quo-

Digitized by Google

quoniam illius ſeculi moribus fuerat receptum, Imperatorem *Dominum Univerſalem* terræ habitabilis indigitari, licet decima Orbis pars Imperium ejus vix agnoſceret, idem pariter hîc obtinuit. Ac licet ſæpe Nationes plures eandem rem receperint, id tamen non majorem unitatem arguit, quam uſus Legum Politicarum diverſis in Rebuspublicis receptus: Cujus unicè ratio eſt, quod ſinguli animadverterent Reip. ſuæ eas congruere. Ne dicamus ipſas Hæreſes crebrius per Concilia profeciſſe, quam defeciſſe; Tunc enim robur ſuum ſentire cœperunt. Quæ ſimiliave pluribus expoſuimus ſingulari Diſſertatione *de Autoritate Conciliorum.* E qua & de Concilio Univerſali inter Proteſtantes expectando dubium *Joſephi Halli* attulimus: *Quis enim convocabit? Quis præſidebit? Qui intererunt, ferentq; ſuffragia? Quæ definiendi Regulæ erunt? Quæ ratio exequendi?* Rom. Irreconc. Sect. ult. Qv. *An pars Novaturiens Synodi autoritatem poſſit declinare, quam ſcit adverſam ſibi tenere ſententiam?* Reſp. Theologi *Magnæ Britanniæ* in Dordr. Synodo, cum quæſtio hæc à Remonſtrantibus moveretur, Theologos in negocio Religionis non eſſe ſolere tanquam abraſas tabulas, neque eſſe debere: Si enim ſoli neutrales poſſent eſſe judices, extra Eccleſiam, in qua lites enatæ ſunt, ſemper quærendos & nullam Eccleſiam componendas lites ſuas forte idoneam. Sicque Opt. *Milevitanus* Lib. V. adv. *Parmenianum* conſulit: *Ut obortæ inter Chriſtianos controverſiæ*

*non ad Paganos, aut Judaeos recurratur, ſed ut inter ſe fratres ex Verbo Dei controverſias componant.* Neque etiam in ſua cauſa ita judices eſſe præſumi poſſunt; Veritas enim communis Eccleſiæ theſaurus eſt, nec poteſt ullo pacto fieri peculiaris ſingularum perſonarum: Deique & Eccleſiæ publica cauſa eſt, non ſua cujusque quæ in Synodis agitur. Vid. *Act. Synod. Dordrac. p. 135.*

XV.

*Jus Advocatiæ* Principum eſt, ſed alio ſenſu, quam à Catholicis Scriptoribus accipi ſolet; Præſupponit enim Eccleſiam extra Jurisdictionem, eoque Principi quidem relinquitur, ſed tanquam Laico, non tanquam Imperii Sacri participi. At nos ideo Advocatum Eccleſiæ eſſe remur, quia Imperium Sacrum habet, cujus Pars, non oppoſitum eſt Jus Advocatiæ: Sub quo enim Eccleſia eſt, ab eodem & defenſionem & redituum ſuorum curam expectat. *Seculariſatio Bonorum Eccleſiaſticorum* eſt eorundem ab uſu ſacro in humanum translatio. *Si Bona Eccleſiaſtica in Collegia, Scholas, Academias, Stipendia conferantur, non eſt Seculariſatio, ſed ſacri uſus variatio.* A Principe itidem eſt, ſed neceſſitate publica moto: Unde partem Dominii Eminentis dixeris, quia neceſſitatibus Reip. inſervit. Iisdemque conſtitit Seculariſatio Epiſcopatuum & ſeq. in Imperio noſtro, quippe qua auream pacem & ſtabilimentum Rei Evangelicæ niti oportuit. Extra neceſſitatem, quia aliquando extenſa fuit, ſiniſtro ſucceſſu mactatam

Digitized by Google

ſtatam legimus: Neque enim uſum omnem, ſed abuſum tolli inter Catholicos tantum oportuiſſet. DEUS vero rem ſacram quamcunque & ipſos ſumme idololatricos actus indigne habitos, ſi non animo errores & abuſus tollendi id factum, nunquam non ſeveriſſime vindicavit. Veluti cum Templum *Delphicum* à Celtis invaderetur, illos fulmine & tonitru disjecit, nec unquam ab eo tempore, qui ante feliciſſimi erant, feliciter pugnarunt; Neque enim templum, quia Idololatricum, aut erroribus repletum erat, petebant, ſed in genere rem ſacram, non minus ei parcituri, ſi vivo Deo etiam conſecratum fuiſſet, eoque in injuriam ſuam vivus Deus Sacrilegium iſtud merito vertit, licet Idolo inferretur. Similiter *Cambyſes*, qui *Apim* vulneraverat in *Ægypto* in femore, paulo poſt proprio enſe fortuito læſus in femore obiit, pœnasque luit, ut *Juſtinus* loquitur, ſeu imperati parricidii, ſeu perpetrati ſacrilegii: Ratione prorſus eadem; *Cambyſes* enim *Apim* non quia Idolum erat aſpernabatur, ſed in eo rem ſacram univerſam; Unde in vivum Deum injuria hæc redundavit, & ab eo punita fuit. Idem diximus de vindicatis in medio *Papatu* per miracula Sacrilegiis; Sacrilegi enim non imagines aut templa, quia ſuperſtitionibus ſcatent, ſed ſimpliciter rem ſacram petunt, eoque ab eo ad quem Sacra vere pertinent, merito puniuntur.



Digitized by Google

# CAPUT XIIX.

## De
## IMPERIO MAJESTATIS IN RES HUMANI JURIS.

*I. Regalia certo numero non poſſe comprehendi; Confirmatio Pactorum, Aſſignatio Tutorum &c. an pertineat ad Dominium Eminens? II. Jus commerciorum; An Homines in cenſum mercium venire poſſint? Merces Contrabandæ. III. De Jure monetæ Symbola Caroli II. Regis Angliæ & Cromwelli. IV. Regalium minorum fundamentum eſſe ambiguitatem Dominii. V. Jus Deportus, Varech, Jus Aperturæ.*

I.

INitio de novo repetendum eſt I. Majeſtatem non differre à Regalibus, ſeu ita dictis Juribus Majeſtatis, ſed jura iſta eſſe ipſiſſimam Majeſtatem pro Objectorum diverſitate tantum diverſa nomina ſortitam. II. Regalia certo numero non comprehendi, ſed totidem eſſe, quot rerum gerendarum in Rep. occaſiones ſunt: Quibus quoties publicum autoritate ſua accedit, toties Jus aliquod Majeſtatis ſuæ exercet. Et ſi non

non omnibus æque nomina data ſunt, vel ſufficienter enarrata non ſunt, id non defectu rerum, ſed paucitati verborum attribuendum eſt. Neglectus certe obſervatorum talium cauſam præbuit aliis; ut multa hujus loci Regalia tradenda quidem judicaverint, ita tamen ut ad Dominium Eminens referrentur. Talia Confirmatio Pactorum, Aſſignatio Curatorum & Tutorum &ſſ. quæ recenſuimus *Med. Polit. Cap. XXI. §. III.* Sed rati ſunt haut dubie Dominii Eminentis nomine comprehendi poſſe, quicquid ſingulari nomine inter Regalia appellatum non eſt. Cur vero hujus partem non conſtituant; rationes ſunt. I. Quia Dominium Eminens Neceſſitatem Publicam præſupponit, quæ hic nulla eſt. II. Idem in cauſa publica ſubſiſtit, quæ itidem hic non eſt, ſed cauſa privatorum tantum. Conf. *cit. Cap. XXI. §. III.*

II.

Jus Commerciorum, h. permutationis rerum ad humanos uſus facientium, indubium eſt; Reip. commoda & augmenta enim inde pendent. *Merces* ſunt res pro humano uſu tranſlocabiles. *Mercatores* qui quæſtus faciendi cauſa merces emunt, ut vendant apud *Alciat. in L. III. ff. de verbor. ſignificat.* ſeu qui quæſtus faciendi cauſa merces non mutata per ſe forma permutant; *Inſtitores* qui merces diſtrahunt, ſed minutatim & mutata forma. *Homines* in cenſum mercium venire non poſſunt, dicendosve, in horum emtione & venditione qui verſantur, venalitiarios potius &



Digitized by Google

mangones, quam mercatores JCti autumant. Vid. *Beneven. Stmcha de Mercat. P.* 1. cui rationem adjicimus: Quod veluti humana vita inæſtimabilis eſt, ita nec natura humana ullo precio æſtimanda videatur. *Merces Contrabanda* pro Statu Reip. itidem inter prohibita referuntur, cum rem humanam non juvent ſed deſtruant, unde & hoc nomine proprie veniunt non merces hoſtibus deſtinatæ, ſed eæ; quibus hoſtilitas exerceri poteſt: Quæ diſtinctio veluti Naturæ Rerum congruit, ita eadem *Hiſpanos* & *Gallos* prudenter uſus legimus *Pacis Pyrenææ Artic. XII. & XIII. Sub hoc probibitarum mercium genere comprehendi intelliguntur ſolum, omnis modi arma igniaria, aliaque eò pertinentia, uti ſunt* canones, muſchettæ, mortaria, petardæ, bombi, granatæ, pyroboli chartacei, circuli picati, tormentorum capſæ, furcillæ muſchetariæ, zonæ thecarum pulveris nitrati, pulvis pyrius, funes muſchetarii, nitrum, globi, haſtæ oblongæ, gladii, galeæ, caſſides, thoraces chalybei, bipennes, lanceæ, equi, ephippia, ſclopi minores eqveſtres *cum* vidulis ſuis, cingula gladiorum, *aliaq; id genus in uſum belli idonea machina & opera. Sub his mercibus non comprebenduntur frumenta, fruges aliave grana, legumina, olea, vina, ſal, nec generatim omne id, quod ad nutritionem ſuſtentationemq; vitæ ſpectat, ſed ea, ſicut & cuncta alia articulo præcedente non memorata, merces & res venales liberæ manento, earumq; devectio etiam ad loca Coronæ* Hiſpaniæ *inimica*, excepto, *uti dictum eſt* in

in Portugaliam *& ad urbes & loca tum arctè tum largè obſeſſa &* circumcirca *permittitur.* Et poſterioris ratio eſt: Qui res ejusmodi cauſam inimicitiæ non fovent, neque per eas ab hoſte impetimur.

III.

*Jus Monetæ* ſagaciſſimus *Cromwellus* memorabilibus nummis ab ſe cuſis expreſſit, quos non tantum imagine & nomine ſuo ac inſignibus Reip. Anglicanæ inſtruxit, ſed præterea limbo exteriori inſcribi curavit verba: *Hos niſi periturus mihi adimat nemo.* Duplici ſenſu ita indicaturus, & Jus ſuum à nemine ſibi adimendum eſſe; Et literas iſtas quoque in imminutionem monetæ à nemine niſi perituro auferri debere. Quo ingenioſius adhuc videtur, quod *Carolus II.* Angliæ reſtitutus itidem limbo exteriori inſcribi juſſit: *Decus & Tutamen.* In indicium: Et monetam Regni ac Regis decus eſſe, & literas ibi expoſitas monetæ decus eſſe; Et monetam tutamen Regis ac Regni eſſe, & literas iſtas tutamen monetæ eſſe, ne quid inde tolli poſſit.

IV.

*Regalium Minorum* fundamentum univerſum eſt ambiguitas Dominii, adeo ut de qvo ambiguum ſit, quorſum pertineat, id Regalia Minora comprehendant, eoque quia ad neminem privatorum pertinet, ad omnes referatur, ſicque ad Principem, quippe omnes repræſentantem. Sic inventum Theſaurum dum nemo privatus ſibi



Digitized by Google

vendicare poteſt, ſequitur eum ad omnes pertinere, ſicque ad Principem tandem refertur, quippe omnium imaginem. Similiter bona quibus excidunt;qui enormium flagitiorum rei ſunt,non amplius ſingularem Dominum in Rep. habent; attamen manent in Rep. eoque quia ad ſingulos non pertinent, omnium erunt, indeque iterum Principis ob cauſam ante dictam. Similiter de Jure venandi dixeris: Feras pertinere ad Remp. idque ideo, quia ejus limitibus comprehenduntur; Jam vero ad privatos ſingulos nullo jure referri poſſunt, eoque unicum hoc ſupereſt, ut ad eum referantur, qui Remp. repræſentat. Qua de re vid. plur. *Cap. VI. de Imperio.* Quæ *Bocerus, Sixtinus, B. Cruckmannus* & alii tradunt: Regalia Minora pertinere ad Fiſcale Jus & proventus, ea de effectu cauſæ à nobis allegatæ accipimus, h. ideo ad Fiſcale Jus pertinere, quia res tales peculiarem Dominum in Rep. non amplius habent.

V.

Inter *Specialia Regalia*; h. in aliquibus tantum Rebuspp. aut certo tantum modo exercita, reponimus: I. *Jus Deportus* ap. Anglos & Gallos uſitatum,& à Dominis in beneficiaria prædia minorennium exercitum, h. ut Tutores ſint Vaſallorum ſuorum minorennium, in perceptionem redituum quoq; ſimul iis deſcendant. Vid. *Sprenger. Perſpicil. Chriſt. Orb. p. 10. & p. 98.* & inprimis *Renat. Choppin. de LL. And. Lib. II. Tit. II. & §. I. & ſeqq.* Cujus rationem reddunt: Quia prædia ejus-



Digitized by Google

ejusmodi per ſervitium militare ipſis conceſſa ſint; *Id vero quia per ætatem præſtare non poſſunt, æquiſſimum eſſe, ut fructus ad Dominum redeant, ex quibus Equitem militemq; æqve fortem queat ſuſtentare.* Th. Smith. *de Rep. Angl. Lib. III. c. V.* II. Jus *de Varech* apud Gallos dictum, h. ut Bona Naufragorum in emolumentum Fiſci Regii cedant: Quod ratione Ducatus Normandiæ ad Regem *Galliæ* pertinere ſcribit Tholoſ. *de Rep. Lib. IX. c. I. §. XXIX. Ut ſi per tempeſtatem aut infortunio alio quopiam, maris res quædam impellantur in litora, ſive navis ſit, aut aliud quippiam eodem jure ad Principem pertineat, ſi intra ſex hebdomades non compareat, qui poſſit eo res delatas vindicare.* De aliis Rebuspp. idem adhuc commemorat *Sprenger. l. c. f. 98.* De Ducatu *Megapolitano Crantzius Vandal. Lib. XIII. c. XL. & Lib. IV. c. I.* Sed magna ſui parte id nunc deſinere, vel certe modum accipere in recentioribus exemplis claruit. *Megapolitanus Dux* utique cum Imperatoris vocem percepiſſet; Nihil Juris habere fiſcum ſuum in calamitate aliena, repoſcentibus res ſuas non magnopere refragatus fuit apud *Crantz. cit. C. XL.* De *Dania* vid. *Conſt. Juticas. Lib. III. c. LXIII.* Chriſtianum Regem tamen qveſtum legimus, Lege iſta de Naufragorum Bonis confiſcandis abrogata periiſſe ſibi annua Centum Aureorum millia. *Grot. de J. B. & P. Not. ad Lib. II. c. VII. §. I.* Aurea ſane ſentententia *Theodorici* Regis eſt apud *Caſſiod. Var. L. IV. c. VII. Crudelitatis genus eſt ultro naufragium velle*

*deſævi-*

*deſævire & illos ad diſpendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dediſſe.* Confirm. Domini enim mercium naufragarum non, cenſentur animo non habendi eas projeciſſe, adeoque cauſa non eſt, cur Dominium iis auferatur. III. De *Jure Aperturæ* diſputat inter alios *Bidenbach. Q. Nob. XXII. p.* 129. *& ſqq.* cujus ſumma eſt: Tempore Belli Superioritatem, at Pacis tempore vix quicquam præter hoſpitium importare. Ab aliis meram Aſyli præſtationem continere creditur, qvod etiam allegavit Sereniſſimus Elector Moguntinus cum An. MDCLXIIX. cum Sereniſſimo Electore Palatino de jure hoc in vicum & arcem Neuen Baimberg controverſaretur. Sed reſpondit Sereniſſimus *Elector Palatinus* literis datis d. XXIIX. Jul. Ej. Anni: Laſſen zwar dahin geſtellet ſeyn / ob E. L. von dero Ertz-Stifft / wo Sie das Jus Aperturæ haben / ſich deſſen nur als eines Aſyli, und zwar allein zu Vehdens Zeiten gebrauchen: Dieſes iſt aber gewiß / daß das Offnungs-Recht ſo wol von Churfürſten / Fürſten und Ständen des Reichs / als von den höchſten Gerichten und Rechtsgelährten in gemein / nicht für einem miſerablen Behelff eines Aſyli, ſondern vor ein ſtatlich Stücke der Superiorität und des militariſchen Rechtens gehalten wird. Inmaſſen auch E. L. Vorfahren / als Sie mit dem Hauſe Braunſchweig wegen der Graffſchafft Hohenſtein ſtreittig geweſen / aus dem Jure Aperturæ gar das Jus Territoriale behaupten wollen: Es aber unnöhtig / Uns dißfals in einen Diſputat einzulaſſen / oder weitläufftig

künfftig anzuführen / wie wir und andere Churfürſten und Stände das Offnungs-Recht exerciret und hergebracht: Sintemahl obgedachter Offnungs-Brieff ſelbſt hierin klare Maaß giebet / daß Wir und unſere Stäte ohne Unterſcheid der Zeit / dieſes Hauſes ewig gewaltig ſeyn / und darauß gegen jedermänniglichen behelffen ſollen. Vid. *Append. ad Cont. XVI. Diar. Eur.* Plura hujus generis cum paginis hiſce non capiantur, in alium locum rejicienda ſunt.

---

# CAPUT XIX.

## De IMPERIO MAJESTATIS IN PERSONAS.

*I. II. Abſolutam & Simplicem requiri obedientiam: Regalium uno poſito, ponuntur omnia, Virtute una, Virtutes omnes: III. An LL. de Theſauris inventis & ſſ. Jus abſolutum Principis in Res probent? An Princeps habeat Jus Vitæ ac Necis in Subditos? IV. Pariſienſium Reſponſum de non admiſſo Feciali Regio: V. An amor Reip. motui contra Tyrannum argumentum præbere poſſit? Quomodo dextri aliqui Rebellantium ſucceſſus interpretandi? An Principem pactis non ſtetiſſe allegare poſſit? Principum in abſoluto hoc jure aſperrima con-*

*conditio: VI. Conditionalis Logice nihil ponit, Politice æquipollet Affirmativæ: VII. Homagii explicatio: IIX. Aliorum Subjectionis Signorum Index: IX. Cur Perſonæ Sacræ aliquæ apud Catholicos Conſiliis excludantur: X. Naturæ Civis & Voti Deciſivi Examen: XI. Modi ſuffragandi & Pluralitatis votorum conſideratio: XII. Peregrinorum in Rep. admiſſio: Pleraſq; Gentes Reges amare Indigenas: XIII. Naturaliſatio: XIV. Proſelyti Hebræorum.*

I.

PErſonas Imperio Reipubl. ſubjectas, h. in quas illa poteſtatem ſuam exercet, uno nomine dicimus *Subditos.* Subdi, Subjici eſt poteſtatem alienam ſuſcipere, quod veluti in rebus proprietatem gignit, ita perſonis addit obedientiam; Perſonæ enim dum obediunt, h. propoſitum habent explendi mandata alterius, eo ipſo poteſtatem alienam ſuſcepiſſe, h. ſubjectas ſe eſſe teſtantur.

II.

Subjectionem, ſeu Obedientiam abſolutam & ſimplicem eſſe ex Sacris illuſtratum in *Medit. Polit.* Inter præcipuas rationes reponi poteſt, non tantum perſonarum, ſed rerum & actionum omnium Rempubl. curam gerere, eoque univerſali huic curæ univerſali ſubjectione reſpondendum eſſe. Præterea ſimplicem & indiviſibilem natu-

naturam Majeſtatis & in ſeipſa & in Regalibus ita dictis allegandam diximus, de qua actum *Cap. XVII. & XIIX.* initio. Si enim Majeſtas ſimplex & indiviſibilis, ſi jura Majeſtatis ſunt ipſiſſima Majeſtas pro Objectorum diverſitate nominibus tantum variata, jam Correlatum Majeſtatis, ſubjectionem, adeoque obedientiam ſimiliter comparatam eſſe oportebit, h. nulla exceptione limitatam, nullo caſu variatam, verbo ſimplicem. Qui exiccandi vim Solis in convenienti objecto excludit, totum Solem excludit; Excludit enim id quod ratione hujus objecti ipſam naturam Solis refert. Sic Subditus, ſi qua parte Majeſtatis Imperium ſe recuſare poſſe putat, totum ejus Imperium recuſat, & univerſum Subditi officium exuit, cum uno jure poſito ponantur, uno ſublato tollantur omnia. Quæ res in cæteris rebus moralibus eodem modo ſe habet, licet ab omnibus haut perinde annotata. Sic enim qui caſtitatem lædit ſcortator, pius dici neqvit, quoscunque actus Pietatis obtendat: Unam enim virtutem qui lædit, omnes lædit; Invidus, pius, juſtus, miſericors non eſt: Quantumcunque enim alius bonis invidet, tantundem juri detrahit, quod alteri tribuendum erat. Et Latro quascunque res juſtiſſime dividere videatur, nec juſtus dici poteſt, nec pius: Poſita enim una virtute ponuntur omnes; læſa una omnes læſæ ſunt.

III.

*Sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex Jacobus* demon-

demonſtraturus & res & perſonas univerſas abſolute ſibi ſubjacere, præter ea quæ ex Jure Regio *I. Sam. VIII.* habet, ex his vero ratiocinia ſua ſuſpendit. Firmari nempe id ipſum Legibus Regni ſui, quod tunc, cum iſta ſcriberet, ſolùm *Scotia* erat, *Theſauraria* nimir. de heredum defectu, & Spuriis. *Nam ſi Theſaurus terra effoſſus inveniatur, cum pro derelicto habeatur, nemine eam aſſervante, nec utente, ex Lege Regis eſſe intelligitur. Si quiſpiam heres agrorum bonorumque aliorum absque heredibus è vivis diſcedat, omnia ejus tam mobilia, quam immobilia ad Regem revertuntur. Si Spurius legitimatione, quæ penes ſolum Regem eſt, non impetrata, nullisq; ex ſe natis heredibus relictis moriatur, omnia ejus bona ſimiliter Regi cedunt. Quemadmodum autem*, inquit porro de Perſonis, *quod clare videtis probatum, Rex totius ditionis, ita etiam omnium qui eam incolunt, Dominus eſt, habens in ſingulos Vitæ ac Necis poteſtatem, etſi nemo juſtus Princeps vita multabit vel infimum ſuorum, niſi Lege apertiſſima: Tamen Leges, ex quibus Subditos plectit capite, ab ipſo vel ſaltem ab anteceſſoribus ipſius latæ ſunt. Poteſtas igitur ſemper ab eo eſt. Experientia etiam cottidiana teſtatur bonos & juſtos Principes novas ſubinde ferre Leges & Conſtitutiones, pœnas earum transgreſſoribus irrogantes, cum tamen committere, quod eis probibetur, antequam latæ eſſent, ſubditis crimini non fuiſſet.* At priora de Lege Theſauraria cæteriſque non ex Jure abſoluto Principis, qua Princeps eſt, ſed ambiguitate Dominii, ſeu jure,

ut ita dicamus, comparato Principis fluunt, quod nimir. ad Principem & Remp. potius, quam privatum aliquem pertineant, ac proinde Dominiũ univerſale rerum minus commode demonſtrant. Vid. *Cap. XIIX. §. IV.* Poſteriora de *Jure Vitæ ac Necis Principis* in Subditos duriuſcula ſunt: Non neſcimus tamen à Viris doctiſſimis ea paſſim doceri, eoque rem pleniori declaratione adhuc egere autumamus. Namque extra dubium eſt, Subditum ſui conſervandi, non interitus cauſa in Remp. conceſſiſſe. E. nec Reſpublica Jus interitum ei afferendi in poteſtate ſua habere dici poteſt. Neque etiam Jus puniendi ex illo Jure Vitæ ac Necis fluit, ſed ex proprio delinquentis defectu ac indignitate, eaque vel abſoluta, dum delictum natura Capitale eſt, vel Comparata, in delictis ex Lege: Quam ſi Subditus incurrit, eo ipſo & mortem tanquam conſequens ejus, incurrit; Qui enim indignus vita humana eſt, aut infra ſortem humanam ſe abjecit, non amplius homo eſt; Neque Reſpubl. aliud hac in re efficit, quam ut naturaliter talem efficiat, qualis moraliter jam eſt, h. non hominem, ſeu quem propria indignitas jam moraliter enecuerat. Sic plantam ſua ſponte marceſcentem ſi evellit Hortulanus, id non facit jure aliquo plantas ſine diſcrimine tollendi; Id enim valde inſipiens foret; Sed ideo quoniam illa emarcuit, adeoque planta eſſe deſiit, eam loco movet, ne aliis inpoſterum, quæ vera plantæ ſunt, impedimento ſit. Et ramum aridum ſuccidendi

poteſtatem non ideo habet, quia Jus habet arbores tollendi, ſed quia ramus ille non amplius ramus eſt, ideo ſubmovet illum loco ſuo, qui jam tum ob indignitatem propriam, & quia ramus eſſe deſierat, loco indignus erat. Neque tamen Jus Vitæ ac Necis ita explicatum alii competit quam Reipublicæ, cum ex eo non minus ac ex aliis pars conſervationis Reip. pendeat. Indeq; in *Anglia* natum, ut quoties pro vita aut membrorum mutilatione aliqua cauſam in judicio dicunt, *Corona Jure* tractari perhibeantur, quia alterius nomine, quam qui Coronam Regni gerit, talia fieri nullo modo poſſunt. *Smith. de Rep. Angl. Lib. II. c. IV.*

IV.

Subditos nullo modo inſurgere poſſe contra Principem probatum *Medit. Polit. §. IV.* Illuſtratum hic *Cap. XII. §. IIX.* Libri etiam Rebellionis autores pluribus recenſiti *Cap. XVII. §. XI.* *Pariſienſes* ex hoc capite, cum motus, quos Anno MDCXLVIII. excitaverant, deprecarentur, inter Reſponſa ſua reponebant: Se ideo ne Fecialem Regium quidem admiſiſſe, unice Reverentiæ, non proterviæ cauſa. *Non usq; adeo noſtri obliti ſumus,* ajunt, *ut ad Principem & Dominum noſtrum nos æquiparemus. Supremarum Poteſtatum eſt inter ſe Feciales mittere & accipere: Si nos iis inſeris aut annumeres, gloriam indebitam merito aſpernamur, ſola fide & decore obſequii contenti.*

V. Inter

V.

Inter argumenta pro motibus Subditorum ſunt. I. *Ea Lege natum eſſe unumquemq; Reip. ut pari eam Zelo ac amore ut matrem ſuam proſequatur: Quoties igitur tyrannorum improbitate laniatur, affligitur & rapitur, bonis civibus nullum non eſſe movendum lapidem, ut tanta eam peſte liberet. His ego bifariam reſpondeo*, inquit iterum Sereniſs. Angliæ Rex fol. 191. *Primo in divina Politia longe illud eſt certiſſimum, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona: nulla proinde improbitas, quanta ea eſt, eorum judicio Regem ſubjiciet, quibus judicandis ille à DEO eſt præpoſitus. Quod ſi nec privatus in privatum ſuæ injuriæ vindicandæ poteſtatem habet (hæc enim Magiſtratus propria eſt, cui ſoli datus eſt à Deo gladius) quanto minus populo aut cuiquam è populo, cum omnes privati ſint, jus gladii adverſus publicum Magiſtratum competet, cui ſoli jus gladii in eos conceſſum eſt. Secundo, Hac temeritate non levaretur afflicta Reſpublica, qui unicus illius ſupereſt audaciæ color, ſed gemina potius ruina & vaſtitate obrueretur, adeoque ex inconſulta rebellione contrarium plane eveniet. Nec enim ullus Rex tam immitis, aut ferus fingi poteſt, quin per illum melius ſit Reipublicæ, quam per illius cædem. Primo enim omnis ſubita mutatio in Republica periculoſa eſt, quæ hominibus ſordidis & nudis novarum magnarumq; rerum ſpem facit, ut alienis ſe veſtiant plumis. Soluta enim Reipubl. compage ad omne genus inſolentiæ, in quod ſpe impunitatis ferri poteſt popularis impetus, habenæ*



Digitized by Google

*laxantur. Deinde vero fieri non poteſt, quemquam Regem ita eſſe prodigioſe improbum, ut non publice juſtitiam amet, & in officio homines aliquatenus contineat, ubi ad eum privatim aut ejus affectus, quibus præceps rapitur, nihil ea res attinet. At ubi nullus Rex eſt, ibi nihil eſt nefas. Et longe veriſſimum illud eſt, quod à veteribus* Philoſophis *dictum accepimus, ſatius eſſe in ea Republ. vivere, ubi nihil licet, quam ubi omnia. Quæ rerum facies indomito Equo qui ſeſſorem excuſſit abſimilis non eſt, nam ut Bartaſſius ait, præſtare in Rep. quosdam navos & maculas ferre, quam per cauſam reformationis omnia deformare.* Inſt. II. *Graviſſima mala incumbere Reip. ex tyrannica dominatione, ideoque nihil eſſe DEO acceptius, aut afflictæ Reip. gratius, quam ejusmodi peſte terram abſolvere, & in libertatem tantopere omnibus animantibus expetitam homines aſſerere.* Reſpondet Angliæ Rex pag. 192. *ſe non infitiari, malum Regem DEI flagellum eſſe, quo hominum vindicentur peccata: Licere tamen ideo unicuique cum viſum fuerit eam pœnam excutere, id ſe negare. Quis enim neget Regem Babyloniorum Populo Iſraëlitico, ut in captivitatis vaticinio minatus fuerat DEUS, graviſſimam fuiſſe & duriſſimam peſtem? Quis neſciat talem Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe Neronem? At Jeremias & Paulus his parendum, proque eorum incolumitate preces & vota facienda eſſe cenſuerunt.* Patientia *igitur, pergit idem, & prece & emendatione vitæ agendum eſt cum DEO, ut ipſe ſua manu peſtem hanc è populo dignetur ſubmovere.*

Inſt.

Inſt. III. *Ejusmodi Subditorum facinora videri DEO placuiſſe, dum dexter aliquis ſucceſſus ea ſecutus fuit.* Reſpondet iterum Jacobus Rex f 192. *Verum illud quidem eſſe, bellorum & humanarum rerum omnium eventus penes DEUM eſſe, quam ob cauſam ipſe ſe S. Literis DEUM exercituum indigitet. At ſi inde colligas, meliori cauſæ ſemper indulgeri à DEO victoriam, pariter efficies Philiſtæas aliasque Gentes Iſraëlitis vicinas, cum in acie ſæpe vicerint, meliorem quoque habuiſſe cauſam, & Philiſtæorum adverſus DEI arcam, quam prælii victores ſecum avexerunt, & diu captivam ſua in regione detinuerunt, juſtam fuiſſe cauſam.* IV. Inter ea quæ maximi ponderis ſunt objectiones videtur collocanda eſſe, *quæ mutuo Regis & Subditorum pacto ac ſtipulatione innititur.* Nam tempore *Coronationis pactum inter eos iniri, & jurisjurandi religione inter eos confirmari contendunt: unde ſequitur Rege ſuam partem violente non amplius populum obligari ad ſuam, ſed è veſtigio jurejurando exſolvi. Nam uno contrahentium recedente à pacto alterum etiam Jure Gentium abſolvi.* Reſpondet Sereniſs. Jacobus (1.) *ſe negare tempore Coronationis inter Regem & Subditos pactum iniri, cui præſertim tam ſevera clauſula annexa ſit. Sed tale pactum omnino eſſe, cauſæ Rerump. ipſiusve Societatis evidenter indicant.* Vid. *Cap. II. §. II. & Cap. IV. §. III.* (2.) Reſpondet *ſe concedere pactum intervenire, quo nullum ſanctius firmiusve cogitari poſſit, quis tamen,* inquit, *ſi Rex conventis non ſteterit, erit læſæ fidei arbiter, quis Ju-*

*dex inter partes? Nemo Jus Civile primoribus labris deguſtavit, qui neſciat, non cenſeri ab uno contrahentium violari contractum aut alterum prius contractu abſolvi, quam legitima ordinarii Judicis cognitione liquido conſtiterit, uter horum prior à contractu diſceſſerit, ea enim eſt cujuscunque Juris Civilis & municipalis cautio. Alias nihil impediet, quo minus in ſua quisque cauſa & Judex & pars ſit, quo nihil abſurdius cogitari poſſet. Jam in hoc Regis & Populi contractu ſolus DEUS, cui uni Rex tenetur adminiſtrationis ſuæ rationem reddere, ſine controverſia eſt Judex, quia in juramento illo inaugurali DEO ſoli defertur & judicium & vindicta perfidiæ; & certe coram eo ut omnis juramenti arbitro ſolum jurandum eſt. Cum igitur DEUS ſolus inter partes contrahentes præſidiæ Quæſtor ſit, eique ſoli & cognitio competat & ultio, neceſſario efficitur adverſus Regem pronunciandam prius eſſe à DEO ſententiam, qua populus cenſeatur ſuo ſacramento ſolutus. Hinc concludo, injuſte partem alteram contrahentium judicem ſe ſua in cauſa facere, & divinum officium uſurpare.* Univerſum diſcurſum ſuum denique Rex ita finit: *Neque hæc pro Regibus ideo aſſerui, quod omnia ſcelera, omnia flagitia iis velim eſſe impunita, quaſi eorum gratia factus eſſet orbis terrarum, eorumque libidini permiſſus, ut omnia pro arbitrio agant ferantque: Sed contra,* dum DEO, *cui ſoli ut Judici Ordinario ſubſunt, eos in ſupplicium dedo, aſperrimæ omnium & plagoſiſſimæ ferulæ eos ſubjicio. Nam quanto cæteros mortales loco, honore*

*&*

*& poteſtate ſupereminent Reges, tanto majore obſequio Creatori ſuo devincti ſunt, tantoque majoribus pœnis, ſi ſui olim immemores evaſerint, exercebuntur. Nimirum ad dignitatis menſuram creſcit eorum adverſus DEUM ingratitudo, & quoniam in editiori loco poſiti ſunt, graviore affligentur caſu: Quo enim aliquis DEO beneficiis devinctior eſt, eo ejus offenſa jure enormior videtur.*

## VI.

Memorabilis caſus, quem *Verulamius in Vita* Salomonis Anglorum, *Henrici VII.* ſuppeditat, efficit, ut eidem recenſendo lineas aliquot impendamus. Cõcernebat ille Stanlejum, Henrico Regi alias chariſſimum, quippe quem ille in conflictu cum Richardo III. cædi jam ei imminenti eripuerat. Quæſtio erat, an Formula Rebellionis ſeu Proditionis à conditione ſuſpenſæ Subditum violatæ Subjectionis reum peragere poſſet? Dixerat enim *Stanlejus*, cum negocium perſonati *Richardi IV.* ſeu *Sinnelli* contra Henricum agitaretur: *Se ſi exploratum ſibi eſſet, Adoleſcentem illum verum fuiſſe Eduardi IV. Filium, nunquam contra eum arma ſumpturum fuiſſe.* Sed Judices cenſuerunt, periculoſam admodum rem futuram, ſi conditionalia admitterentur ad verba proditoria qualificanda; *Fore enim ut cuivis liceret, malitiam ſuam proferre, periculum vero amoliri.* Noluerunt itaque Proditionibus cum clauſula con-

ditionali patrocinari, & Stanlejum licet nihil abſolute locutum condemnarunt. Quod ſi cum vulgari Axiomate Logico comparetur: *Conditionalis nihil ponit*: Diceres, Logice quidem conditionem nihil ponere, at Politice Conditionalem æqvipollere Affirmativæ. Attribuit enim ſi non aliud, certe capacitatem ejus rei Principi, quæ conditioni incluſa eſt. At de Principis jure Subdito dubitare non licet. Unde & *Cardin. Tuſchi* iſtud aſſumimus *T. II. Concl. 593. num. 37.* Eum qui tractat ſeditionem ſub conditione, extra ordinem puniendum eſſe; Sed ſeditioſum dici poſſe idem negat, quia Conditio nihil ponat ineſſe: Cujus contrarium in ratione modo data claret. Imo ne privatum Virum bonum quidem conditionaliter injuria gavari poſſe opinamur: Ut, ſi ſceleratus ſis, iſtud neutiquam feres: Vir bonus enim non tantum non eſſe, ſed ne capax quidem ſceleris eſſe præſumendus eſt. Ejuſdemque generis exemplum eſt, ſi Subditus alteri ſeu joco, ſeu incerto rumore perſvaſerit Principem vulneratum aut mortuum eſſe. Mendacium enim eſt, quotiescunque aſſertio ejus, quod non eſt, cum læſione conjuncta eſt: Idemque eo gravius eſt, quo gravior eſt læſio. At nulla gravior vulnere publico, cum nullum ſit, quin motibus ciendis idem aptum ſit. Itaque non tam commemorandum, quam ei indolendum eſt. Is autem qui ex incerto rumore id captat, eo potius oblectari, quam affici videtur, adeoque frugi Subditi munus neuti-

neutiquam explet. Inſt. *Animum non habuiſſe incommodi aliquid eo nomine publico inferendi.* Reſp. At Subditi eſt noſſe, ea publico noxæ eſſe poſſe. Abſtinere igitur debuiſſet.

## VII.

*Homagium* eſt veluti propria Confeſſio Subditi, ſe poteſtatem Reip. aut Principis ſuſcepiſſe, perinde ac in eo, qui confitetur ſe teneri pro aliquo. Vid. *Knichen de Jur. Territ. c. III. num. 260.* Neque Obligationem producit, ſed eandem, quæ in Subdito jam ante erat, declarat æqve ac Confeſſio etiam non rem quam confitemur primo efficit, ſed factam tantùm confirmat. Quod ſuum fecit *Argentoratenſis* Reſpublica, cum præſtationem Homagii ab Invictiſſimo Imper. *Leopoldo* ſibi remitti peteret, Literis d. XVII. Sept. Anno MDCLX. datis: Iſt nicht umb unſer allerunterthänigſten Gehorſam/ſtandhafftige Fidelität und eifrigſte Treu gegen E. Röm. Käiſ. Majeſt. unſerm Allergnädigſten Käiſer und Herrn / und dem H. Reich; Sondern umb die bloſſe Leiſtung des Homagial Eides / deſſen remiſſion, neben unſerer offenbahren Verbündligkeit ſalva Obedientiæ, Subjectionis & Fidelitatis ſubſtantia, cum Juramentum obligationem non extenſive, ſed intenſive ſaltem augeat, ſich wol cõportiren und vertragen kan/ zu thun / weil die Homagial Obligation nicht in Juramento, ſondern in der recognition der Subditorum gegen ihrer ordentlichen Obrigkeit hauptſächlich beruhet. Hinc nec præ-



Digitized by Google

ſcriptioni in Homagio locus eſt, cùm fundamentum ſubjectionis perpetuo ſalvum ſit: Quam rationem itidem Reſp. Argentoratenſis emenſa eſt in negocio antedicto: Daß weil in der Obern / nicht aber der Subditorum und Unteren Willen / Belieben und Gefallen den Huldigungs-Eid entweder zu befördern / oder aber / wann ſie davon durch den obliegenden überſchweren Regiments-Laſt / des Orts ferne Diſtantz und Entlegenheit / od er auch andere dergleichen impedimenta davon abgehalten würden / auff eine geringe oder auch gar lange und vieljährige geraume Zeit zu ſuſpendiren und einzuſtellen / ſolche Intermiſſio und Unterlaſſung / utpote in re meræ facultatis, unerachtet auch gar Tempus immemoriale mit unterlauffen / und die Homagial-Pflichte über Menſchen Gedächtnüß nicht geleiſtet worden wäre / nach der Rechtsgelährten Meinung neque conſvetudinem, neque præſcriptionẽ einführt / oder den Unterthanen ein ſolches Recht / Exemption und Freyheit giebet und beyleget / daß ſie ſich in futurum und auch für künfftige zutragende Fälle unter dergleiche Vorwand / von dem Homagio außhalfftern / abſtreiffen oder loßwircken können: So viel deſtoweniger / daß die præſcriptio der Obedientz / mit welcher die Unterthanen ihrer Obrigkeit nexu indiſſolubili verknüpffet / dem Juri Publico Superioritatis diametraliter zuwider ſcheinet / und einfolgiq unter einem Colore oder Schein Rechtens beſtehen noch behauptet werden kan.

IIX.

Inter Subjectionis Signa externa reponendus eſt

eſt ille ritus *Ruſſorum*, quo *Sale* & *Pane* allato Civitates teſtantur ſubjectionem ſuam Principi adventanti. Exempla videantur paſſim ap. Petræum aliosve Scriptores Rerum *Ruſſicarum*. Cauſa ex eo videtur petenda eſſe, qvod Sal & Panis communiſſima vitæ alimenta ſint, atque adeo dum communiſſima hæc alimenta offeruntur, ſe totam vitam offerre Principi ſuo teſtentur. Apud Orientales mos Aquam & Terram poſcendi jam ab antiquisſimis temporibus obſervatus fuit, quaſi communiſſima vitæ ſuſtentacula ita præberentur: Veluti in Hiſtoria Rerum Perſicarum ſæpe leguntur Legati in Græciam miſſi eſſe, qui aqvam & terram poſcerent. Vid. *Herodotum, Juſtinum*, & alios. Adorandi ritus quoque crebra in Sacris fit mentio: Procubuiſſe ſubditos coram Rege & adoraſſe: Qui ritus, ne religioſum fuiſſe putemus, conſtitit in inclinato verſus terram capite, teſtantibus ita ſubditis, ſe totos ſuaque Principibus ſubjacere. Vid. Itineraria paſſim. Summum Subjectionis ſignum incolæ Regni *Congo* leguntur edidiſſe antehac, vel edere hodienum coram Principibus, dum Cineribus capiti inſperſis ipſis adrepunt. Vid. *LeBlank. Itin. P. II. c. I.*

## IX.

*Perſonas Sacras* comprehendi Imperio hoc ex aſſertione Imperii Majeſtatrs circa Sacra patet. Cur pars earum vel tota Republ. vel Conſiliis Rei-

publ.

bubl. exeſſe ſæpe juſta ſit, ex conſiliis ipſarum cum Aula Romana pendere opinantur. Allegavitq; hanc rationem Glorioſiſſ. *Angliæ Regina Elizabetha* Edicti ſui contra Jeſuitas & Sacerdotes Seculares An. MDCII. d. XV. Novemb. *Sacerdotes Seculares pleroſque omnes Novæ Subordinationi à Pontifice ſibi imperatæ ſeſe penitus addixiſſe, ſeq; totos Conſiliis Jeſuitarum, qui homines Regis Hiſpaniæ partibus ſemper devotiſſimi à ſubjectione ſua prorſus abhorruerint, regendos tradidiſſe.* Et Parliamentum *Pariſienſe* in deliberatione de reſtitutione *Mazarini Archi-Epiſcopo Eborodunenſi* cauſam Cleri urgenti reſpondit: *Pontificem M. nihil aliud per Canoniſtas ſuos & alios Emiſſarios cogitare, quam omnimodam depreſſionem ſecularis Juriſdictionis. Hæc ſatis notata à præſtantiſſimis Viris non poſſe ſatis inculcari, ut fremetur immoderatus progreſſus, quo agnoſcente autoritas Presbyterorum & S. Miniſtrorum evaſura eſſet rerum Domina, & Poteſtas Secularis famulatura, quod probroſum.* Et cum *Jondius* intercederet: *Non poſſe per bipartitam fidem Regi ac Romano Pontifici parere*, dixerunt. *Non poteſt ſatis laudari Senatus Pariſienſis*, ſubdit Priolus, *qui contra Eccleſiaſticas alluviones audacter ſemper inſurgit ac reprimit, ne ultra laxentur Phylacteres. Gallis Senatoribus & Venetis exceptis reliquus orbis imperitus variæ ſuperſtitioni ſuccumbit.* Hiſt. Lib. VI. c. XI.

## X.

*Civis* eſt, qui jure deliberandi in rebus ad

Statum

Digitized by Google

Statum publicum pertinentibus pollet. Brevius, *qui Jus ſuffragandi habet. Suffragium, Votum* perinde ſunt. Uſus ſuffragiorum geminus, quem exprimunt Politici nominibus Suffragii ſeu Voti *Conſultativi & Deciſivi.* Votum Conſultativum in deliberatione acqvieſcit; Votum Deciſivum deliberationi factæ capacitatem effectus ſecuturi addit, h. ut qvod Cives propoſuerant in effectum deduci & Sanctionis Pragmaticæ nomen obtinere qveat. Vulgo confuſius hæc tractantur, occaſione ex Ariſtotele minus conſiderato natâ. *Ariſtoteles III.* de Rep. c. I. Civem vocat, *qui judicatur Magiſtratus particeps.* Id de Summo Magiſtratu intelligunt: Unde Cives multos quidem in Statu Democratico agnoſcunt, cum plerique ibi Summum Magiſtratum h. Majeſtatem repræſentent; At in Statu Ariſtocratico pauciores; In Monarchico non niſi unum, Regem, cum ſolus ille Summi Magiſtratus capax ſit. Sed R. Loqvendi hunc modum à conſvetudine omnium gentiũ alienum eſſe, cum nusqvam Civis nomen ita uſurpetur. II. Nec verum eſſe, Regem ſolum in Statu Monarchico eſſe Civem, alias Rex, Reſpublica, Civis forent unum idemque. Rex enim non differt à Rep. eidemqve æqvalis eſt; Jam vero ſi ſolus Rex Civis eſt, Civis etiam erit Reſpublica, & conſeqventer nova moleſtia nos involvit, ut alia nomina diſtinguendis Subditis Puris & Eminentibus, qviqve Jus deliberandi habeant, excogitemus; Et tamen contra *Ariſtotelem* eſt, qvi

Civi-

Civitatem Civium multitudinem dicit eodem loco; Jamqve ſi ſolus Rex Civis eſt, ille nec Remp. habebit, unus enim eſt non multiplex. III. Ariſtoteles videtur minus expenſus eſſe, qvi eodem loco ipſe addit: Civis hanc deſcriptionem egere correctione: Qvod dum agnoſcimus, ab illo, quæ paulo poſt ſubjicit aſſumimus, Civem eſſe, qvi capax ſit ſeu particeps eſſe poſſit Magiſtratus ad cōſultandum & judicandū pertinentis. Qvod intelligendum I. Non de actuali participatione, ſed de aptitudine, docentibus in Græcis verbis clariſſime. II. De Magiſtratu non Summo, ſed etiam Subordinato; Magiſtratus nomen enim utriqve commune eſt. III. De conſultando & judicando ſeu decidendo non conjunctim, ſed disjunctive, h. ut ſolarum conſultationum ſeu Voti conſultativi, vel Suffragii deciſivi etiam capax habeatur: Qvi loqvendi modus, ea, qvæ copulatim apparent, disjunctim intelligendi, omnibus Lingvis uſitatus, Ariſtoteli autem frequentiſſimus eſt. IV. Non de effectu Conſultationum, h. Deciſione, ſed de capacitate tantum & ſuffragio; E qvibus palam eſt Jus decidendi à ſuffragio deciſivo qvam longe diſtare, quæ qvi confundunt reſponſum ulterius non merentur.

XI.

In ipſo actu deliberandi ſingulariter conſideranda *Suffragiorum pluralitas*, in eademqve crebra Votorum diſcrepantia: Quam fragilitas humana parit, ut dum raro eandem rem æqve penetramus,

tramus, in partes eamus. Remedium diſſenſui huic tamen in vita Sociali inventum eſt, ut pars aliqua ſuffragando prævaleat, ne infinitis diſſenſionibus diſtrahamur: Communiterque receptum eſt, ut ſtare ament votorum pluralitate, h. ut illa ſententia prævaleat, quam plures è corpore approbent. Hujus ratio una nota eſt: Plus videre oculos, quam oculum; Alteram *Religioſi JCti* allegare amant non minoris roboris: Quod veriſimile ſit, Conſilia omnia Divinitus regi, eoq; animos conſulentium à DEO ad numerum iſtum unita eſſe. Si *paritas votorum ſit, major dubitandi ratio eſt.* R. Prævalere illam ſententiam, cui Præſes accedit. Ratio I. propter Dignitatem Officii. II. Quod præſumatur in judicando magis expertus eſſe. Si diſtincta ſint corpora eoq; Præſide deſtituta, tertius expectandus eſt vel ſuperior, vel utrinque lectus Arbiter. In *Portugallia* illa prævalet ſententia, pro qua ultimus Senator, idemq; Senior deponit. Si duo ſunt corpora, quorum alterum altero plura membra habet, nihilominus permanet votorum paritas. Non conſiderantur enim corpora ratione partium, ſed ſimpliciter, tanquam in unam formam unita. Si diſſidentes in tres partes iverint, ut una quinqve, altera tria, tertia qvatuor vota habeat, non autumamus pluralitatem à qvinario numero allegari poſſe, qvia major pars disſenſit ab eo, qvod illi ſtatuerunt. In *Objecta* Suffragiorum ſolum illa habentur, qvæ communionem attinent: Unde de for-

tuna

tuna ſingulorum haut facile decerni poteſt, cum extra actus communis poſita ſit. Et Religionis negocium in ſpecie in *Germania* noſtra ab Inſtrumento Pacis exceptum fuit, neqvem locum in eo inveniat Votorum pluralitas: Cujus ratio haut dubie, qvod actus Conſcientiæ itidem ſingulorum ſint, non Communionis. De modo ſuffragandi ſingulare eſt, in *Anglia, Hiſpania, Portugallia* alibive Juniores primo ſuffragari, cujus rationem allegat *Vaſcus di Gamma in Deciſ. Luſitanicis*: Ne minores formident recedere à ſententia majorum. Alibi Seniores primo vota ferunt; Et rationem reddit Theſaurus ex Hieronymo: Bos antiqvus enim firmius figit pedem: Vid plur. *Ant. Theſaur. Dec. Senat. Pedimont. Deciſ. I. tota.*

## XII.

*Peregrinorum* admiſſionem expedire Reip. in *Medit. Polit.* demonſtratum. Eſſe tamen Reſpp. qvæ eos prorſus arceant Coreanorum exemplo conſtat, à quibus cum Belgæ naufragium paſſi ſe diſceſſuros ſperarent, reſponſum accepêre: Der König lieſſe niemahls einige Frembdlinge aus ſeinem Reiche wegziehen / ſie muſten ihnen keine andere Gedancken machen / als auf Korea zu ſterben. Hierauff bekam ein jeder Holländer ein Brätlein / darin des Königs Wapen gebrannt / und eines jeden Namen / Vaterland und Dienſt / darzu er beſtellet worden / eingeſchnitten / ꝛc. Vid. Geſanſchafften nach *Jappan. p. 421.*

& ſeqq. ubi autor plura ejusmodi exempla congeſſit. Idem qvoque de hodiernis Africanis inprimis Numidiæ veteris, ſeu hodiernæ Bildugerit, perhibet Scriptor Anglicus Relatione de Tafiletta: Sie verſtatten auch keinem Außländer / daß er in ihr Land reiſe / in dem ſie ſich ſchämen / daß ihre elende Condition offenbar werden möchte bey Leuten / die in Wolluſt und Uberfluß aufferzogen / oder aber weil ſie ſich beſorgen und jalous werden / daß die Stärcke ihrer Lande / ſo meiſt in der Situation beruhet / denen Frembdlingen offenbar werden / uñ die ſich mit der Zeit bedienen möchten der Kundſchafft / die ſie allda erlanget zum Schaden der Einwohner. Et inter veteres Spartanorum Legislator *Lycurgus* nulla re facilius abrogari poſſe Leges ſuas ratus, quam peregrinorum adventu, omnia in Rep. eo direxit, ne Civibus ſuis occaſſio eſſet cum exteris converſandi aut negociandi: Ob quas cauſas & matrimonium cum exteris contrahi prohibuit; Et ne occaſio exteris mercatoribus daretur merces ſuas eo comportandi mandavit, ut moneta ex corio uterentur. Sed ipſa hæc ratio erat, cur *Spartanorum* potentia minus firma eſſe potuerit, quia ob excluſos quoque modo Peregrinos Civium numerus magnopere augeri haut poterat. Cum enim res Humanæ, quæcunque aliquid artificii continent, naturam imitari debeant, nec fieri poſſit, ut planta tenuis ponderoſos magnosve ramos ſuſtineat, nequaquam exiſtimare debemus, Rempubl. exiguo civium numero conſtantem, poſſe occupare,



Digitized by Google

aut ſiquando occupavit, conſervare urbes majores & freqventiores, quàm ipſa ſit. Nam ſi quando tale quiddam ei contigerit, ex levi aliqvo motu rurſus omnia perdet, perinde ut tenuis planta, ponderoſos ramos habens, ex levi vento confringitur. Quamobrem Spartani, etſi Græciæ totius Imperium occupâſſent, inepti tamen fuerunt ad id conſervandum, & deficientibus Thebis, reliquæ civitates ſimul omnes defecerunt, amiſſoque univerſo Imperio, perinde affecti erant, ut planta ſine ramis. *Machiav. Diſc. de Rep. L. II. c. III.*

## XIII.

In Admiſſione eorundem ad jura Reip. inprimis conſiderandum Supremum Jus ſeu Dignitas Regia: De qva non abs re prudentiſs. Cominæus: *Vix ulla Natio eſt, quæ ferat Imperium Peregrinum; Galli certe non ferrent, & ubicunque populus eſt aliqua mediocri potentia, videmus eum fere ab Indigenis gubernari.* Rationem mox ſubjicit: *Nam etiamſi* Princeps *aliquis externus bene rem gerat, & commode gubernet, tamen quia moribus & genio differt, nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiam, ac ſi eſſet indigena, facile oriuntur diſſenſionum occaſiones, itaq; fit, ut ille quo Principatum ad ſe delatum, ſuasq; fortunas tueatur, aliunde milites & copias adducat, eorumque ſe præſidiis muniat, qui beneficiis deinde ſingulariter ab eo & honoribus aucti magnam multitudinis invidiam & odium*

*odium in ſe concitant*. Et *Gallorum* in ſpecie meminit; Ipſa Lex *Salica* eorum hoc fine videtur condita eſſe. Sic ratiocinabantur *Lugdunenſes*, cum ad *Henricum IV.* tranſiiſſent: Se vidiſſe cauſam *Infantis Hiſpaniarum*, quam ad Coronam promovere nonnulli ſtudebant, acriter urgeri, etiam in conſilio Ducis *Manii*, conventuque Pariſienſi penè determinatam fuiſſe: Licet id *ipſum* antiquiſſimæ Legi *Salicæ* ſub *Clodovæo* latæ, & poſtea diverſis temporibus, ut ſub *Philippo Valeſio* approbatæ refragetur: Cujus legis ferendæ hanc cauſam fuiſſe, *ne ſi ad Regnum aſſumatur fœmina, per maritum illius corona ad exteros devolvatur.* Quæ recitat ex Scripto quodam *Anton. Verderij Mercurius Gallo-Belgicus Janſonii L. VIII. ad An. MDXCIV. p. 159.* Legem Imperii noſtri de Germano in Imperatorem eligendo ex eadem ratione jam tempore Electionis *Caroli V.* derivavit *Trevirenſis* Elector: *Ne ſi quis eligeretur Externus & qui domicilium non habeet in Germania fixum, Imperii decus hoc ſenſim ad alienigenas transferretur. Sleidan. Comm. de St. Relig. L. I.* In *Portugallia* usqve à Comitiis *Lameci* A. MCXLI. habitis omnium ordinum conſenſu decretum fuit, quod licet deficiente maſculo deberet in ſceptrum fœmina evocari, hæc tamen, ſi extra Regni fines nuptum abiret, nullum jus ſecum ad Coronam Patriam aſportaret; *Ne unquam illius clavum teneret, qui Portugallenſis non eſſet.* Ex quo capite etiam in celebri illo negotio Succeſſionis Portugallicæ

rati ſunt, *Philippum II.* jure *Iſabellæ Infantæ Portugallicæ* nihil prætendere potuiſſe; *Iſabellam* enim non *Portugallo*, ſed *Hiſpano* eoque extero nupſiſſe, *ſicque* jure ſuo in Regnum excidiſſe. Vid. *Autorem Luſit. Vindic. pag. 12. & ſeqq.* Dn. & in Regno *Iſraelitico* diſerta illa Lex erat: *E medio fratrum tuorum ſtatuito ſuper Te Regem, non poteris tibi præficere Virum Extraneum, qui non Frater tuus ſit. Deutr. XVII. 15.* Cujus ratio ſpecialis ibi: Quia ab alienigena metus futurus fuiſſet introducendæ Idololatriæ, quæ erat contra LL. Fundamentales iſtius Reipublicæ.

XIII.

De *Officiis in Republ.* non minorem rigorem alicubi Gentium videre eſt. *Polonorum Reges* cum alias Officia libere diſtribuant, non poſſunt peregrinis aliquot conferre. Id quod multis Comitiis comprobatum exhibet *Marin. de Scop. Reip. Pol. c. VI.* In *Gallia Parliamentum Pariſienſe* inter monita, quæ An. MDCXV. Regi obtulit, repoſuit, ne eminentiora officia Peregrinis committerentur; utpote ab affectu naturali erga Galliam vacuis. Vid. *Mercur. Franc. T. IV. p. 47.* De *Anglicis* rebus eſt Jacobi Regis conſilium ad Filium *L. II. Inſt. Reg.* Ne quos advenas aut peregrinos ſummis Reip. muneribus præponat, ſed cujuscunque Provinciæ proprios Inquilinos ſibi Conſiliarios aſſumat. Et de *Germania* noſtra in hodier-

Digitized by Google

diernis Comitiis aliquando à graviſſimo *Legato prudentiſſime* monitum fuit: Daß zu den Hof-Aemptern Teutſche genommen würden/ erfordere (1.) Ipſius Nationis Germanicæ Honor. (2.) Fides. (3.) Scientia; dargegen es bey den Frembden offt ermangele/ daß ſie weder umb die Geſetze / noch umb die Rechte der R. Fürſten wüſten. So wäre auch offt ein odium Nationis, und darauß erfolgen Unterdrückungen. Sonſten wäre auch allbereit in der Hoff-Ordnung des Ferdinandi II. geſetzet / daß Teutſche zu den Reichs-Hoff-Aemptern gebraucht werden ſollen / und in der Cammergerichts-Ordnung und andern R. Abſchieden würde dergleichen offte gedacht. Sicque cum veteribus Judiciis Germanicis quoque comparatum tum fuiſſe docet *Lehman. Chron. Spirenſ. Lib. II. cap. 22.* Sed de his jam alibi pluribus actum eſt. Neque usqvam ita excluſi ſunt, quin cauſæ ſuperſint, quibus admitti qveant, non tamen aliter quam Naturaliſationis beneficio, h. ut tales Reſp. efficiat, quales natura non erant, nec amplius pro Peregrinis habeantur, ſed æquiparentur Indigenis. Quanquam ne ſic quidem omnibus ubique juribus æqve participent; In *Anglia* enim nulli *Naturaliſati*, ſed ſoli nati Indigenæ, jus habent ſuperiora Officia Sacra Epiſcopalia & Archi-Epiſcopalia capeſſendi, licet Decanatus, Archi-Diaconatus ſimplicesque functiones inferiores non denegentur. Ideo & celebris Archi-Epiſcopus *Spalatenſis*, tunc Decanus *Windſorenſis*, *Marcus Antonius de Dominis*, petiti Archi-Epiſcopatus



Digitized by Google

*Eboracenſis* repulſam tulit. Ordinibus cauſantibus Conſtitutionibus Regni nihil derogari poſſe, & Regem ne Scotos quidem, proprios Conterraneos ſuos, ad ejusmodi ſublimia Officia evehere poſſe: Quam & cauſam fuiſſe putant ſuſcepti ejus à Reformatis ad Catholicos reditus. Et apud *Hebræos* Lege cautum erat, ne quis *Proſelytus*, niſi poſt Naturaliſationem prolem ſuſcepiſſet, alium heredem haberet, quam Remp. vel etiam primum occupantem: Cujus ratio tamen non ex jure *Albinagii* pependit, ſed inde, quod per acceſſionem ad Remp. Iſraeliticam priſtinam omnimodæ cognationis rationem deleri, nec illos conſangvineos ſive in ſucceſſionis ſive in connubiorum negocio habere cenſeretur, præter poſteros, qui initiamenta iſta ejus ſequerentur. Vid. *Seld. de Succeſſ. in Bon. c. XXVI.* Nim. *Proſelyti* Advenæ apud Iſraelitas erant, à προσέρχεσθαι, *Advenire*, hoc tamen cum diſcrimine, ut alii eſſent *Proſelyti Juſtitiæ*, qui in Judaiſmum fuerant transgreſſi; Alii *Proſelyti Domicilii*, quos & Sacra alias *Peregrinos in Portis* vocant, erantq; qui ſuſcepta in ſe ſeptem *Noachicorum* Præceptorum, i. univerſæ Humanitatis, non Judaiſmi obſervatione ad domicilium admittebantur: Nam ſine hujusmodi obſervationis profeſſione verum eſt, quod *Tacitus* odioſe quidem, ſed ex ignorantia morum gentis ſcribit, Iſraelitas ex diſciplina ac Religione cum peregrinis non communicaſſe. *Adverſus omnes alios hoſtile odium. Separati epulis, diſcreti cubilibus,*

*proje-*

Digitized by Google

*projectiſſima ad libidinem gens alienarum concubitu abſtinet.* Hiſt. L. V.

# CAPUT XX.

## *De* TRIBUTIS.

*I. Tributorum ſolvendorum ratio. II. Exceſſus eorundem ſpecimina: III. Diſcrimen Tributorum à Donativis Annuis: Pacta Imperatorum noſtrorum cum Porta Ottomanica: Imperatoris Turcici Donativa ad Regem Abysſinorum: Donativa Polonorum Tartaris aliquando miſſa: Denarius Petri apud Anglos: IV. Exempla Tributorum rebus exiguis alligatorum: V. Cur Perſonas Publicas Tributis eximi oporteat? VI. Tributa à mortis pendi ſolita.*

### I.

ORdinis ratio *Tributa* ſubjungi poſtulat. Dantur enim in recognitionem Subjectionis & ſublevationis onerum Reipublicæ: *Onera Imperii pleraq; vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi, ita ſingulorum injuriis coëgerunt.* Plin. *Paneg. Traj. c. XXVII.* Et Subjectionis antiqviſſimum ſignum ipſe Deus conſtituit initio Reipubl. Iſraëtiticæ Deut. XX. *Si*

 *acceſ-*

Digitized by Google

*acceſſeris ad Civitatem expugnandam, offeres ei primo pacem: Si receperit & aperuerit Tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſalvabitur, & ſerviet Tibi ſub Tributo:* Eaque Lege victi Cananæi facti fuerunt Tributarii Iſraelitico populo. Et *Salomon* fecit tributarios eos, qui remanſerant ſuperſtites à gladio Iſraelis, 1. Reg. IX. *Tholoſan. Synt. Jur. Un. Lib. III. c. III. num. 2.* Quod ipſe Servator reſpexit ſapientiſſima illa ſententia: *Reddite Deo quæ Dei ſunt, & Cæſari quæ ſunt Cæſaris.* Accedit alia ratio, grati animi erga Remp. conteſtatio: Resp. enim omnibus proſpicit ab omnibus, e. beneficii præmia accipere debet. Nemo tenetur militare ſuis ſumptibus: Secundum naturam quoq; eſt, ut qui ſentit onus ſentiat & commodum; Et quod quis pro conſervatione rerum alienarum expendit, æqvum eſt rependi. Iterum *Tholoſan. l. c.* Accedit eoſdem ſumptus Subdito erogandos fuiſſe, ſi non longe majores pro privata ſui defenſione. Igitur non dubitabit etiam Reipubl. ipſius cauſa vigilanti eosdem præſtare: Quo ſpectat Politicorum monitum, *multos dum tributi fumum fugerint, in ſervitutis ignem ſe præcipitaſſe apud* Joh. Matthiæ *de Contrib. c. I. n. 35.*

## II.

At cauſis hiſce fere continetur quicquid licitæ exactionis nomen habet. Alias ſæpe & inprimis Tributis gravioribus obtendi notum eſt; certe tot-

te totidem, quot rerum gerendarum prætextus eſſe poſſunt. *Clotarius III.* Rex *Galliæ* à Scriptoribus Gentis ſuæ fertur ideo exhauſiſſe *ſubditos* ſuos, ne animum extollerent ob pinguis ſoli ſui ubertatem. Et *Matthias Hungariæ* Rex Clericos ſuos Tributis fatigavit, ne criſtas, quas præ ſe ferebant, nimium erigerent apud *Bonfin. Dec. IV. L. III.* Prorſus ſingulare exemplum eſt *Emanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ*, qui poſtremis vitæ ſuæ annis *Subditos ideo* graviſſime oneraſſe legitur, ut Filium *Carolum Emanuelem* Tributa iſta remiſſurum tanto impenſius amarent. *Franc. Barbar. Relat. de Sabaud.* Sed motuum inde natorum non minor copia. In Sacris exemplum Iſraelitarum conſtat, qui ideo defecerunt à Salomonis filio quia graviorem parente ſuo in ipſis futurum minatus fuerat. In *Hiſpania Carolus V.* cum An. MDXX. Imperium Germanicum capeſſitum iret & eapropter immodica Tributa ſuis impoſuiſſet, graves motus ſuorum expertus fuit, quos ſola *Emanuelis* Regis *Portugalliæ* æqvanimitas compeſcuit. Recuſabat enim oblatum à Rebellibus Imperium cauſatus, ſe nullum unquam Regni additamentum fide & officio antiquius habiturum. *Joſ. Texeria de reb. geſt. Reg. Portugall.* Motus *Belgici* præcedenti ſeculo eapropter moti, motus idem *Neapolitani* à *Maſſaniello* eandem ob cauſam excitati omnium animis obverſantur. Cur raro obſerventur Principes immodicis exactionibus ejuſmodi dediti conſtantibus divitiis floruiſſe,

dixeris rem perinde ſe habere ac cum Medicorum iſto genere, qvod ægrotos dum ſanare cupit, effecta morborum tantum tollit, non autem cauſas, unde eadem vis morbi, ac ægrotus in periculo mox reverſuro perſiſtit. Sic hic effecta penuriæ tolluntur, cauſa remanet eadem, ſegnior cura neglectusque connexionis ordinariorum redituum cum conſtantibus cauſis eorum: Unde penuria quidem aliquandiu ſuſpenditur, mox vero validiori effectu ſtipata revertitur.

III.

*Tributorum* à *Donativis* diſcrimen eſt, quod *illa* vi Subjectionis, *hæc* vi Pactorum *præſtentur*: Unde nec Tributarii dicendi ſunt, qui his mittendis obligantur, cum non ex Imperio alterius, ſed ex mutua conventione ſeu pacto ſine ſubjectione fluant. Confirm. *quia* Juri ſuo relinqvuntur, cum Tributarii ſui Juris non facile eſſe poſſint. *Imperatorem Germanicum* ob annuam præſtationem aliquam præcedenti ſeculo à *Ferdinando I.* promiſſam Tributarium dici Scriptoribus exteris non inſolitum eſt, eandemque cantilenam adhuc canit judicioſiſſimus aliàs Anglus *Autor Status Turcici Lib. I. c. XV.* Et ſane præſtationem talem fuiſſe negari non poteſt, quam inter Conditiones octennalium Induciarum primo loco poſuit *Solimannus* Precioſus literis ad *Ferdinandum* per *Ibrahimum Strotſchenium* Anno MDLXII. perlatis.

Ut

*Ut Tua Dilectio quotannis ad Aulam noſtram pro Arrha Induciarum 30000. Hungaricos Ducatos mittere teneatur una cum reſiduo, quod nobis per proxime præterlapſum biennium à Te debetur.* Turcas qnoque non ſecutam ſolutionem quidem diſſimulaſſe, verum eandem omnibus Bellis contra Imperatores obtentui ſumſiſſe obſervat idem *Autor. St. Turc. l. c.* Sed negamus Tributum fuiſſe; Suo juri enim etiam illo tempore Imperatores relicti fuere. Donativi promiſſionem neceſſitas illorum temporum quidem exegit, ſed non majori cum Subjectionis indicio, quam ipſis Imperatoribus *Turcicis* fuit, ex quo vi veteris pacti eos tributum CCM. Numûm *Æthiopum* Regi pendere oportuit: Quæ etiam cauſa extitit motuum inter *Selimum II.* Imper. *Turcicum* & *Æthiopum Regem Davidem* excitatorum, neque aliter finitorum, quam ut Purpuratus Ægypti ſine prorogatione Davidi Tributum mitteret. Vid. *Mich. Eyzinger, Paralipom. Theſ. Princip. Europ. p.* 1. *ed. An.* 1572. *pag.* 214. 215. Quin etiam *Turcarum* Princeps illis populis, qui montes *Arabiæ* tenent LXM. Aureorum tribuit, ut agro *Palæſtino* ac *Damaſceno* libere fruatur, ap. *Bodin. Meth. Hiſtor. c. V.* & ex eo *Lanſ. de Leg. Reg. ſ. LI.* Similia à *Polonis* Donativa *Tartaris* præſtita legimus, cauſa eadem exiſtente, quam ſuperius reddidimus, & ſine ulla ſubjectionis nota: Uſus eorum enim inde proceſſerat, *quod Reges Poloniæ olim graviora bella contra Germanos & Cruciferos gerentes copias Tartarorum*

*rum auxiliares advocare ſolebant, & quo ea promptiora ad omnes caſus haberent, ſtipendium annuum ſeu honorarium ipſis conceſſerant, quod duobus millibus veſtium ex melotis ſeu pellibus agnorum conſutorum ac mediocri copia pannorum laneorum Anglicorum conſtabat, æſtimatione nummorũ aureorum ſeu florenorum in Polonia uſitatorum. Sed ex quo tali eorum opera Respubl. non indigeret,* vel *quod illi eam præſtare non poſſent Turcis jam ſubjecti, & ipſis ſolis militare coacti, vix aliquando petentibus conceditur, niſi quandoq; difficiliori Reipubl. tempore, ut ſic deliniti à latrociniis populationibus confiniũ retineantur. Jam vero à multis annis raro quid illis præſtatur, ſed potius certa ſtipendia ſolvuntur Coſacis, quorum ſex millia excubias contra incurſiones iſtius hoſtis in illis cõfiniis agere obligantur,* inquit de temporibus ſuis *Piaſec. Chron. f.* 53. Ex eodem capite hodierni *Angli* Denarium *Petri* ex *Anglia* antehac *Romam* mitti ſolitum interpretantur, non Tributum, vel Angliam ideo Provinciam Tributariam fuiſſe, quod Scriptores Catholici P*olid. Virgilius, Baronius* & jam tum è veteribus *Bartholdus Conſtant. Append. ad Hermannum Contractum* aliique magno numero voluerunt, ſed merum *Donativum*, imo Beneficium, Eleemoſynam. Sic appellari à *Paſchali* P. M. literis ad *Henricum I.* Regem Angliæ: *Eleemoſyna B. Petri, prout audivimus, ita perperam doloſeq; collecta eſt, &c.* Et rurſus ab *Henrico I.* ad *Paſchalem*: *Ut Dilectio & Benignitas à me videatur ſumere initium,* Beneficium *quod ab*

*Ante-*

Digitized by Google

*Anteceſſoribus meis B. Petrus habuit, vobis mitto &c.* Vid. Uſſer. *de Chriſt. Eccleſ. Succ. & Stat. cap. VII. §. IIX. & ſeqq.* Et *Spelmannus* prolixè docet non S. Petro conceſſum eſſe hunc Denarium, ſed peregrinis in *Anglorum* Scholam illuc venientibus: Nec illius aliter honoratum nomen, quàm quod in ſua Feſtivitate, quæ in Vincula nuncupatur, ideo perſolvendus fuerit, ut memoria haberetur diei Inventionis reliquiarum *S. Albani* in eadem feſtivitate contingentis. Vid. *Ej. Concil. in Re Eccleſ. Orb. Britann. f. 230. 311. & ſeqq.*

## IV.

Neque tamen hoc numero veniunt P*ræſtationes* iſtæ annuæ devictarum aut alia ratione ſubditarum Gentium: Quæ Tributorum vel aliud ſpeciale nomen eqvidem non habent, revera tamen Tributorum natura participant; Mittuntur enim in recognitionem Superioritatis atque à reliquis Tributis nō niſi exiguitate precii differunt. Sic *Melitenſes* Eqvites Regi *Hiſpaniæ* quotannis Falconem mittere legimus, ob *Melitam* ipſius conceſſam. *Forojulienſes* victi à *Venetis* coacti ſunt quotannis duodecim porcos & duodecim panes ſingulis exiſtentibus CC. Librarum præſtare apud *Flav. Blond. L. V. Dec. II.* *Genuenſes Alphonſo* Hiſpaniarum Regi quotannis Trullam Auream Tributi loco ſolviſſe narrat *Antonius Panormit.* & admiratur eos tunc quoque eandem miſiſſe,

ſiſſe, cum Alphonſum viciſſent maritimo prælio. Sed *tanta fuit Autoritas Alphonſi, ut etiam victus conditiones dixerit, & victores victo metu ceſſerunt, quaſi victoriam caſu non virtute ſe conſecutos arbitrati. De Dict. & Fact. Alph. Reg. L. IV. c. XXIII.*

V.

Perſonas functionibus publicis donatas ordinarie eximendas eſſe in Medit. Polit. probatum. Confirm. Quia alias deteriori conditione eſſent viliſſimo quoque Plebejorum. Plebs enim opibus ſublevat onera publica, perſonæ iſtæ actionibus: Unde ſi opes ſimul ferre cogantur, jam non ſimplici ut plebs, ſed gemino onere prementur, & actionibus & opibus publicum juvandi, adeoq; prorſus inverſo ordine non illæ, ſed plebs potius privilegiata videbitur. Sicque milites etiam oneribus publicis minus gravari ſolent, quia miniſterio ſuo onera Reipubl. perferunt, quod eſt ut aggreſſoribus ejus corpora ſua opponant, eandemque defendant. Qua parte abuſus hic pateat, docet *Sigiſm. Freiberg. Germ. Perturb. & Reſtaur. P. IV. Diſc. X.* ubi tumultum Maſſanielli deſcribit: Groſſer Herren Einkommen beſtehen auff ihren eigenen Gütern / auff Majeſtätiſchen oder hohen Obrigkeitlichen Intraden / auff Verwilligungen und Donationen. Es geſchicht aber gemeiniglich / daß die Beampten viel Geſchwätz machen von der hohen Obrigkeit / Fleiß und Vorſorge vor das Volck / von noth-

nothwendigen / auch unverſehenen Speſen / und dann von der Völcker ſchuldiger Danckbarkeit gegen den Obern: Und ſolche Beampten ſind wie die Spürhunde / ſo das Wild aus dem Lager treiben / und den Jägern in die Garn und Spieſſe bringen: Sie rühren aber ſolche Laſt nicht mit dem kleinen Finger an / ſondern machen ſich noch reich darbey / auch mit des Oberherren Schaden und Armuth. Und wann das arme Völcklein ſolches innen wird / bleibt es zwar noch eine zeitlang in den Schrancken des ungedultigen Gehorſambs / bricht aber loß / und umbſiehet ſich nach einem andern Herrn / wann Herr und Beampter ſich verſtehen / und alle Hoffnung der Linderung abhauen.

## VI.

Idem *Alphonſus* Tributorum ſorditiem quamcunque aſpernatus vectigal quod ex meretricio atque alea multis antè ſeculis penſitatum fuerat, ſuſtulit, ac Neapolitano Civi, cui ad lucrum à ſuperioribus Regibus conceſſum erat, priusquam aboleretur, ſatisfecit apud *Anton. Panormit. de Geſt. & Fact. Alph. Lib. II. num. LXI.* Ac memorabilia ſunt, quæ *Æneas Sylvius* Cardinalis hanc in rem ſubjicit, quibus & innocentiam veterum Evangelicorum, & cauſam introducti apud ſuos vectigalis hujusmodi, & laudes hoc nomine *Alphonſo* Regi debitas complexus fuit: *Apud Bohemos hoc vectigal exigi nequit, apud quos Lupanaria & quævis pacta publica Huſſitarum Lege prohibentur.*

*tur. Noſtri minora mala tolerant, ut majora quaſi devitent. At bene cum Neapolitanis actum eſt, quibus hunc Regem divina Pietas dedit, quo regnante & ditantur & extolluntur &c.* Inter *ſordida* Tributa vero illud inprimis reponendum, quod *Turcæ* Cairi in Ægypto à mortuis omnibus, ſolis hominibus ſuæ Nationis exceptis, poſcunt; Et *Chriſtiano Mercatori* ſex *Zechinis*, *Conſuli* quindecim, aliis tribus, *Judæo* cuilibet groſſis aliquot conſtat. *Id quod ingentem pecuniæ ſummam efficit, ut quidam affirmant, & veroſimile videtur propter tantam hominum ex diverſis nationibus multitudinem.* Vid. *Princ. Radzivil. Itin. Ep. III. fol. 182. 183.* Eodemq; Autor *Libri de Statu Imper. Germanico Monzambano* Inferias Eccleſiæ Catholicæ compingit: *Se non credere alio fine inceſſum Purgatorium, quam ut Tributo poſſent onerari, quos mors aliàs rebus humanis exemerat. cap. IIX.* Quam rem tamen, veluti & cætera Rationem Status Catholicorum in iſto capite attinentia eodem fere modo jam dudum ante eum tractavit *Simon Heſſius* in cauſis, cur Lutherana opuſcula combuſta fuerint, quem vid. *Polit. Imp. Gold. P. XXIV.*

CAP.

Digitized by Google

# CAPUT XXI.

## De DOMINIO EMINENTI.

*I. Conſideratio Poteſtatis Abſolutæ Principis, ejusdemq́ cum Dominio Eminenti comparatio. II. Ejusdem illuſtratio ex Jure Abſoluto Divino. III. Pleniſſima Demonſtratio ejus ex Jure in caſibus Neceſſitatis. IV. Cur pro ſpeciali Jure Majeſtatis haberi non poſſit? Cur Tributa, Tutorum aſſignatio & ſs. eo non comprehendantur? V. Antiqvus uſus Dominii Eminentis: Cur Servator Dominio Eminenti potius, quam alius Juris Regii exercitio Regnum ſuum oſtendere voluerit? Explicatio Dicti: Regnum meum non eſt de hoc mundo. VI. An Bellanti liceat locum occupare in ſolo pacato? VII. An Privilegia poſſint auferri per Dominium Eminens? De Lege Charitatis à Superioribus erga inferiores exercenda.*

I.

DOminio Emienti illuſtrando præmittimus non ignotam *diſtinctionem* Poteſtatis Principum in *Ordinariam* & *Abſolutam*: Cujus diſtinctionis paſſim apud Politi-



Digitized by Google

cos & JCtos ſit mentio, ipſaq; vis vocum præſe fert, *Ordinaria* poteſtate conſvetos Reip. caſus comprehendi, *Abſoluta*, Extraordinarios, h. Legum vi dijudicari haut aptos, admittuntq; hunc ſenſum utriusq; Poteſtatis, quotquot tractationem ejus ſuſcipiunt. *Covarruvias* eam abſurditatis damnat, miratus ſimul tot Patres ea uſos fuiſſe. *Si enim* inquit, *Princeps facere aliquid non poteſt de jure, id effugit omnem ejus poteſtatem, ſi autem poteſt de jure, id ordinarium eſt, cum de Jure ſit permiſſum. Var. Reſol. L. III. c. VI. n. 8.* Cui Reſp. Neutram Poteſtatem ſine jure eſſe, cauſam tamen juris exercendi eſſe diſparem. Si Legibus ordinariis poteſtas conformis ſit, ordinaria manet; Si illas non obſervet ordinaria quidem non manet, non tamen eapropter contra jus agere dicenda eſt, cum ipſarum LL. effectus per caſus Extraordinarios præſumitur ſuſpenſus eſſe. Vid. Exlempla Dominii Eminentis paſſim allegata, quæ non niſi totidem Poteſtatis Abſolutæ radii ſunt, nec tamen contra jus eſſe dici poſſunt, ſuſpenſos verò Ordinariarum LL. effectus ob caſus Extraordinarios indicant. *Petr. Anton. de Petra de Jur. Subd. à Princ. non toll. c. I. n. IX.* reſpondet, aliqua eſſe quæ Princeps poſſit cum cauſa, & hæc ad Ordinariam poteſtatem pertinere, alia quæ clam & ſine cauſa poſſit, iſtaque Abſolutæ poteſtatis eſſe. Quæ ſi hunc ſenſum ferant, ut Princeps aliqua agat, quorum cauſæ paſſim notæ ſint, alia verò quæ vulgò haut innoteſcant; Vel ita, ut cauſa intelligatur Legibus Ordi-

Ordinariis comprehenſa eſſe, vera ſunt. At ſi ſimpliciter intelligat, cauſa vel rationibus iisdemq; veris & juſtis carere poteſtatem Abſolutam, falſa ſunt, cum nulla poteſtas Abſoluta iis careat, licet Ordinariis LL. Reip. ex non comprehendantur, vel in Subditorum notitiam æqve veniant. Ex his vero ita propoſitis dicimus: Dominium Eminens & Poteſtatem Abſolutam Principis rem unam eandemq; eſſe, illamq; quæ olim dicta fuerit Poteſtas Abſoluta, nunc paulo ſignificantius Dominium Eminens vocari. Exercitium Majeſtatis enim utrinq; idem: Objecta etiam Jura Subditorum; Et modus agendi circa Objecta idem, agere præter Ordinem; Finis deniq; idem, conſulere neceſſitati Publicæ; Ac rurſus utrinq; idem eſt, quod, veluti de Dominio Eminenti diximus, Poteſtas Abſoluta non ſit diſtinctum jus Majeſtatis, ſed modus quidam univerſalis, qui omnia Majeſtatis Jura æque pervagatur.

II.

Clarius idem Dominium Eminens elucet in *Divinæ Poteſtatis Abſolutæ* illa parte, quam Jus Abſolutum in homines Theologi pariter ac Politici vocant, dum liberos ob parentes, populum ob Principem ſæpe divinitus puniri agnoſcunt, idq; jure pleniſſimi Dominii in res & vitam noſtram fieri docent. Quod in applicatione ad præſens thema noſtrum dixerimus, Dominium Eminens non ordinario rerum noſtrarum curſu exerceri,

ſed caſibus humanis ita exigentibus: Idq; tanto lubentius allegamus, non ſolum quia Divinæ poteſtatis humana poteſtas vicaria eſt, ſed etiam quod & Regalium cum Divinis Juribus horumq; rurſus cum Regalibus reciprocam comparationem & inſtituere amemus, & utraq; ſibi invicem lucem affundere ſæpe monuerimus.

III.

Clariſſime omnium vero ex Jure in *Caſibus Neceſſitatis* idem conſpicuum eſt; Neceſſitatem enim communem quidem, ſeu ut Moralium Scriptores loqui ſolent, opportunam aut proficuam, univerſam vitam Socialem, at Specialem ſeu Extremam Dominium Eminens fundare & res ipſa loqvitur & communis fere ſententia eorum eſt, qui in materia hac verſati ſunt; Neque Dominium Eminens facilius exprimitur, quam eſſe Exercitium Jurium Majeſtatis, ſ. *Poteſtas Reip. in caſu neceſſitatis*: Ut proinde quicquid in caſu neceſſitatis aliàs licet, id publico quoq; in eodem licere cenſendum erit, & è contrario illa quæ nullo caſu neceſſitatis licent, nec Reip. vi Dominii Eminentis competere poterunt: Atque adeo Reſpublica transfert privatum Jus Subditorum in uſum ſuum; Neceſſitas publica enim dictabat, aliis mediis ſibi conſuli non poſſe. Dejicit ædes, diripit bona, aliud medium enim declinandi caſum præſentem præſto non erat. Ipſe Deus abſoluta Poteſtate ſua ſic utitur, neceſſitate nim. humana ita ferente. Quod proinde

& *Cap.* XII. jam noſtrum fecimus, ac in applicatione ad Principis Poteſtatem Abſolutam docuimus, Principem ea non crebrius uti poſſe atque à Deo videmus uſurpari poteſtatem patrandi miracula. *M. Licin. Craßus* è contrario cum obſtitiſſet Prætoribus, quo minus per fundum ſuum aquæductum derivarent, prævaluit in Senatu Romano; Aqvæductus *iſti* enim, quos moliebantur Prætores, præter ornatum & voluptatem nullam necesſitatis rationem in ſe continebant. Vid. *Boxhorn, Diſq. Pol. caſ. XXXI.* Cauſa deinde hic quoq; eadem, quæ caſus necesſitatis fundat, prævalens nim. ordinariæ cauſæ, cauſa alia univerſalior eademq; potior. Sic graſſante incendio ſi ædes civium diripiantur, ratio non alia eſt, quam quia periculum totius Civitatis tanquam cauſa univerſalior caſum necesſitatis hunc format, eoq; particularibus omnibus prævalet. Nec Subditus cauſam querendi allegare poteſt, ſe conſervandi, non interitus ſui cauſa Reipublicæ ſe commiſisſe; Conſervatio ſingulorum enim ab univerſorum defenſione menſuram accipit; Et niſi conſervandi adminicula aliquibus ſubtraheret, defenſionem debitam nullis præſtare poſſet. Neque res aliæ etiam his comprehenduntur, quam quæ in caſibus necesſitatis in numerum venire poſſunt, h. res moraliter mutabiles, quarumve Bonitatem ratio univerſalior fundat. *Virgines* Reſpubl. nullo caſu neceſſitatis ſtupro tradere poteſt; Nulla cauſa enim eſt, quæ actum

hujusmodi bonum reddere, vel virginem integritati reſtituere qveat, remanente perpetuum peccato quod commiſit in ſeipſam. Nec *Achabi* actionem ulla ratio univerſalior commendare poterat, ideoque *Nabotho* vineam injuſte eripiebat.

IV.

Hinc novam lucem ſibi fœnerantur, quod in *Medi. Polit.* aſſeruimus, Dominium Eminens pro ſingulari jure Majeſtatis habendum non eſſe, ſed eſſe modum qvendam univerſalem omnia Majeſtatis jura æque pervagantem. *Prioris* ratio eſt, quia aliàs ſingularia etiam objecta à cæteris diſtincta requireret. *Poſterioris*, quia in omnium ante recenſitorum Majeſtatis Jurium objectis caſus neceſſitatis ſe offerunt. Sic Leges feruntur aliæ tempore neceſſitatis, aliæ ordinario Reip. Status, quibus & tempore neceſſitatis derogari ſolet. Judicia exercentur alia ejusdem vi, & Pœnæ quoq; propter idem variantur: Novum argumentum quoq; necis in militia rem exiguam auferenti illatæ ex hoc loco petimus: Principem neceſſitate publica urgente, h. vi Dominii Eminentis Leges ſeveriores ponere coactum fuiſſe, eoq; & pœnam acriorem ſumere poſſe. Aſſignationem Tutorum, Tributa ſimiliave ad Dominium Eminens referri non poſſe itidem in *Medit. Polit. hoc Cap. §. III.* jam traditum, & illuſtratum *præced. Cap. XVIII.* Hîc denuo repetendum, cauſam eſſe, quia in Statu Reip. ordinario verſantur. Unde neceſſitas aliqua ſingularis in iis oſten-

Digitized by Google

oſtendi non poteſt. Aut ſi quis litem in termino neceſsitatis quærat, dicendum erit, neceſsitatem aliquam hic quidem præſto eſſe, ut in aſsignando Tutore & ſs. Sed eam ſingularem & Subditorum eſſe, ſeu communem illam ac proficuam, non primam & extraordinariam.

V.

Porro agnoſcendum eſt Dominium Eminens à primis mundi initiis extitiſſe; Usq; ab eo tempore enim fuere caſus, qui Statum publicum neceſsitatibus ſuis exercuerunt; Nec à vero alienum forte erit aſſerere, Dominium Eminens primis illis temporibus longe ſeverius exercitum fuiſſe, quam noſtro tempore. Sic enim indictiones Bellicæ, ut Subditi omnes viritim ſimul Rege egrederentur, nec meri actus Dominii Eminentis erant; Subditus enim non præſumitur jura ſua transtuliſſe in alium, quæ ſimul eodem cogatur proſequi, ſed protectionem ejusmodi expectaſſe, qua fruiturus ſit, etiamſi ipſe non interveniat. Et tamen indictiones iſtæ in Hiſtoria Biblica pariter ac profana veteri notiſsimæ ſunt, quæ noſtro tempore deſierunt. Ipſi Servatori placuiſſe aliquem actum Dominii Eminentis exercere ex *Matth.* XXI. demonſtravimus in *Medit. Pol.* Profitebatur enim ſe egere jumento, adeoque caſum neceſsitatis allegabat. Qui quidem hujus exercitium ſelegit, non aliud Regale, quia in hoc eminentiſsimus modus exercitii Regalium omnium elucet. Seſe enim non tantùm omnibus in-

gerere,ſed etiam illo modo ſe ingerere,quo ſublimior nullus eſt, eſt evidentisſimus Jurium Majeſtatis actus. Ac alibi proteſtatur quidem, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Sed interea I. in mundo aliquem ejus actum exercere potuit, licet de mundo non eſſet. II. Non deſinit ideo Regnum eſſe, licet Regnum hujus mundi non ſit. Regnum vero aut Reſpubli ca nulla eſt, quin eidem Dominium Eminens ſaltim non repugnet.

VI.

Q. *An Dominium alienum invadere liceat, nequid damni Reſpubl. propria patiatur?* Seu uti *Grotius* eandem Quæſtionem proponit, *An ei, qui Bellum pium gerit, liceat locum occupare, qui ſitus ſit in ſolo pacato?* Romani utique id Bello Cretico prætexuere teſte *Floro L. III. cap. VII. Creticum Bellum, ſi vera volumus noſcere, nos fecimus ſola vincendi Inſulam cupiditate; Faviſſe Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare.* Similiter actiones *Belgarum* excuſat *Zevecotius not. in h. l.* quod in vicinis provinciis complura loca præſidiis firmasſent, Fortalitium *Schenkianum* quoq; in commodisſimo Ducatus *Cliviæ* loco excitasſent, non ignari, non ſui, ſed alieni juris loca eſſe; Allegatq; inprimis argumentum Cancellarii *Geldriæ Leonini*: Legis Aqviliæ actionem ceſſare, dum quis arcendi incendii cauſa vicinas ædes deſtruit ob juſtum metum, ne ſuas quoq; ignis invadat. Ita facere poſſe, qui à potenti hoſte bello premitur, & ut ſibi conſulat vicinorum Principum arces

ac

ac urbes etiam iis invitis præſidio ſuo firmare. Opponebatur quidem à vicinis. I. Amicos ſe eſſe, & fœderatos, itaq; hoſtilia in Territorio ſuo exerceri, licet adverſus alios non oportere; Hac ratione enim Bellorum injuriis ſe involvi ſuosq; intricari. II. Se neutrius partis ſemper extitiſſe, ac proinde Jure Neutralitatis ſibi fruendum eſſe. III. Neminis eſſe invadere Dominium alienum, vacua tantum fieri occupantium. Sed reſponſum eſt, ſe innoxium beneficium tantum petere ac reportare: Neutralitatem ex parte *Hiſpaniarum* dubiam eſſe, cum è præſidiis ipſorum quotidie petrantur. Impotentiam vicini verò non officere debere ſecuritati aliorum vicinorum: Neq; invadere ſe Dominium aliorum ſed omnia integra manere, ſolam defenſionem illius loci ſuſcipi, per quem ſibi noxam inferri ſentiant. Vid. hac de re plur. *Boxhorn. Diſq. Pol. caſ. XXX.* Sed cuncta hæc iterum ex Jure, quod neceſſitas nobis in alium monſtrat, adeoq; Principiis moralibus dijudicanda: Quæ ſecurius alieno abſtineri dictitat vel ideo, ne prætextui in infinitum pergendi inſerviat; & poſt firmata in uno loco veſtigia denuo ad vicinum tendere, atq; iterum ad hujus vicinum, rationibus iisdem ſemper manentibus, pro licito reputemus. Si cui juri tamen hic locus ſit, id diutius non erit, quam quoad durat ejus neceſſitas: Eodem exſpirante & illud exſpirabit: Quod etiam *Electorem Colonienſem* in hodiernis Comitiis circa reſtitutionem Rheinber-

gæ, contra Belgas urſiſſe meminimus: Dafern einiger Vorwand ex ratione Belli, vel neceſſitatis lege, aut congrui ratione hätte damals können vorgeſchützet werden / ſo ceſſire doch ſolches nunmehr durch den mit Spanien gemachten Frieden. Sicque *Grotius* etiam Legalitatem hujusmodi factorum determinat: Licere nimir. ſi non imaginarium, ſed certum ſit periculum, ne hoſtis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det: Deinde ſi nihil ſumatur, quod non ad cautionem ſit neceſſarium, puta nuda loci cuſtodia, relicta Domino vero juriſdictione & fructibus: Poſtremo ſi id fiat animo reddendæ cuſtodiæ, ſimulatq; neceſſitas illa ceſſaverit, de *J. B. & P. L. II. c. II. §. X.* Enna aut malo, ſubdit ex *Livio L. XXIV.* aut neceſſario facinore retenta, *quia malum hic quicquid vel minimum abit à neceſſitate.* Jus præſidii utiq; in alieno territorio exercere, eſt nimis clare aliena Majeſtatis Jura uſurpare.

VII.

Q. *An in caſu Extraordinario Privilegia Publica locum habeant?* Reſp. N. Privilegia enim uti non indulta haberi debent, cum mutata rerum ac temporum conditione nocere magis poſſunt quam prodeſſe; Eoq; in perpetuo ac immoto ipſorum uſu non tam prudentia eſt, quam contumacia. Ideo cum *Alexander Farneſius Antwerpiam* obſideret, & Populus vi Privilegiorum ſuorum in conſilium de negotiis Remp. attinentibus vocari vellet, caſus imminens autem potius exigeret,

geret, ut uni committeretur cura rerum obſidionem attinentium, prævaluit quidem populi deſiderium, ſed eo ipſo animorum & rerum confuſio nata tandemq; urbis expugnatio ſecuta fuit. *Vid. Boxborn. Diſq. Pol. caſ. XXXIII.* Quibus omnibus coronidis loco addimus, quod in recenſione iſthac Jurium Majeſtatis inter deſiderata Politica adhuc recumbere autumamus. Nempe doceri paſſim & exercere Jura Principis in Subditis videmus, Dominium Eminens à recentioribus additum iisdem ratione modi ſublimius evehendis. At illa nondum omnes actiones publicas vel modum quo Princeps ſubditos ſpectare poſſit, exhauriunt. *Motiva actionum* noſtrarum ſunt, vel *debitum commune*, quod ordinarias actiones morales fundat, vel *debitum extraordinarium*, quod caſibus necesſitatis ſubſternitur, vel *congruum* denique *quod* fundamentum eſt *Legis Charitatis*. Legem *Charitatis* igitur ſuperiorem erga inferiores ſuos qui doceat, adhuc deſideratur. *Æquitatis* conſideratio hic forte partem faciet, quam Legem Charitatis Politicam dixeris, æque ac Dominium Eminens Legem neceſſitatis; Et ſane Æquitas rem, de qua quæritur, Legi ſubjicit, ſed factam eſſe negat: Sicq; Lex charitatis in moralibus; *Charitas enim tegit omnia*: Unde & nobilis ille effectus ſequitur, ut cedamus Jure noſtro. Sed quæ huic propoſito ſpeciatim conveniant ſingulosq; Majeſtatis jurium caſus comitentur, quid Princeps in Statu Ordinario Reip. facere poſſit,

quid

quid in caſu neceſſitatis, quid tandem Lege Charitatis, ea plenius exponenda adhuc reſtant. Una *Anglorum* Resp. ejus rei lucem aliquam ſpargit, dum inter Tribunalia ſua *Curiam Æquitatis* in ſpecie numerat, quanquam non Caſibus iſtis adeo, quam Juri Privatorum deſtinatam. *Petr. Ant. de Petra.* quoq; ſingulari Libro egit *de Jure quæſito non tollendo per Principem.* Sed Lex Charitatis Subditum jure carentem & è contrario Jus Principis integrum præſupponit, ac nihilominus id modis ſuis circumſcribi exigit. Ne dicamus Virum ex eo jure determinare rationes ſuas, cujus vinculis Principes conſtringi non patiuntur. Chriſtiano itaq; dignum, ac toti vitæ Sociali proficuum laborem ſuſceperit, quisquis ei ſe impendere, adeoq; & hac parte probare volet, ſupereſſe adhuc, quibus elaborandis Reip., membris ejus, ac nobis ipſis ſalubriter conſulere poſſimus.

---

# CAPUT XXII.
## DE
# BELLO.

*I. Demonſtratio Juris Belli. II. Rationes contra privata Duella. III. Quid de Monomachia in veteribus Rebuspublicis ſentiendum? IV. Torneamenta. V. An è re Rerumpubl. ſit Prætenſionibus prorſus abſiſtere? VI. Expe-*

*ditiones Chriſtianorum in Palæſtinam nec pie, nec juſte, nec prudenter ſuſceptas fuiſſe. VII. Americanis ἀνθρωποφαγίας cauſa non potuiſſe bellum inferri. IIX. Explicatio Dicti: Regia Laus eſt de alieno certare. IX. Quo ſenſu pecunia ſit Nervus Belli. X. Diverſitas hodierni Status Bellici à veterum Bellis; Tormenta non adeo, quam militarem Diſciplinam in Exercitibus minus recte inſtitutam impedire hodiernam virtutem bellicam. XI. Quousq; hoſtem lædere liceat? An Caput hoſtilis exercitus immiſſo percuſſore poſſit interfici?*

I.

INitio de Demonſtratione *Legalitatis Bellicæ* dicendum, quam difficiliorem eſſe opinamur, quam quæ ſolo Librorum hujus generis aſpectu exhiberi poſſit. *Grotius* ei totum *cap. II. Lib. 1.* ſui *de J. B. & P.* impendit; Sed univerſa ratiocinia ejus nihil aliud probant, quam Bellum Juri Naturæ aut Gentium, vel Sacris Legibus non repugnare. Inde verò nondum ſequitur, id Legibus iſtis approbari, adeoq; ex naturâ rerum fluere, quod alias de reliquis vitæ ſocialis & rationalis partibus demonſtrari poteſt. Præterea ſingulare eſt in totâ *Lege Evangelicâ* nullam Belli mentionem fieri, unde ſequi videtur: Vel illis prorſus interdictum eſſe, vel rem Bellicam habendam

dam eſſe pro caſu omiſsô in hac Lege. Itaq; rati fuimus, nullam belli demonſtrationem eſſe, niſi quæ ex Lege Neceſsitatis petatur. Demonſtrationi ex Lege Naturæ ſimpliciter, aut ex Lege Charitatis nullus locus; Hæc enim Jure noſtrô, etiam ubi illô gaudemus, cedere jubet. Illa Juri noſtrô liberè fruendo nos committit. At in Bellô nec libera juris fruitio eſt, tanto minus animus cedendi jure noſtro. Itaq; ſoli caſus Neceſsitatis ſuperſunt, quibus Bellum innitatur. Atq; adeò homines, quia ſocialiter cum aliis vivere amplius neqveunt, neceſsitate adacti, vitæ ſociali cum illis renunciant, atq; ad Statum Naturalem revertuntur. Qui quid ſit *Med. Polit. Cap. IV.* prolixè expoſitum. Inde autem unicè demonſtratio belli dependere videtur. Nam licet ob ratiocinia Neceſsitatum ac commodorum noſtrorum ipſam vitam ſocialem amplexi ſumus, quia tamen actus vitæ ſocialis fruſtra cum eo amplius ſuſcipiuntur, quô cum hoſtiliter agendum eſt, Neceſsitas extrema ſocietatem ſolvere, adeoq; ad Statum Naturalem, quô omnibus in omne æqvum jus eſt, redire jubet. Atque hinc porrò rationes pendent plerorumq; in rebus Bellicis occurrentium caſuum. Cur enim Bella ſine neceſsitate ſuſcepta injuſta ſint, ex iis, quæ diximus, ſequitur; Bellum enim in caſu Neceſsitatis ſitum eſt. Cur etiam commodi causâ ſuſcepta Bella, nec conſcientiæ ſatisfaciant, nec probis probentur, ratio eadem eſt; Licet enim hic neceſſi-



Digitized by Google

ceſſitas quædam proficua ſit, non tamen prima aut extrema eſt. Rurſus in Bello quôvis modo hoſtem lædere licet; Neceſſitas enim Statum Naturalem reduxit, quô, ut diximus, quodlibet licet. Et *Servator* ideo nullam Belli in Lege ſua mentionem fecit, quia utpote ſummus Charitatis Magiſter noluit alia quam vel Actus Charitatis, vel quæ his congrua ſunt Chriſtianis ſuis injungere, à quibus neceſſitates iſtæ Bellicæ prorſus alienæ ſunt.

II.

Rationes contra privata *Duella* ſunt: I. Vulnera noſtra ita refricari, quæ aliàs ſibi relicta ſanari & conſolidari potuiſſent. II. Hominem in vindicandâ iniuriâ æqualem ſe inimico ſuo ſiſtere, in remittendâ verò ſuperiorem, dum & affectibus ſuis imperat, & dum ignoſcit rem infra ſe ab alterô admiſſam eſſe teſtatur: Hinc & III. eidem, ſed utrinq; dubio eventui ambo dimicantes ſubjacent, non diſſimiles veneficis, quæ ut aliis ſint exitiabiles, ipſæ plerumq; exitum infauſtum ſortiuntur. Unde porrò ſequitur IV. nec juſtitiam cauſæ à duellô dependere, vel cauſa ſuperiorem eſſe, qui armis ſuperior evadit, vel inferiorem eſſe, qui ſuccumbit, niſi priſcam Judiciorum DEI ſuperſtitionem revocatam velimus, quâ ex eventu de rei veritate judicabatur, id quod jam dudum ab utriusq; Juris Sacerdotibus exploſum eſt. Et V. vita humana neq; tam iniquis, neque tam indomitis neceſſitatibus circum-

cum-

Digitized by Google

cumſcripta eſt, ut idcircò prior injuriam facere debeas, quam niſi feceris, pati poſſis. *Cellius Lib. VII. c. III.* Principalis ratio eſt: Duella Autoritate publica meritò prohiberi, cum non tantùm ſatis præſidii reſtituendo honori noſtro accedat, ſed & per duella eadem maximè lædatur. Etenim injuria illata Leges tantùm violat, at repoſita Leges authoritate ſua planè ſpoliat, quas ſimilesve rationes vide apud *Verulam. Serm. fid. n. IV.* In *Galliâ* certè ideò factum eſt, ut jam à tempore *Henrici IV.* duella publicè prohibita fuerint, àc hodienum ſeveriſſimè coërceantur. Et de *Henrico II. Rege Galliæ* ab aliis annotatum ſcribit *Thuanus: Regem, qui ſerium Duellum, rem Chriſtianâ Religione vetitam, infauſtis Regni auſpiciis approbaſſet; in ludicro Duellô vitam amiſiſſe. L. XXII. ad An. MDLIX.* In Imperio noſtro non ita pridem communi Conſenſu Ordinum eadem prohibitio ſolenniter ſancita ad diem XIX. Sept. An. MDCLXVIII. Was der Churfürſten und Stände Räthe / Bothſchaffter und Geſandten zu deſſomehrer Benehmung der numehr faſt eingewurtzelten Opinion des puncti honoris für gut und nothwendig erachten / daß in bevorſtehender allgemeiner Reichs-Conſtitution und von Churfürſten und Ständen in dero Landen außgehenden Edicten mit mehrern außgeführet werden ſolte / wie das blutige Balgen und Kugel-wechſeln wider GOttes Wort/die Natürliche/ Geiſtliche und gemeine geſchriebene Rechte / alle Erbarkeit/ gute Policey / und dem gemeinen Ruh- und Frie-

Friedeſtand lauffe / nicht weniger der Obrigkeit in ihr Ampt gegriffen / und dadurch Ergernüſſe gegeben worden. Welches alles die vor höchſtgedachte Käyſerl. Majeſtät ſehr vernünfftig / und dabey inſonderheit dieſes wol überleget gefunden / daß die angethanen Injurien keinen an ſeinen Ehren oder erworbenen ehrlichen Nahmen / nicht was von Rechtswegen ſchaden / vielweniger dergleichen verdamlliches Blut-vergieſſen entſchuldigen / zumahln dem Injuriato ſchon in andern wegen per viam Juris gebührende Hülffe und Satisfaction geſchehen könne / auch dem Provocato, da er gleich nicht erſchiene/an ſeiner Hertzhafftigkeit und Ehrenſtande nichts abgienge / und ein jeder / welcher der Chriſtlichen Religion zugethan iſt / vor ſelbſt billich betrachten ſolte / daß eine unChriſtliche Ehrenrettung ohne diß ſehr gefährlich und ungewiß ſey / dergeſtalt / daß die Provocanten ſelber offters unterliegen / und in Einbüſſung des Lebens / welches Sie zu Dienſte des Vaterlandes hätten verſparen können / mit Leib und Seel jämmerlich zu Grunde gehen. Bevorab aber / daß auch die Secunden/ohne daß Sie einander das geringſte Leid zugefüget / dennoch mit einander faſt unmenſch- und teuffliſcher Weiſe kämffen thun. Alſo laſſen Ihr. Kayſerl. Majeſtät dieſes Reichs Gutachten Ihro nicht allein alles ſeines Inhalts gnädigſt gefallen / ſondern haben ſich auch nach Anleitung deſſelben dahin allergnädigſt reſolviret. Erſtlich/ daß alle und jede fürſetzlich angeſtellete Duella und Balgereyen zu Roß und Fuß im gantzen Römiſchen Reich ohne Unterſcheid der Perſon / wes Standes / Würden und

Weſens die ſeyn/ bey nachgeſetzten Straffen ſollen verbothen ſeyn / &c. Solte ſich aber fürs Vierdte jemand ſolches ungeacht unterſtehen / und vermeſſen einen andern / unter wasserley Schein es auch geſchehen möchte / außzufordern / derſelbe bloß des Außforderns halber / wann gleich das würckliche Kugel-wechſeln darauff nicht erfolgete / noch vielmehr aber / wann er den Kampff und Duell mit ſeiner Gegenpart wiewol ohne Entleibung außübet / ipſo facto ſeiner Ehren entſetzet / und nach befundenen Dingen mit würcklicher Lands-Verweiſung : Ja auch nicht weniger die Provocati, wann ſie erſcheinen / die Secunden/ gegen welche / da ſie gleichfals mit einander ſchlagen / die Beſtraffung noch mehrers als gegen die Principalen zu ſchärffen &c. angeſehen werden. Duella Academica in fine ejuſdem Sanctionis hæc attinent. Wann im übrigen mehr-beſagte der Chur-Fürſten und Stände/ Räthe/Bothſchafften und Geſandte/von denen auff Univerſitäten und Academien vorgehenden Exceſſibus angeregt / daß die Studenten ſich bald umb einer liederlichen Urſache wegen mit einander ſchlagen und balgen/ alſo und dergeſtalt / daß mancher entweder in der beſten blühenden Jugend und Zeit umb das Leben komt/ oder mit der Eltern höchſtem Betrübnüß an den Gliedern ſo weit zu Schanden gemacht und übel zugerichtet wird / daß er ſein Tage ein elender Menſch / und das ihm etwa von GOtt verliehene gute Talent deßwegen ohne Nutzen ſeyn muß. Als laſſen Ihre Kayſerl. Majeſt. Ihr allergnädigſt gefallen/ daß künfftiger Reichs-Ordnung ſpecialiter auch einver-

Digitized by Google

verleibet werde/ daß ChurFürſten und Stände/ welche über gemeldte Univerſitäten und Academien zugebieten haben/ nach Anleitung unſer beſagter Reichs-Ordnung gleichfals ſolche Fürſehung thun wollen/ daß auch daſelbſt ein Ernſt und gute Diſciplin erhalten/ und der Unſchuldige vor Gewalt und Thätligkeit geſchützet werde. Vid. Cæſaream hanc reſolutionem *Diar. Europ. Contin. XVII. App. II. p. 1. 2. & ſeqq.*

III.

Quid de *repræſentativis Bellis*, ſeu *Monomachia* olim uſitata, judicandum ſit, diſceptant Politici: Pro iis facit, ſangvini humano ita parci, & calamitates Belli velut in compendium mitti. Contra ea eſt, ſatius videri luculentô Bellô defungi, quam libertatem & ſalutem Civitatis per ejusmodi bellum uno actu perdi, cum etiam poſt infelicia aliquot prælia fortuna belli reparari poſſit. *Pufendorf. Lib. VIII. c. VIII. th. V.* Nos poſteriori accedimus, inde cauſam potiſſimum petituri, quia in Bellis non ſola vis, ſed etiam prudentia, nec corporis tantùm, ſed animi etiam vires exerceri queunt, & verò prudentia nobis ſpatium relinquit ſurgendi, etiamſi premamur aliquando: Huic verò locus non eſt, ſi ſoli Duello totum negotium committatur.

VI.

*Torneamenta*, ſeu Ludi Eqveſtres & Haſtiludia *ludicrorum* certaminum genus ſunt, quæ tamen minori ſolennitate nunc agitantur, quam præteritis ſeculis, quibus per univerſum ferè Im-



Digitized by Google

perium extendebantur. Initia creduntur poſita eſſe primumq́; Haſtiludium celebratum ab *Henrico I. Imper.* vid. de iis *Limn. I. P. Lib. VI. c. V. §. XIII. & ſeqq.* Quæſtio utiliusne fuerit continuari illos Torneamentorum ludos an abrogari, pro locorum & ſolennium diverſitate, diverſimode decidenda erit: Et in abrogationem facilè inclinabit, qui ſumtus maximos iis impenſos, multum temporis in iisdem abſumtum, irarum ſemina, & deniq; ſiniſtros ſæpè eventus eorum expenderit.

V.

E re generis humani quidem eſt Prætenſiones in infinitum non extendi. An verò è re ſingularum Rerump. ſit iisdem prorſus abſiſtere, paulum aliter decidunt Politici, rati non conducere iisdem prorſus renunciari, ſeu in Statu comparato magis expedire Reipubl. non pati, ut ſibi ſatisfiat ejus nomine, quod in alios prætendit, eoq́; continuo in alios prætendere, quam prætenſioni nuncium remittere. Rationem allegant: Quidvis enim & ſemper exigere aliquid poſſe, qui læſus eſt, & prætendit. Satisfactionem è contrario eſſe transſcriptionem occaſionis omnis & juris, eoque, qui ſatisfieri ſibi patitur, eum ſemel unum aliquid accipere, & interim in offerendis poſt longè melioribus occaſionibus omnia amittere, nulla exeqvendi aut exigendi juris materie relicta. Vid. *Boxhorn. Diſq. Pol. caſ. XX. p. 47. & ſeqq.*

VI. De-

## VI.

De *Sacris ſeu Cruciatis Expeditionibus* Veterum Chriſtianorum pro occupanda *Palæſtina* dubium eſt, an jure aliquo eas potuerint ſuſcipere? Et ſane videntur nec *piè*, nec *juſtè*, nec *prudenter* feciſſe, qui animum militiæ huic adjecerunt. Primum probatur, quia in *Palæſtina* nil niſi externa, religionem nihil attinentia, quæri poterant: Quâ ratione non potuit non fieri, ut populus ab interno eoq; verò DEI cultu abductus, externis iſtis adhæreret; Quod ipſum eſt, quod hodienum in pluribus ritibus Eccleſiaſticis improbatur, populum nempe his potius quam internis religionis partibus ſe applicare. Et imaginem Chriſti ideò in Sacris non deſcribi Theologi utriusq; Religionis docent, ne cui Idololatriæ, ita occaſio præberetur. Secundi ratio eſt, nempè ne civilem quidem cauſam juſtam occupandæ *Palæſtinæ* extitiſſe, quia nullum jus erat plerisque eo tendentibus, vel unqnam fuerat in *Palæſtinam*: Aut ſi Imperatoribus Romanis fuit, certè *Conſtanſtantinopolitani* Impp. longè juſtiorem titulum in eandem habuere, imò nihil allegari poterat, quam priſcum & ex parte abſolutum quoddam jus, eoq; in antiqvis prætenſionibus radicatum. Deniq; tertio, ne prudenter quidem expeditiones illæ ſuſceptæ ſunt. Communicatio enim cum *Europæis*, utpote longius remotis deerat, aut ſi aliquamdiu duravit, continuationem tamen neutiquam expectare poterat, cum Zelô *Europæorum* deſi-



Digitized by Google

deſinente, vel potius per ſumtuum immenſam copiam extincto, facilè res ipſa defectura eſſe provideri potuerat. Nec à vicinis ſubſidia facilè expectanda erant; *Conſtantinopolitani* enim, quod palàm non licebat, clam tamen non poterant non invidere ſuccesſibus Europæorum rem ad ſe propius pertinentem. Unde nec veroſimile erat, ſubſidia aliqua inde ventura eſſe, quæ omnia etiamſecuta tempora miſereq; finitum Regnum Hieroſolymitanum ipſo eventu docuere.

VII.

*Americanis* Ἀνθρωποφαγίας cauſa non potuiſſe Bellum inferri, ex hac etiam ratione conſtat. Ἀνθρωποφαγία enim licet Barbara & maximè inhumana conſvetudo ſit, Juri Naturæ tamen adverſa dici nequit, cum & Mumias & ſangvinem humanum in Medicinam vertamus, & in caſu extremæ necesſitatis caro mortua in cibum verti poſſe à compluribus Moralium Dd. concedatur, quos vide apud *Wulfer. cit. Diſc. Prælim. in Medit. Polit. hac Diſſ.* Sic *Toletus in Tit. Sacerd. depœnit. Lib. VIII. c. IX.* Quædam, *inquit* abſolutè, ſpectata, eſſe quidem à natura hominis aliena, quæ tamen in extremâ necesſitate permiſſa ſunt, ut, ſe inebriare, ſibi ipſi brachium abſcindere, ſi ita neceſſe ſit ad propriam vitam ſervandam. Quemadmodum enim in his caſibus non inhonoratur natura humana, quando levius nocumentum poſtponitut majori nocumento, ita etiam in priori caſu, non exhonoratur natura humana, ſed

potius

potius videtur honorari, quando aſſumitur è mortuo, ut alter à morte liberetur. *Hactenus Toletus.* Jam verò; quod Juris Naturæ eſt, veluti cum natura rationali congruit, ita quicquid contra Jus naturæ eſt, ita malum eſt, ut nec fieri bonum, nec per ullam diſpenſationem excuſari poſſet.

VIII.

Ad *Defenſionem Innocentum* referendum putamus notorium iſtud, ſed vulgo non ſine exemplis ſiniſtre acceptum Axioma: *Regia laus eſt de alieno certare*: Cujus ſenſus communiter perhibetur eſſe: Reges ſibi gloriæ vertere, ſi amplificandi Regni ſui ſtudio aliena invadant, armisq; deniq; deinde propugnent. At nos de Protectione Innocentum accipi poſſe remur: Regiam lau- eſſe de alieno certare, h. in eo Statu eſſe, ut conſervatis rebus Regni aliorum etiam extra Regnum ſicubi violentius premantur, cauſam ſuam facere atq; armis tutari poſſint: Quod certe non tantum in laudem Regum cedit, ſed etiam ſanæ Rationi conſentaneum eſt, quæ dictitat unumquemque hominum, quandocunq; id ſine incommodo noſtro fieri poteſt, adverſus vim injuſtam protegendum eſſe.

IX.

*Pecuniam eſſe nervum belli* primo pronunciavit *Curtius* in deſcriptione Belli *Antipatri Macedonis* contra Regem *Spartanorum*: Quæ ſententia inde in omnium ora manavit; Atque ſuo etiam

ſibi conſtare ſenſu negandum non eſt: Generaliter tamen accepta non deſtituitur dubiis: Si enim Theſauri ſufficerent ad hoſtes vincendos, *Darius* potuiſſet *Alexandrum* ſuperare, *Romani* à *Græcis* vinci, & noſtra memoria *Helvetii* à *Carolo Burgundico* ſuperari. *Machiav. de Rep. Lib. II c. X.* *Contra communem ergò,* inquit, *porro, vulgi opinionem pronuncio: Non pecuniam, ſed militum virtutem eſſe nervum belli, neq; aurum ſufficere ad ſtrenuos milites comparandos, ſed per hos aurum & argentum comparari poſſe. Quod ſi populus Romanus non ferro magis, quam auro bellum geſſiſſet, tam magna ac difficilia bella, ne univerſis quidem mundi Theſauris confeciſſet: Sed cum ferro, non auro dimicaret, ne auro quidem caruit, quod illud in caſtra usq; afferretur ab iis qui Romana arma metuerent.* Et paulò poſt: *Requiruntur quidem ad bellum pecuniæ, ſed non ut primum inſtrumentum, eſtq; earum indigentia talis, quam ſtrenui milites ſæpe vicerunt. Quæ hoc ſenſu concilianda opinamur: Pecuniam non eſſe ſubſtantiam belli, quæ in viris & robore conſiſtit, æque ac in corporibus noſtris ſunt ſangvis, caro, oſſa: manere tamen eo ſenſu nervum belli, quo nervi in corpore ſunt vehicula Spirituum: Ut ſubſtantiam nim. & partes ſubſtantiales belli faciat mobiles & veluti vitales.*

X.

Indicandum porro *Bellorum faciem* nunc prorſus aliam eſſe, quam quæ fuit ſuperioribus ſeculis. I. Ratione *Victoriæ*, non integræ Natio-

nes

Digitized by Google

nes enim nunc captivæ ducuntur, ut olim fiebat, cujus exemplum elucet in Captivitate Iſraelitica. II. Ratione *Captivorum*, qui tanta copia non occiduntur ac olim. Ratione *Inſtrumentorum*, quæ per inventum pulverem pyrium nunc longe aliter ſe habent, ac olim ſe habebant: Unde & modum exſtruendi fortalitia, aliaq; defenſionis adminicula prorſus mutari oportuit, quæ obſervatio eſt *Verulamii de Augm. Scient.* Cui addit: *Æque ac tormenta rem bellicam immutarunt, ſic ſpatio trium proximorum ſeculorum Magnetis inventionem mutaſſe univerſam rem nauticam. Typographiæ rem literariam: Vitrorum Opticorum univerſam rem naturalem, cœleſtem & terreſtrem.*

De *Tormentorum* uſu diſputat *Machiavell. de Republica Libr. II. cap. XVII.* ac primò ſtatuit, ea magis prodeſſe ad offendendum, quam defendum. *Nam qui ſe tormentis bellicis defendit, aut in urbe eſt, aut alio aliquo loco munito. Urbs eſſe poteſt vel magna vel anguſta: Solent autem cum arces tùm propugnacula alia, etiam in magnis urbibus anguſta eſſe. Difficillimum autem eſt, eo anguſto loco ſe adverſus tormenta bellica defendere, quod nullus murus tam craſſus ſit, quin diebus paucis à tormentorum impetu diruatur. Eo diruto, ſi deſit intrinſecus ſpatium, ut cedendo vel fosſis vel novis aggeribus reparare propugnacula nequeas, ſtatim ab hoſte victus eris, neq; ullo modo illius impetum ſuſtinere aut tormentis tuis, quo minus per loca diruta ingrediatur in tua propugnacula, prohibere poteris. Certum enim eſt hoc &*

*experientiâ ipſa confirmatum, eos impetus, qui denſato agmine magnaq; cum violentia ac celeritate fiunt, tormentis bellicis prohiberi non poſſe.* II. Monet, Machinis hiſce virorum virtutem ſublatam non eſſe. *Magis quidem periclitari militem nunc quam olim, ſi urbs quæpiam invadenda, expugnanda, admotisq; ſcalis aliisve hujusmodi machinis conſcendenda fuerint mœnia. Duces quoq; militares, nunc in longè majori periculô verſari, cum tormenti ictu queant, quocunq; loco fuerint, peti, nec quicquam proſit, quod egregiis militibus ſtipati, hoc aut illo loco collacati ſint.* Sed idem ſimul animadvertendum cenſet, *ex hujusmodi periculis hactenus nullum memorabile damnum exercitibus eveniſſe. Nam & in capiendis urbibus obſidione longâ veterum more potius, quam expugnatione uti conſueverunt: & ſi quæ expugnantur, non tamen multò majori periculo id fieri, quam olim factum ſit. Habuiſſe enim veteres quoque ſua tela quibus utebantur in defendendis urbibus: Quæ ſi non fuerint tam violenta, ut tormenta noſtra, ita tamen in hoſtem torquebantur, cum mœnibus appropinquaret, ut non minorem hominum ſtragem ederent, quam ſoleant igneæ Machinæ.* Unde III. colligit, *non tam ob tormentorum uſum impediri virtutem militum, quam ob militarem diſciplinam, in exercitibus minus rectè inſtitutam conſervatamq;: Et ſi in univerſo exercitu antiqua virtus ineſſet, eam utiq; latere non poſſe, vel ob uſum tormentorum, vel ob aliarum quarumcunq; rerum impedimenta. Nam quod ajunt quidam, impedimento eſſe easdem haſce machinas,*

*quo*

Digitized by Google

*quo minus pugnare ac manus conſerere queant, futurumq; tandem, ut univerſa belli ratio ab iis ſolis dependeat: Id nequaquam verum eſſe, confeſſuros omnes, quicunq; de antiqua militari diſciplina vel paululum quippiam deguſtarunt. Neq; enim firmum exercitum habitum iri ullum, præter eum, qui congredi cum hoſtibus conſuevit, qui gladiis uti novit, & lacertorum robore, ob quas cauſas peditatui longè magis etiam, quam equitatui confidi poſſe. Nam ſi pedites habeantur expeditæ & ſpectatæ virtutis, minori periculo hoſtem tormentis bellicis inſtructum, invadi poſſe, quam olim potuisſet, cum Elephanti & currus falcati in uſu eſſent. Quod ſi ergò populus Romanus adverſus tanta impedimenta remedium invenire potuit, adverſus tormenta profectò etiam inventurum fuisſe, & quidem tantò faciliùs, quantò minus diu durent fulmina tormentorum, quam Elephanti & falcati currus durare potuerint.*

Belli & pugnarum navalium conditionem appoſitis verbis & conceptibus hiſce exhibet *Autor Politici ſine exemplo ſeu vitæ Cromwelli pag. 341. & ſeqq.* Ein alter Philoſophus lachete von Hertzen über die Thorheit der Jungen / welche umb ſchändlichen Gewinſt willen ſo vermeſſen ſeyn / daß Sie ſich in die See begeben / da doch zwiſchen ihnen und dem Tode kein mehrer Unterſcheid / als ein Bret zweyer oder dreyer Finger dicke ſey. Wie viel ſchwerer iſt denn zu achten zur See zu fechten / weil alle Elementen ſich alsdann vereinigen mit den Streitenden ein Ende zu machen. Denn das Zimmerholtz / als die Materie,

davon

davon die Schiffe gebauet werden / iſt vor die Erde zu halten/als welches auß ſelber erwachſen. Dieſes macht Raum der unpartheiſchen Kugel durchzudringen/ welche dann ſelten anff die Höhe anſchläget / in dem ſie die Blancken durchſplittert / und ſolche zu Inſtrumenten des Todes macht / welche zuvor vor eine Bruſtwehr und Verſicherung des feindlichen Schieſſens gehalten worden. Das unendliche abgehen des groſſen Geſchützes ſtöſſet nichts dann Feuer und Dampff von ſich/ alſo daß die Ebene des Waſſers das Anſehen macht/als wolte es ſich mit ſeinem widrigen Element vereinigen. Unterdeſſen wird die Lufft mit Rauch-Wolcken verdunckelt/und gehen die mit einander Streitende/weilen dißfals alle Rettung vergeblich/ zu Grunde. Bald ſiehet man ein Schiff im Feuer ſtehen / und deſſen Volck auß Furcht des Brandes/freyes Willens in eine kühlere Art des Todes ſich zu ſtürtzen. Bald finden ſich Leute ohne Schiffe / bald Schiffe ohne Leute / und wird alsdann auff nichts mehr gedacht / als wie die natürliche Grüne des Waſſers in Blut-gefärbeten Purpur von den Erſchlagenenen möchte verwandelt werden. Dergeſtalt reitet die Confuſion in Triumph/und erſcheinet der Tod in mancherley Geſtalt: Eine verwahrloſete Lunte oder ungefehrer Funcke / wenn er zum Pulver komt / kan in einem Augenblick die Uberwinder überwinden / und die jenigen fliehen machen / welche zuvor andere gejagt. Das Waſſer/wie es die Laſt träget/ alſo wil es ſeinen Theil bey der Zerſtreuung auch haben/ dann in dem das Schieſſen mit groſſen Donnern und Krachen ſich hören läſt / tantzen indeſſen bey dieſer

Trau-

Digitized by Google

Trauer-Muſike die von Winde auffgeſchwöllete Wellen ihre Couranten / und erwarten mit Verlangen die zwiſchen Wind und Waſſer zerſcheiterte Schiffe zu verſchlingen.

XI.

*Quousq; hoſtem lædere liceat* quærenti, jam §. I. reſpondimus, id quovis modo fieri poſſe. Neceſſitas enim veluti bellum, ita Statum Naturalem reduxit, quo omnibus in omnia æqvum jus eſt. Actus tamen, qui ſine vitio morali peragi non poſſunt, liciti non fiunt; Statum Rationalem enim tunc non exuimus, ſed tantùm Socialem. Veneno in hoſtem agi non poteſt; Defendendi copia enim hoſti præciditur. II. Naturam Belli evertit; Si enim nulla armorum fiducia eſt, tollitur armorum contentio. *Fabricius Pyrrhi Regis aurum repulit, majusq; Regno judicavit, regias opes poſſe contemnere. Idem Medico Pyrrhi promittente, venenum ſe Regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret inſidias. Ejusdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Admirati ſumus ingentem virum, quem non Regis, non contra Regem promiſſa flexiſſent, boni exempli tenacem: quod difficillimum eſt, in bello innocentem: qui aliquod eſſe crederet etiam in hoſte nefas.* Senec. *Ep. CXX.* Et *Perſen* Regi, qui egerat cum *Tarentino* quodam ut Romanos plures tolleret, *Livius* exprobat: *Non juſtum modo apparare Bellum regio animo, ſed per omnia clandeſtina graſſari ſcelera latrociniorum ac veneficiorum.* Vid. *Alberi.* Gent. *de J. Bell. Libr. II. cap. VI.* Qv. *An percuſſoribus in perſonas publicas*

*Reip.*

*Reip. hoſtilis immiſſis agere liceat?* Reſp: Negandi ratio eadem eſt, quia itidem ſpes omnis conformitatis ac materia defenſionis præciditur. Adverſus Potentiores à mediis ejusmodi tutamen quærere, ſpecimen prudentiæ quidem eſt, & veniam propter affectum vivendi mereri videtur, ſed exemplo pernicioſum, & abuſibus maximis obnoxium. Unde nunquam excuſari ſatis potuit exemplum *Philippi II. Hiſpaniæ Regis*, qui non tantum percuſſorem in *Wilhelmum* Principem *Orangium* mittere, ſed eundem ſummis privilegiis Nobilitatis ornare decrevit. Decreti verba vide apud *Meteran. L. X. p. 372.* idque epitaphio *Wilhelmi Delphis* erecto *Philippo* publicè adhuc veluti exprobatur. *Quem Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ille Europæ tremor, timuit, non domuit, non terruit, ſed empto percuſſore, fraude nefanda, ſuſtulit.* Et *Guicciardinus* idem *Hiſpanis* exprobrat, qui *Barthol. Alviano, Exercitus Veneti Duci* necem machinabantur. Eo namq; interfecto, ſi ſtatim exercitum *Patavio* tanti Ducis morte perturbato admoverent, ſe facilè ea Civitate potituros ſperabant. *Adeò præſentis militiæ ratio à veterum virtute diſceſſit: Qui tantum abeſt ut percuſſores ſubornarent, ut ſi quod ſcelus in hoſtem parari intelligerent, id ei illico patefacerent: propterea quod hoſtem virtute ſuperare pulchrius ducecerent, & ſe id poſſe facere confiderent.* Guicciard, *Hiſt. Lib. XII.* Neq; alio in loco habendum *Mutii Scævolæ* factum, quo *Porſenam* interficere molieba-

Digitized by Google

batur: Quas inſidias & Romani probarunt, qui juvenem ad facinus patrandum dimiſerunt, & ipſe Scævola facinus vocabat forte & petitum decus apud *Dionyſ. Caß. Lib. XXXV. Juditham* Patres quidem laudant *Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus*; ſed in ea affectum laudaveris, quem tulit ad ſalutem Populi, pro qua fuit & fortis ſupra ſexum, adq; periculum gravisſimum & pro qua mundum totum in forma ſua exornanda ſibi compoſuit & mirabiles illas veneres orationis effudit. Vid. *Thom. in 2. 2. Q. CX. Art. XII.* Præter affectum verò nihil quicquam. *Ebudis, Scævolæ* iſtius *Benjamitici* exemplum etiam in numerum venire poſſet; Sed hoc fuit extraordinarii Juris à Domino. Vid. pluribus *Alber. Gent. cit. Lib. II. c. VII.*

---

# CAPUT XXIII.

## *De*

# STATU PACIS.

*I. Pacis & Induciarum diſcrimen. II. Necesſitas Pacis. III. Pacem æquam aſpernandam non eſſe. IV. Eandem in medio Victoriarum curſu non abnuendam. V. An perpetua Pax expediat Reipublicæ? VI. An Pax Univerſalis expectanda ſit? Pacis Æterna explicatio. VII. Neutralitatis conſideratio.*

I. Pacem

I.

PAcem diximus *conventionem de Jure alterius non lædendo.* Eodem ſenſu P. *Buſius* vocat conventionem publicam perpetuo ab armis ſiſtendi; *Alber. Gentilis Compoſitionem Belli ordinatam.* Diſcrimen ab *Induciis* eſt, quod illæ præpoſitum lædendi non tollant, ſed ſuſpendant. Sic *Cicero Plancum* judicare jubet: *Pacem eſſe non in armis poſitis, ſed in abjecto armorum & ſervitntis metu.* Ep. *L. X. Ep. VI.* Unde licet multorum annorum induciæ ſint, Pacem tamen non efficiunt, cum non interrumpant Bellum, ſeu hoſtilitatem ipſam, ſed actus tantum hoſtiles. Sic *Livius* de *Hetruſcis*, *Pacem fœdusq; petierunt, inducias in XXX. annos impetrarunt.* Romani enim animum hoſtilem deponendum haut ducebant. *Novum non eſt, quod eſt renovatum ſive vetus repetitum, ſicut non omiſſum quod intermiſſum.* Angel. *in L. ſi unus 27. ff. de pactis.*

II.

Neceſſitatem Pacis ipſe ſcopus Bellorum loquitur; Neq; enim præſertim pro defenſione capitis ac fortunarum ſuſcepta alium finem propoſitum habere debent, quam ut in otiô vivatur, ut armis alma pax quæratur; *Alioqui peſſimè cum rebus humanis ageretur, ſi tanquam in arenâ gladiatorum, continenter eſſet pugnandum, & omne ævum ferro terendum. Piratarum & latronum hæc infeſta vita eſt, quorum impiis cervicibus ſemper imminet domeſticus ille tortor, qui pejus omni ſuppliciô mentes profli-*

Digitized by Google

*profligatorum hominum excruciat, ut nunquam liberum à curis ſpiritum ducere queant. Baud. de Induc. Belg. L. 1.* cujus ſententiis hic una alterave vice utendum duximus, quippe rerum ad propoſitum noſtrum facientium ſignificantisſimis.

*Si æterna ſemper odia mortales agent,*
*Nec cœptus nunquam cedet ex animis furor,*
*Sed arma felix teneat, infelix paret,*
*Nihil relinquent Bella, tum vaſtis ager*
*Squalebit arvis, ſubdita tectis face*
*Altus ſepultas obruet gentes cinis.*

Inquit Lycus ap. *Senec. Trag. in Hercule Fur.*

III.

Hinc etiam ſequitur Pacem æquam aſpernandam non eſſe: Cum non alio fine belletur, niſi ut in pace & otiô ſine injuriâ vivatur, nequaquam autem ut pervicacibus odiis alter in alterius excidium atq; internecionem duret, nec una pars ſtare posſit, niſi alterius clades & ultima diſperditio ſecuta ſit. Quod ipſum *Baudius* mox ſuum facit & Conſiliis de Pace inter *Belgas* & *Hiſpanos* ineunda Latini Pacati nomina in exemplum apponit: *Cum Philippo ac Alberto non contendi, tanquam cum infeſtis hoſtibus, quibuscum nulla conditio pacis intercedere posſit, ut olim Romani cum Cimbris & Teutonibus bella geſſerunt, quibuscum non de gloriâ aut principatu, ſed de vitâ & ſanguine certabatur, uter eſſet, non uter regnaret. Verum hanc mentem, hunc ſcopum armorum, & fuiſſe à principiô & nunc etiam eſſe, ut Ordines ſta-*



Digitized by Google

*tum illæſæ dignitatis, imperii, religionis tutò conſervare poſſint, qui ſi tantis viribus pollerent, ut ipſum Regem regno exuere, vel ArchiDuces omni Belgio ſpoliare & exterminare funditus poſſent, tamen hautquaquam arbitror DEO Regum & Regnorum cuſtodi facinus iſtud unquam placiturum.*

IV.

Eadem in medio Victoriarum curſu non abnuenda, neq; expectanda ultima neceſſitas, ut attracti pacem petant, quemadmodum Orator *Demades* de *Athenienſibus* impeſtivo belligerandi ardore ajebat. Verenda quippe rerum humanarum inſtabilitas varietasque fortunæ; Et prudentiſſimus quisque potius adverſos rerum caſus animo commentabitur, quam ſperabit ſecundos, ut ad eos avertendos adhibeatur præparatio diligens. *Pacem reduci velle victori expedit, victo neceſſe eſt*, inquit iterum Lycus ap. *Senec. Herc. Furent. Act. II.*

V.

*Utrum Pax Bello potior* ſit, diſputari non meretur, cum Pacis cauſam & rationes antea redditæ & univerſa vita Socialis ſtrenue agant, Belli non niſi ejusdem male luxatæ inevitabilis neceſſitas. Sed an *perpetua Pax Reipublicæ expediat*, aliûs atque altioris eſt indaginis. Et expediret ſane, ſi per alios liceret, ſi ſtatus humanus ſine incommodis eſſet. Jam verò radicata ſemel Pacis dulcedine metuendum eſt, ne Martiales ſpiritus enerventur, nec facile compelli poſſint, tametſi

ſi bellandi neceſsitas ingruat, ut iterum arma capiant: Qua ratione motus *Scipio Naſica* Catoni adverſabatur, & nolebat æmulam Imperii Romani Carthaginem exſcindi, veritus, *ne ſoluta metu Civitas deliciis ac luxu virtutem antiquam effœminaret.* Et *Hiſpani* hanc rationem finiendi Belli *Belgici* iniiſſe credebantur. Nihil magis expedire, quam ut dulcedine otii mitigatæ mentes paulatim exuerent inveteratum in *Hiſpanos* odium, & fortè progreſſu temporis, per mutuam communicationem, vel per affinitatum conventiones, ut multa ſæpè adfert volvendus dies, & ex transversô caſus incurrunt, quos vix audeat quis optare, redituram aliquando Subditis priſtinam Majeſtatis reverentiam præ faſtidiô minutorum Satraparum Itaque inter *Belgas* tum non ſine cauſa ſuſpicabantur, libertati ſuæ ita periculum creari, nec fruſtra timeri inſidioſæ Pacis mala, ne credulos *Belgas* induciæ inducant in fraudem ac tentationem.

## VI.

An *Pax Univerſalis expectanda ſit* non diſſimili reſponſo expediri poteſt. Optandam nim. fore, ſi per Ingenia humana liceret. At in tanta eorum diverſitate, reſiſtentia, reluctatione ſperandam non eſſe. Repugnat etiam Principiis Sacris noſtris: Nam ſub finem mundi graviſſima certamina & turbidiſſimum rerum ſtatum futurum Servator veriſſime prædixit *Matth. XXIV. 21. Luc. XIIX.* 8. *II. Tim. III.* 1. *Æternam* quidem

Pacem ſæpe fieri videre eſt, eandemque exigui temporis decurſu terminari. Sed Æternitatē Scriptores hoc loco accipiunt pro non interrupto & longisſime continuato temporis ſpacio, ſeu potiꝰ negative, h. certum tempus non eſſe intra quod Pax deſitura ſit: Quo quidem ſenſu etiam Pacem eſſe non poſſe opinamur, niſi æterna ſit, h. indefinito Annorum ſpacio circumſcripta, ut teſtentur homines nullum ſibi conſtare tempus, quo ad hoſtilitatem redituri ſint; Si enim tale ſciunt, Pax non eſt & propoſitum armis abſiſtendi, ſed conſilium ea reſumendi adeoq; induciæ.

VII.

Mediæ naturæ inter Bellum & Pacem eſt *Neutralitas*, h. e. ut neutri partium litigantium accedamus, auxilia feramus, vim inferamus, neutrius etiam cauſam approbemus. Cui ſi alicubi locus eſt, eundem certè non habet, I. Si cauſa Belli alterutrius partis nos etiam attingat. II. Si alteri parti controverſanti juramento vel ſimili obligatione obſtricti ſimus. Sic *enim Ethnicis deteriores* ab ipſo Paulo *habentur*, *qui ſui ſuorumq́ curam haut gerunt. 1. Tim. V.* Et ſimiliter cum filius parentem periclitantem viderit, nullo Jure Neutralitatem tunc eligere poterit, naturali obligatione ipſum ad auxilia parenti ferenda adſtringente. Allegatur pro Neutralitate: *Incertum eſſe, penes quam partem victoria manſura ſit, & ſic moleſtiam nobis metuendam eſſe, ſi adverſa pars ſuperior extiterit; Id verò timeri non poſſe, ſi neutrius par-*

Digitized by Google

*partes tueamur.* Reſp. I. Nihilominus *ab utraq;* parte neutrum talem ſollicitari, ſi non ad auxilia ferenda, certè ad commeatum ſimiliave onera bellica præſtanda, quæ ipſis moleſtiis bellicis ſubinde paria ſunt. II. *Chriſtiano* dignum eſſe confidere, DEUM juſtæ cauſæ adfuturum, in qua ſi nihilominus ſuccumbamus, cogitandum eſt, caſtigationem Divinam illam eſſe, quam etiam extra caſum Belli conſtituti non effugisſemus. III. Si pars illa vicerit, cui minus bene nos velle præſumimur, nos nihilominus ejus invaſionem non declinaturos. In rebus *Theologicis* non Neutros tantum, ſed etiam Medios videre eſt. *Neutros* ſ. Neutrales, qui in disſenſionibus dogmatum Sacrorum nulli à parte asſentiuntur, ſed manent in mediô, ac ſuffragium ſuum ita cohibent, ut neutram partem vel approbent, vel improbent. *Medii* ex utraq; parte æquè pendent, & in id ſedulò incumbunt, ut utriusq; chari ſint. Utriusq; cauſa, quod nihil ſeriô tractent, remq; admodum parvam, atq; omni reprehenſione vacantem exiſtiment in Religione ludere aliquantulum, & eâ pro libidine abuti, prout opportunum & commodum eſſe videtur. Sed licitum non eſſe Neutraliſmo tali ſtudere in rebus, quas ſcire nos DEUS voluit, rationes evincunt; I. Quia DEus verbum ſuum nobis revelavit, quo amplectendo & diſcendo obſtringimur. Liberum ergo non eſt in hac doctrina ἘΠΈΧΕΙΝ, ac neutralem eſſe. II. Verbum DEI tantum unum

eſt, ſola hominum dogmata varia. Uno ergò hoc opus nobis erit. III. Unica quoq; doctrina eſt conſcientiam pacans, non poterimus ergo in amplectanda illa neutri aut indifferentes eſſe. IV. Chriſti dictum evidentisſimum eſt, *Luc. XI. qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Totum hominem ergo ſibi adjungi poſtulat, non neutrum eſſe patitur. Quo pertinet ſententia inter Chriſtianos non ignota: Allein mein/oder laß gar ſeyn. *Inſt. Noſtrum non eſſe lites dirimere.* Reſp. Nec poſci à te, ut ita determines veritatem, quo fiat irrefragabilis; Hoc enim inter *Reſervata DEI* eſt. Interim dum tibi æquè ac unicuique frugi Chriſtiano Verbum DEI cuſtodiendum eſt, non poteris te vel neutrum vel medium præſtare; Sic enim te Verbum DEI debita accuratione non cuſtodire teſtaris. In rebus humanis quidem ſecus eſt: Eas intelligimus, circa quas intellectus ſubindè ſibi verſandum ducit, & poteſt in iis aliquando medium teneri, ac ſententia ſuſpendi, ſi intricatæ & obſcuræ ſint, vel etiam captum noſtrum excedant. Sunt enim in naturâ permulta, quæ imbecillitas humani ingenii inveſtigare & perſcrutari nequit: Sic & in actionibus non pauca ſunt, quæ intellectum ſubterfugiunt, & nondum ſatis explicationis habent: Quædam etiam propter ignorantiam aut variationem circumſtantiarum perplexa ſunt, & judicium impediunt: Sed ipſa hæc omnia ad res Divinas retracta nolu-

Digitized by Google

nolumus, & licet aliquis ſenſa animi ſui omnia æque propalare haut teneatur, Chriſtiano tamen indignum eſt dubium animi pendere quid ſentiat: Prius eſt actus externus, eoque poteſtati noſtræ relictus, trahimusque huc Apoſtoli dictum *I. Corinth. VI. Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt.* At poſterius eſt cauſa, quæ inter DEum & hominem verſatur, cui ſine periculo maximo nos ſubducere non poſſumus.

# CAPUT XXIV.

## De VARIETATE RERUMPUBLICARUM.

*I. Fundamentum varietatis Rerumpublicarum. II. Remp. eſſe perſonam Moralem. III. Illuſtratio ſingularum Formarum Reip. An Respp. Liberæ habeant Majeſtatem? IV. Populum Statui Monarchico aſſuetum partam Libertatem difficile tueri ac conſervare poſſe. V. Modum adminiſtrationis nihil derogare Formæ Reip. VI. De controverſia de Rep. Mixta monitum. VII. De Forma Irregulari IIX. Mutationum Rerumpubl. cauſæ & Fatalia.*



Digitized by Google

I.

FUndamentum *varietatis Rerumpp.* in *Medit. Polit.* prolixè tractatum. Ejus ſumma eſt: Rempubl. Perſonam eſſe, cujus ratio, quia Jura Perſonarum in ſe translata ſuſcepit. Deinde eandem Perſonam Moralem eſſe, h. e., habere jura & actiones Perſonæ competentes, ſingularitate tamen exiſtentis ſubjecti deſtitui. Hinc tertio ipſam repræſentatione indigere, hoc eſt, perſona ſingulari, quæ jura & actiones Reip. competentes exerceat, atq; Perſonam Moralem Reip. recipiat ac repræſentet. Porrò varietatem hujus repræſentationis dependere ex univerſali ambitu numeri & diviſionis omnium rerum, ut vel uni attribuatur, vel aliquibus, vel omnibus. Neque enim in numerandis & dividendis rebus, partes plures fieri poſſunt, quam ſi vel unum, vel aliquas, vel omnes agnoſcamus. Quod in ipſis Philoſophiæ Rationalis principiis clarum eſt, quæ extra univerſale, particulare & ſingulare, quartum nullum agnoſcunt. Iterum verò applicationem hujus diſtributionis judicandam eſſe ex ingeniis hominum, & denique reſpectu eorundem ingeniorum uni formæ præ alterâ prærogativam concedi poſſe. Quo brevì conſpectu & neceſſitas diſtributionis Formarum Reipub. & applicatio ad ſingulas Reſpub. ſimulq; deciſio quæſiti, de prærogativa formarum iſtarum Reip. nititur, adeoq; ſimul omne id, quod *Med. Polit. hac Cap.* §. I. II. III. IV. prolixius exhibuimus.

II. Reſ-

Digitized by Google

II.

Reſpublica e. Perſona Moralis eſt, non tamen talis, quam fingamus, aut nobis ex conceptibus noſtris formemus, ſed quæ reverâ nobis etiam non cogitantibus exiſtit, atq; in unione iſta, qua ſinguli civium coaleſcunt, conſiſtit. Unde etiam non niſi attributa realia ipſi convenire neceſſum eſt. Si dicas, *ita fieri, ut perſona Moralis nomine non niſi reſpectus aliquis intelligatur*. Reſp. Ne hunc quidem ſufficere, ſed veram ac propriè dictam Perſonam, eandemque completiorem intelligendam eſſe, quam ſingulæ perſonæ ſingulares ſunt. Reſp. enim exiſtit, ſubſiſtit, intelligit, agit, quæ omnia requiſita veræ perſonæ ſunt. Reſp. ergò vera perſona eſt, collectiva tamen, h. e., ex ſingularibus perſonis, quæ minori amplitudine minoribusve juribus ſunt, compoſita, adeoq; Moralis.

III.

Status *Monarcbicus* Divinum in hiſce Terris Vicariatum maxime imitatur. In *Democratia* eſt plenior ſimilitudo Status Naturalis; Multi enim ſunt, qui concurrunt ad repræſentationem Majeſtatis, omnes verô libertatem æquè prætendunt, quod Statui Naturali maxime proprium eſt. *Ariſtocraticus* mediam inter utrumq; naturam, cum *Democratito* verò communē Libertatis Titulum poſſidet, ita tamen ut ille omnes, hic ſelectos tantum ea frui patiatur. At neutrum Orientales comprehendendo ſunt, quippe Regibus ſveti,

quod

quod ſenſerunt, qui *Belgarum* nomine in Aula *Regis Chinenſis* An. MDCLV. negociabantur, de quo Joh. Neuhoff Sin. Reiſe-Beſchreibung p. 161. Weiln die Herren Abgeordnete dieſe Art der Regierung nicht wohl faſſen und begreiffen konten / angeſehen den Tartarn und Chineſern keine andere Regierung / als welche ein einiger Oberherr hat / bekannt iſt / auch nicht wuſten / was durch den Nahmen Printz eigentlich verſtanden würde / ſo koſtet es den Geſandten faſt groſſe Mühe / Jhnen die Beſchaffenheit unſers Regiments oder Staats recht einzubilden / und that noch zuletzt die Jugend des Printzen von Ouranien das beſte bey der Sache / maſſen dieſelbe alſo auffgenommen ward / als ob die jetzige Geſandſchafft an den Chineſiſchen Käyſer im Nahmen des Printzen und Staats von Holland geſchehe / aber in dem Verſtande / daß wegen der Jugend oder unmündigen Jahre des Printzen / alle ſeine Güter wie auch das gantze Land durch den Reichs-Rath und des Printzen Mutter regieret wird.

*Autor Polit. Architectonicæ Lib. III. Ariſtocratiam* & *Democratiam* uno nomine Reip. Liberæ comprehendit: Quem ſuo ſenſu pateremur abundare, utpote dichotomiis Logicis forte operam daturum, niſi eodem capite & alibi paſſim palam teſtaretur, Reſpubl. haſce liberas ideo eſſe, quod Majeſtate prorſus careant, nec Majeſtati locum eſſe, niſi in ſola *Monarchia*. Cuncta ejus ut allegemus, quæ more ſuo, h. e., Oratoriè proponit, operæ pretium non erit, Summa eſt, *omnia vi pacti in Rep. Libera geri.* Ut *conſequerentur*, inquit

*theſ.*

*theſ. IV. publicum Ordinem ſuæ multitudinis; qualem obtinere in principatu videbant, opus erat omnium amica conſpiratione, ne gravarentur pro virili contribuere, quantum ordinationi huic communi conſilio, viribus, ſumptibus, impendendum erat. Ergò quod bene verteret omnium ſaluti, ſe quisque ad fortunas ſuas ſtabili pacto obſtringere publico egregio, & promittere contentiſſimam operam tranquillitati, & utilitati communi conſervandæ. Ubi tamen in modum mutuis pactionibus ſe obligaſſent, diſpiciebant inſtrumenta, quibus expedienda erant publicæ rei incrementa &c. Quibus ſubjungit enarrationem ſingulorum jurium Majeſtatis in Rep. Liberâ ex ſpontaneo hoc pactô, non ex Majeſtatis titulo fluentium.* Reſp: Rempubl. ſine Majeſtate conceptam nobis videri contradictionem in adjecto involvere. Reſp. enim eſt ſocietas ſibi ſufficiens ex *Cap. XI.* & hæc nunquam ſibi ſufficiens foret, niſi & imperaret. Conf. *Cap. XII. §. II. & IV.* Neq; *Majeſtas* aliud eſt, *quam facultas exercendi univerſa jura Reip.* ex *Cap. XII. theſ. III.* Ergò ſi jura ſunt in Rep. Libera, ſi etiam facultas exercendi ea, Majeſtas non deerit. Dicit ex pacto jura iſta exerceri in Rep. Libera: Sed nulla eſt conſequentia: Vi pacti exerceri hæc jura, ergo non titulo Majeſtatis. Ejus rationes in contrarium ſunt. I. *Quod Majeſtas iſta futura eſſet diviſibilis*, cui reſpondimus *M. P. Cap. XII. theſ. VII.* Majeſtatem nihilominus indiviſam manere, ſed hærere non in perſonâ ſingulari, verum Morali. II. *Majeſtatem à ſolo DEO eſſe:*

Digitized by Google

*eſſe*: Quod non negamus, ita tamen ut certo ſciamus, Deum & Univerſali & Speciali ſuo influxu cauſis ſecundis etiam relinquere, quod ipſarum eſt. Vid. *cit. Cap. XII. theſ. VII.*

IV.

Populum Statui *Monarchico* asſuetum partam Libertatem difficile tueri ac conſervare poſſe exemplo Populi *Anglicani* ſublato Rege *Carolo I. in Med. Polit. docuimus.* Rationem reddit *Machiavellus de Republica Lib. I. cap. XVI. Quia Plebs habeat ſimile quiddam cum fera, quæ etſi ſua natura in ſylvis paſtum quærere, & latebras ſuas habere ſoleat: ſiqua tamen captiva à teneris annis, in carcere nutrita fuerit, ea deinde, ſi in liberos campos libera dimittatur, neque paſtum quærere, neque latebras, in quibus ſe occultet, invenire novit; ita facilè rurſus incidit in caſſes cujusvis, qui illam deinceps venari conabitur. Idem accidit populo, qui conſuevit ſub aliorum imperio vivere, & ad nutum aliorum gubernari. Nam etſi caſu quodam libertatem conſequatur: tamen neque rationes novit, quibus ſe defendere aut alios offendere poſſit, nec cum principibus vicinis aliquam notitiam habet, per quos auxilium aliquod ſperare queat ad conſervandam libertatem. Itaq; ſponte redit ſub idem jugum aut etiam deterius, quam id, quod modo excusſerat.*

V.

Modum adminiſtrationis nihil derogare

For-

Formæ Reipubl. & *Democratiam Ariſtocratice, Ariſtocratiam Monarchice, Monarchiam Ariſtocratice* gubernari poſſe intega manente Forma Reipublicæ ex Jure Repræſentationis demonſtravimus. Idem clarisſime relucere putamus in ſpeculorum repræſentatione; Sic enim ſi primum ſpeculum, quod rem objectam recipit, nobis adverſum ſit, ut frui eo non poſimus, aliud ſpeculum novum à latere ponitur, quod imaginem ſimul ſpeculo, h. e. non tantùm imaginem rei objectæ, ſed etiam ipſius ſpeculi excipit, ſicque nobis exhibet: Similiter in regimine Tutorum, Curatorum ab omnibus illis, in quibus adminiſtratio â formâ Reipublicæ differt, quia Subditi primo Speculo, hoc eſt, ipſo Principe frui non poſſunt, quippe impari rebus gerendis, eidem alii â latere apponuntur, qui ipſius Speculi imaginem, hoc eſt, Perſonam Principis in ſe recipiant, eoque Principem ſubditis fruendum permittunt, obſcurius tamen ſ. minori cum proprietate, velut imago imaginis ſemper obſcurior eſt. Quæ quidem non probandi cauſa adducimus, univerſam tamen Vicariam ſeu adminiſtrationis facultatem in iis elucere autumamus.

## VI.

*Reſpublica Mixta* è duabus Simplicibus Formis conflata eſſe requiritur. Unde Quæſtio *an detur*, non ex eo pendet, an detur Resp. in qua adminiſtratio publicæ poteſtatis inæqualiter diſtri-

ſtribuatur, quod manifeſtisſimum eſt in omnium temporum annalibus, clarisſimeq; à *Tacito* propoſitum fuit. Sed in eo verſatur cardo controverſiæ: An Rebuspublicis ita ſe habentibus titulus Reipublicæ mixtæ, quam vulgò docent, applicari queat, quod *negamus*; Non ſunt enim Respublicæ mixtæ, quæ alia forma, alia adminiſtratione conſtant, ſed quæ ex duabus ſimplicibus formis coaluerunt, quas dari non poſſe in *Med. Polit.* docuimus.

## VII.

Qui in *Imperio* noſtro *Germanico Irregularem Formam*, eoq; nullam è ſimplicibus iſtis obſervarunt, modeſtiæ Termino videntur uſi eſſe, rati ita nec Statuum Juribus, nec gloriæ Imperatoriæ aliquid decedere. Monſtroſum vero ideo fieri, vel corpus Monſtro ſimile, quod feſtinanti *Monzambano* excidit *cap. VI.* §. *IX.* quodque prolixa verborum ſuppellectile inſectatur *Pacif. à Lapid. Diſc. XII. §. VI.* inconſequens eſſe putamus; Neq. enim monſtrum eſt, quod irregulare eſt. Fortalitia certè irregularia complura dantur, non tamen monſtra ideo h. e. exceſſu aut defectu quodam notabilia, ſed pro ſitus ratione à ſolita forma deflectentia. Eodem modo qui Imperium noſtrum dixerint irregulari forma eſſe h. e. pro temporis ratione à ſolitis quidem formis deflectens, tempore tamen mutato forſan ad aliquam ſolitarum formarum reducendum, nihil præter rem dixisſe forſan videbuntur. *Pacif. à Lapide*

urget,

urget, *non æſtimandam eſſe Rempublicam noſtram ex turbulentis temporibus; Quando enim de præſenti alicujus Reipublicæ Statu judicium ferre volumus*, inquit, *non ubicunque reſpicere debemus, quomodo olim & heri ratio Reipublicæ ſe habuerit, ſed quomodo hodie & nunc illa comparata ſit*. Reſp: Id ita quidem eſſe, ſed eo ipſo agnoſcere Pacificum Irregularem Rempublicam, h. e. pro temporis ratione à ſolitis formis adhuc deflectentem. Ipſe nempe agnoſcit à temporibus *Henrici* IV. Imperatoris, usque ad annum MDCXLVIII. h. e. totis quinque Seculis fuiſſe turbis involutum. Si hoc ita eſt, quid obſtabit, quo minus tàm longo tempori Formam Irregularem attribuat? Sed *pacem Monaſterienſem* inquit, *certam Reipublicæ Imperii formam dediſſe*. Reſp: I. Si dederit, modeſtiæ iſti Termino tamen nihil dum derogasſe. II. In eadem tantum repetitionem ac declarationem Jurium & Imperatoris & Statuum videri inſtitutam eſſe, quod in Recesſibus Imperator. antegresſorum temporum claret. III. Nec dubium eſt in eadem perficienda adhuc deſudari. Quorſum enim alias ante *XIX. annos in Capitulatione Leopold.* nunc in Capitulatione perpetuâ Imperii, item in militia, in matriculâ Imperii adornanda laboraretur, cum omnia hæc intima penetralia jurium Majeſtatis, & conſequenter ipſam Reip. formam attineant.

## VIII.

Ad *cauſas Mutationum Rerumpublicarum* in genere

genere pertinet, quod de *Regnis* ſcribit *Priolus* *Lib. II. num. 47. Neſcio quâ cauſâ occulta præter apertas hæc eveniat, ut cum in aliis artibus uſu homines diſcant, in hâc verò regendi contra, & Principes inclinent, non decurrant ad metam æquabiliter. Ex omnium obſequiis contemtum ſumunt. Grande enim illud Imperii pondus aliquamdiu rectâ cervice ſuſtineri vix poteſt ſemper. Laſſantur & ſe inflectunt, ubi nihil retinent præter bonæ famæ ſtudium, & ipſum honeſtum, ac præſertim religionem. Hactenus Priolus* E quibus facile dignoſcere eſt, cur rarò conſtantem Rerumpublicarum felicitatem videre eſt, & in ipsâ Proteſtantium cauſa ſi inde hodiernum teporem derivemus, nihil abs re nos facturos putamus. *Tempora fatalia* Rerumpublicarum revolutionibus deſtinata, jam *Bodinus, Tholoſanus*, aliiqve melioris notæ Politici agnoverunt. Nos partem Reſervatorum DEI in iis ſpectamus, & ne vetera exempla aliunde repetamus, evidentiſſimum exemplum noſtri Seculi fatalis ejusmodi & revolutionibus Rerumpublicarum famoſiſſimæ periodi ab Anno MDCXL. ad Annum MDCL. contemplamur. *Quam malignum aſtrum,* inquit *Priolus c. l. Lib. II. num. 47. Regna tunc afflabat: Vides eodem tempore fata Galliæ, vides Angliæ, Neapolis, Cataloniæ, & Luſitaniæ.*

Conf. *Cap. XII. §. V.*

# FINIS.

BRITISH 12 FE 80 MUSEUM



Digitized by Google

# INDEX CAPITUM MEDIT. POLIT.


I. De Natura Politicæ.
II. De Jure Gentium.
III. De Ratione Status.
IV. De Societate.
V. De Pactis.
VI. De Imperio.
VII. De Conjugio.
IIX De Societate Paterna.
XI. De Familiis.
X. De Societatibus Civilibus.
XI. De Republica.
XII. De Majeſtate.
XIII. De Legibus.
XIV De Judiciis.
XV. De Pœnis.
XVI. De Dignitatibus.
XVII. De Imperio Majeſtatis circa Sacra.
XIIX. De Imperio Majeſtatis in Res humani Juris.
XIX. De Subditis.




Digitized by Google

XX. De Tributis.
XXI De Dominio Eminenti.
XXII. De Fœderibus.
XXIII De Bello.
XXIV. De Varietate Rerum Publicarum.
Appendicis Loco, I. De Lege Regia. II. De Quarta Monarchia.

## NOMINA RESPONDENTIUM
ſecundum Ordinem diſputandi.

JOHANNES ALBERTUS à CALESIN, *Nob. Boruſſus.*

ERASMUS Fridrich Weißke / *Berolin. March*

JACOBUS Spengler / *Berolin. March.*

WILHELMUS Boye / *Boitzenb. Megapol.*

FRIDERICUS CAROLUS Roth / *Berolin. March.*

Adam Willhelm von Löben / *Nob. Luſat.*

Rüdiger George von Wedel / *Nob. March.*

Hanß George von Kalnein / *Nob. Boruſſ.*

Hanß Rudolff von Foſolt / *Nob. Boruſſ.*

SAMUEL Schonbeck / *Wrizena Marchicus.*

INDEX

Digitized by Google

# INDEX CAPITUM POLIT. PARALL.


I. PRÆCOGNITA Politica.

II. De JURE NATURÆ.

III. De RATIONE STATUS.

IV. De Societate.

V. De Pactis.

VI. De Imperio.

VII. De Conjugio.

IIX. De Societate PATERNA.

IX. De Societate HERILI.

X. De ACADEMIIS.

XI. De REPUBLICA.

XII. De MAJESTATE.

XIII. De Legibus.

XIV. De Judiciis.

XV. De Pœnis.

XVI. Breviarium DIGNITATUM.

XVII. De Imperio Majeſtatis circa SACRA.

IIX. De Imperio Majeſtatis in RES HUMANI JURIS.

XIX. De Imperio Majeſtatis in PERSONAS.

XX. De TRIBUTIS.

XXI. De DOMINIO EMINENTI.


XXII. De

XXII. De BELLO.
XXIII. De STATU PACIS.
XXIV. De VARIETATE RERUM PUBLICARUM.

# NOMINA RESPONDENTIUM
## ſecendum Ordinem diſputandi.

SAMUEL GNORRIUS, *Glogovia Sileſius.*

ANTONIUS WERNERUS MÜNTZ, *Dinslavia Clivenſis.*

CHRISTIANUS von der Marwitz / *Nob. Neo-Marchicus.*

WOLFGANGUS LUCAS Jeltſch / *Glogovia Sileſius.*

JOH. MAURITIUS Blaßpeil / *Clivenſis.*

ADAMUS EBERTUS, *Francofurtanus.*

GEORGIUS Schöneiche / *Beuthena-Sileſius.*

BRITISH 12 FE 80 MUSEUM

INDEX

Digitized by Google

# INDEX RERUM.

Litera M. *Meditationes*, Litera P. *Politica Parallela*, Numerus prior *Caput*, poſterior *Paragraphum* indicat.

## A.


CUr Abjurationes *Magicos Deus effectu gaudere permittat?* P. V. 8.

Academiarum *Natura, Privilegia, Functiones, Dignitates*. P. X. tot. *Cur Gradus Academici à Perſonis Illuſtribus inter Evangelicos nunc minoris fiant*. P. X. 15.

Accuſare *quid?* M. XIV. 3.

*An* Adulteria *ſint natura Capitalia?* XV. 6. *An Jure veteri Cæſareo fuerint Capitalia?* ib.

*Jus* Advocatiæ. *M. XVII.* 13. *P. XVII.* 15. *Imperator noſter cur* Advocatus Eccleſiæ? *M. XVII.* 13. *P. XVI. 7.*

Æqualitas *fundamentum Amoris Proximi. M. III.* 8. *Requiſitum Societatis. M. IV.* 10.

Æqvitas. *M. XII.* 8.

Æſopi *Fabulæ. P. I.* 6.

*Quo ſenſu Respp. ſint* Æternæ? *P. XII.* 2. *Pacis Æternæ explicatio. P. XXIII. 6.*

Affinitas. *M. IX.* 1. *Quo ſenſu Vir & Uxor ſint* Affines? *Ib.*

*Jus* Albinagii. *M. XXIII.* 12.

Alimentorum *Liberis debitorum nomine quid comprehendatur? P. IIX.* 4.


Bbb

Ama-

Amazonum *Reſpublica. P. XI. 5.*

*Juris occupatæ ab Hiſpanis* Americæ *examen. M. XXIII. 7.*

Amneſtia *M. XXIII. 11.*

Amoris *Dei, noſtri & proximi æquilibrium. M. III. 8. Amor Dei cæteris anteferendus. P. II. 12. & III. 4. Ecſtaſis Amoris in Moſe & Paulo. M. IV. 13. Amor in Societate Paterna cur deſcendat potius quam aſcendat? P. IIX. 3.*

*Cur* Anabaptiſtæ *in tot ſectass abeant? M. XVII. 3.*

Angliæ: *Urbes ejus cur careant muris? M. XI. 8. Shiræ. M. XI. 10. Judicia. M. XIV. 5. Pœna fortis ac dura. M. XIV. 5. Dignitates Officiariæ. M. XVI. 7. Convocationes Sacræ. M. XVII. 10.*

Anthropophagia *an cauſam Belli præbere potuerit contra Americanos. P. XXII. 7.*

Antiquitas *quid Familiis adjiciat? M. IX. 6.*

Apanagia. *M. IIX. 12.*

*Jus* Aperturæ. *P. XIIX. 5.*

Appellatio. *M. XIV. 7.*

Applicabilitas *requiſitum Societatis. M. IV. 10.*

Apum *Reſpublica non eſt Reguli & Subditorum, ſed congregatio maſculi & fœmellarum. P. VI. 2.*

*Probatio* Aqvæ Frigidæ. *M. XIV. 4.*

Archiduces. *M. XVI. 4. P. XVI. 14.*

*Barclaji* Argenis. *P. I. 6.*

Argentoratenſium *ob Homagium Imperatori præſtandum Controverſia. P. XIX. 7.*

*Orientales non poſſunt Statum* Ariſtocraticum *vel Democraticum capere. M. XXIV. 3.* Ariſtocratia *poteſt Monarchice adminiſtrari. M. XXIV. 5.*

Aſylæ

Aſyla. *M. XV.*23.
Auditor *Politicæ quid ſit apud Veteres. M. I.* 11.
Auguſti, Semper-Auguſti *Titulus. P. XVI.* 7.
*Artem* Aurum *conficiendi non utilem fore humano generi. M. XIIX.* 4.
Autoritas *quid. M. VI.* 5.

## B.

BArbarorum *à Gentibus Politioribus diſcrimen. P. II. 7. & XI. 7.*
Barones. *M. XVI. 4. P. XVI.* 17.
Belli *neceſſitas ac demonſtratio. M. XXIII. 1. P. XXII. 1. Definitio. M. XXIII. 2. A quibus geri poſſit. M. XXIII. 3. De juſtis cauſis Belli. M.* XXIII. 4. *An metus cauſa ſuſcipi poſſit. M.* XXIII. 4. *Effectus Belli, M.* XXIII. 10. *An Bellanti liceat locum occupare in ſolo pacato. P.* XXI. 6. *Belli navalis deſcriptio. P.* XXII. 10.
Benedictio Sacerdotalis *quo ſenſu ſit de eſſentia Conjugii? M. VII. 8.*
Bona Eccleſiaſtica *neceſſaria eſſe. M.* XVII. 13. *Eadem rectè opimis reditibus aucta fuiſſe. ib. Poſſe ſeculariſari. ib. & P.* XVII. 15.
*Cur* Bonum Publicum *Privato ſit præferendum. P. III. 4. M. IV. 3.*
Bruta *cur careant ratione in tanta actionum eorum cum humanis ſimilitudine. P. II. 3. Eorum virtutes non ſunt veræ virtutes. ib. Non ſunt Animalia Politica aut Socialia.* ib. *& M. IV.* 8. *Imperium Brutorum.* P. *VI.* 2. *&* XII. 9.



Digitized by Google

# C.

*Pœna* Cadaveribus *intentata*. *M.* XV. 10.
*Cur Proteſtantes* Calendarium Novum *recuſent*? *M.* XVII. 9.
Canis *pro Rege habitus*. *P.* XII. 9.
Capitatio. *M.* XX. 5.
Captivatio Rationis *in quo conſiſtat*. *M.* *VI*. 8.
*Cur* Captivos *occidere liceat*. *M.* XXIII. 10.
*Cur* Cannifices, Lictores *abominationi ſint*: *M.* XV. 3. P. XV. 4.
*Caroli I. R. Angliæ Martyrium*. *M.* XV. 9.
*Titulus* Catholici *explicatus*. P. XVI. 8.
*Lex* Charitatis *à Principe in Subditis exercenda*. P. XXI. 8.
*Provocatio ad Tribunal* Chriſti. M. XIV. 8.
*Titulus* Chriſtianiſſimi *explicatus*. P. XVI. 19.
Circulorum Imperii *explicatio*. M. XI. 10. Circuli Reformatorum *in Gallia*. ib.
Civitas *non differt à Republica*. M. XI. 2.
Civis *quid*? M. XIX. 10.
*De* Clapmarii *Arcanis judicium*. *M.* *I*. 5.
*Cœlibatus conſideratio*. *P.* *VII*. 9.
Cogitationis Pœnam nemo patitur, *explicatum*. P. XV. 4.
Collegia. M. X. 7.
Comitia. M. XIX. 11.
Comitum *Dignitas explicata*. P. XVI. 16.
Comites Palatini. M. XVI. 4.
Commercia. M. XIIX. 3.

Com-

Communio Rerum *an olim viguerit? M. VI. 13. P. VI. 7. Quid de Communione Fœminarum Platonica. M. IV. 6.* P. *IV. 3.*

Compendia *Politica qualia. M. I. 9.*

Conciliorum *uſus & autoritas.* P. XVII. 14. *Jus indicendi ea eſt Principis.* M. XVII. 10.

*An Princeps Subditos cogere poſſit ad audiendas* Conciones. P. XVII. 12.

Conditionalis *Politice æquipollet Affirmativa.* P. XIX. 9.

Confraternitates. M. IX. 8.

Conjugii *Definitio. M. VII. 3. An ſit Præceptum. P. VII. 1. Requirit conſenſum contrahentium. M. VII. 4. Magiſtratus. M. VII. 5. Parentum. M. VII. 6. 7. Nec requiſitus iſte conſenſus Superiorum præjudicat Libertati ejus. P. VII. 2. Quo ſenſu Benedictio Sacerdotalis ſit de eſſentia ejus. M. VII. 8. Finis Conjugii. M. VII. 9. Perſona conjugenda. M. VII. 10. Conjugium Virgineum S. Mariæ & S. Joſephi. P. VII. 5. Conjugium Parentum & Liberorũ cur adverſetur Naturæ. P. VII. 7. M. VII. 13. Cur inter Fratres & Sorores illicitum ſit. M. VII. 13. Cur Conjugium individuum ſit? M. VII. 11. Æqualitas Ætatis, Fortunæ, Religionis inter Conjuges. M. VII. 14.*

Conſangvinitas. M. IX. 1.

Conſiliarii. M. XVI. 8.

Conſvetudo *eſt fluxus Exemplorum.* P. XIII. 11.

*Merces* Contrabandæ. P. XIIX. 2.

Contributio per æs & libram. M. XX. 5.



Digitized by Google

*De* Controverſiis *Theologicis*. P. XVII. 9.
Converſationis *diſcrimen à Societate*. *M*. *IV*. 11.
*Expeditiones* Cruciatæ *mediorum ſeculorum*. *M*. XXIII. 6. *P*. XXII. 6.
Crimen læſæ Majeſtatis *expenſum*. M. XII. 12.
Cruentatio *Cadaverum*. M. XIV. 4.

D.

Defendere *quid*. M. XIV. 3.
Delictum *quid*? M. XIII. 11. *Cur creſcentibus Delictis Pœnæ debeant creſcere*? M. XV. 5. *An aliquis teneatur Delictorum alterius*. M. XV. 6. *Diſcrimen Delictorum capitalium ex Natura*, & *capitalium ex Lege*. P. XV. 5.
Denarius *Petri apud Anglos*. P. XX. 3.
Denunciationis Bellicæ *neceſſitas*. M. XXIII. 9.
*Ritus* Depoſitionis *Academicæ*. *P*. *X*. 4.
*Jus* Deportus. P. XIIX. 5.
*Loca* Deſerta *cur ſint primi occupantis*. *P*. *VI*. 4.
*Jus* Detractionis. M. XXIII. 12.
*Cur* Dextra *apud nos dignior ſit Siniſtra*. *M*. *VI*. 3.
Dignitatis *natura*. *M* *VI*. 5. *P*. XVI. 1. *Ejus cauſa Agnitio Reip*. M. XVI. 2. P. XVI. 1. *Ejusdem Character indelebilis*. P. XVI. 1. *Cur Dignitates etiam extra Remp. conferantur*? M. XVI. 3. *An juvet eas multiplicari*? M. XVI. 5. *Breviarium Dignitatum*. P. XVI. tot. *Dignitates Civiles*. P. XVI. 2. & *ſeqq*. *Sacræ*. P. XVI. 19. *Eqveſtres*. P. XVI. 20. *Academicæ*. *P*. *X*. 11. *ſeqq*. *Dignitates Officiariæ in Imperio noſtro*, *Anglia*, *Svedia*. M. XVI. 7.

Cur

Digitized by Google

*Cur* Diſcentem *oporteat credere.* M. VI. 6.

Diſpenſatio *explicata.* P. II. 10. M. XIII. 8. *Ejus diſcrimen ab Æquitate.* M. XIII. 8. *Diſpenſatio circa Jus Naturæ. P.* II. 20. *Diſpenſatio in Juramentis. P. V. 8.*

Divortii *natura & exempla.* P. VII. 9.

Doctores Theologiæ *an à Concilio Latemnenſi inſtituti.* P. X. 12. *De* Doctoribus Juris *iniqua Hyppolithi à Lapide & Bocalini ſententia.* P. X. 13. Doctores Muſices. P. X. 14.

Dominium Eminens M. XXI. *tot.* P. XXI. *tot.*

Donativorum *ſtatorum miſſio an Tributariam efficiant Remp.* M. XXI. *Eorum exempla in Imperatore noſtro, Imperatore Turcico, Rege Polonorum.* P. XX. 3.

Ducum *Dignitas.* P. XVI. 14. Duces Nati. *ib.* Magni Duces. *ib. & M.* XVI. 4.

Duellorum *illegalitas.* P. XXII. 2.

Duri de Paſculo *verum Nomen. M. I.* 5.

# E.

Eberhardus à Weihe *vindicatus. M. I.* 5.

Eccleſia *eſt in Rep. non Reſpublica in Eccleſia.* M. XVII. 3. P. XVII. 2. *Jus ferendi* LL. Eccleſiaſticas *quomodo Principi competat?* M. XVII. 7.

*Vocis* Ehrlich *explicatio.* M. XVI. 16.

*An Princeps non qua Princeps, ſed qua* Epiſcopus *Sacra curet?* M. XVII. 5. P. XVII. 3.

Eqvites *Clinodiorum, Aurati, Cruciati.* P. XVI. 20.

Exemplis *æque ac Legibus pugnari poteſt.* M. XIII. 10.

*Pœna* Exilii *examen.* P. XV. 7.



Digitized by Google

# F.

Familiæ *quid ſint?* M. IX. 3. & M. X. 7. *Cur fruantur communione Nominis Gentilitii & Honoris?* M. IX. 3. *Cur communione Damni?* M. IX. 5. *De Familiarum Illuſtrium ſuſpecta & vera Antiquitate.* M. IX. 6.

Fatalia *Rerumpp.* P. XXIV. 8.

Feræ *cur pertineant ad Remp.* P. VI. 6. *An qui* Feras *occidunt. ſupplicio Capitali poſſint affici?* P. VI. 6.

*Jus* Ferias *ordinandi eſt Principis.* M. XVII. 9. P. XVII. 13.

Feſta *à Principe indicta quo in loco habēda?* P. XVII. 13.

Fœderum *natura, varietas &ſſ.* M. XXII. *tot.*

*Communio Sexus* Fœminei *Platonica explicata.* M. IV. 6. P. IV. 3.

*An* Fœminæ *ſint capaces Imperii?* M. VI. 3. *Imperii Fœminei incommoda.* P. VI. 3. *Cur Maſculina Nomina ſæpe aſſumſerint?* M. VI. 3. *Diſſertatio,* Mulieres non eſſe homines, *quo animo ſcripta?* P. VI. 3.

Fortalitiorum *neceſſitas.* M. XI. 9.

Fortuna *quid ſit? M. I.* 7.

Furioſi *quo ſenſu capaces Imperii?* M VI. 4. & XII. 8. *Furioſorum* Pœna. P. XV. 5.

# G.

Galliæ *tres Claves ad alias Regiones.* M. XI. 9. *Ejus ſingulare in ſervis.* M. X. 6. Galliæ Regum *Inaugurationis ſingularia.* P. XVI. 21. *Titulus Chriſtianiſſimi.* P. XVI. 9. *Eorundem Fœderum cum Turcis Excuſatio.* M. XXII. 4.



Digitized by Google

Generatio. M. IIX. 1.
Gens *quid ſit?* M. IX. 7.
*Conſenſus* Gentium *an Jus Naturæ efficit?* P. II. 6. *An Jus Gentium?* M. II. 4.
Gratitudinis *demonſtratio.* M. IIX. 5.
Hug. Grotii *Libri de J. Belli & Pacis.* P. I. 5.

## H.

*Cur* Hæreſes *primis ſeculis copioſiores fuerint?* M. XVII. 3.
*An* Hæretici *ſint digni* I*mperio?* M. XII. 9.
*Cur* Henricus Auceps *Rex non* I*mperator dici voluerit?* P. XVI. 3.
Henrici IV. *R. Galliæ tranſitus ad Religionem Catholicam examinatus.* M. III. 8.
Heroum *filii noxæ.* P. IIX. 6.
Hiſpaniarum *Regis Titulus.* P. XVI. 8. *Amplitudo* Regni Hiſpanici. *Cap. de* IV. *Mon.* §. IV.
Hiſtorici *Veteres cur recentibus poſtponendi?* M. I. 10.
*Thomæ* Hobbes *Liber de Cive.* P. I. 5.
Homagium. M. XIX. 6. P. XIX. 7.
*An* Homines *emi aut vendi poſſint?* P. XIIX. 2. *Quo ſenſu* Homo *natura ſit Animal Sociale?* M. IV. 7.
Honoris *Fundamenta.* M. IIX. 5. *Honoris* P*arentibus debiti explicatio & partes.* ib.
*Quousq;* Hoſtem *lædere liceat?* M. XXIII. 10. P. XXII. 1. & II.
Hungariæ *Comitatus cur* die Geſpanſchafften *dicantur?* M. XI. 10.

# I.

*Cur Deus* Pœnam Idololatriæ *ad Liberos extenderit?* M. IIX. 2. & XV. 13.
*An* Jephthe *occiderit filiam ſuam?* M. IIX. 5.
Imago Divina *in homine in quo conſiſtat?* P. II. 3.
Imperium *quid ſit?* M. VI. 1. *Unde fluat?* M. VI. 2. *Cur ſoli homini in his Terris divinitus attributum ſit?* M. VI. 2. P. II. 3. *Cur non omnes homines Imperii æque capaces ſint?* M. VI. 4. *An Fœmina ejus capaces ſint?* M. VI. 3. P. VI. 3. *Cur vir & c. Imperiũ* Privatum & Publicum. M. VI. 14. *Imperium* Privatum Publico *comprehenditur.* ib. I*mperii Maritalis cauſa & Limites.* M. VII. 15. *An à maledictione Divina ortum ſit?* P. VI. 8.
Imperii Germanici *Judicia.* M. XIV. 1. *Circuli.* M. XI. 12. *Dignitates.* M. XVI. 7. *Religiones.* M. XVII. 1.
Imperatoris *Titulus.* P. XVI. 3. & 7. *An* I*mperator dici poſſit Tributarius Turcarum.* M. XX. 1. P. XX. 3.
Impoſſibilia *naturaliter & moraliter talia.* P. V. 4.
*An* Inceſtus *Decalogo prohibitus ſit?* P. II. 7.
*Jus* Indigenatus. M. XIX. 8.
Infantes *an capaces* I*mperii.* M. VI. 4. & XII. 8.
*An Reſp.* Innocentem *dedere poſſit?* M. XXI. 9.
Inſidiæ. M. XXIV. 9.
Inſignia *quid ſint?* M. IX, 4. *Eorum antiquitas, Partes, Scientia.* ib.
Interpretatio *Legum triplex quo ſenſu capienda?* P. XIII. 10.
Judæorum *admiſſio & tolerantia.* M. XIX. 9.

Judeo-

Judæorum *vetus Reſp. fuit Theocratica*. M. xxiv. 7.

Judicia, Judicare. M. xiv. 1. *Judiciorum Superiorum & Inferiorum Syllabus*. ib. *An in Statu Naturali locus detur* Judiciis? P. xiv. 1.

Judicia *Dei*. M. xiv. 4. P. xiv. 2.

*Occulta* Judicia in Weſtphalia. P. xiv. 3.

*Utrum* Judex ſecundum Acta & Probata *an ſecundum conſcientiam judicare debeat*? M. xiv. 6. P. xiv. 4.

*An à re ſit Deciſiones Caſuum* Judicio Naturali *neglectis Legibus committi*? P. xiii. 4.

Judithæ *facinus an approbandum*? P. xxii. 11.

Juramentorum *conſideratio*. P. V. 8. *Quid addant Promiſſo*? M. v. 10. & xix. 6. *Cur Judiciis adhibeantur*. M. xiv. 3.

Juris Gentium *Definitio*. M. II. 1. *Ejusdem illuſtratio ex Jure Civili*. M. II. 2. *An conſiſtat in Conſenſu Gentium*? M. II. 4. *Cauſa ejus*. ib. 5. *Subordinatur Juri Naturæ*. ib. 6. *Differt tamen ab eo*. ib. 8. 9. *Apud omnes idem eſt*. ib. 11. *Æque notum eſt*. ib. *Eſt perpetuum*. ib. *Immutabile*. ib. 12. *Quo ſenſu ipſi aliquid addi vel detrahi poſſit*. ib. Jus Gentium *Primævum & Secundarium*. ib. 7. *Aliarum diviſionum J. G. examen*. ib. 13.

Juris Naturæ *Definitio*. P. II. 1. *An in Bruta cadat*? M. iv. 9. *Imperatoris verborum de J. N. conſideratio*. P. II. 5. *Quomodo differat à J. G.* M. II. 6. 7. 8. P. II. 12. *An differat à Decalogo*? P. II. 7. *An conſiſtat in Conſenſu Gentium*? P. II. 6. *An*



Digitized by Google

*Diſpenſationes admittat?* P. II. 9. *Tria vulgo nota Principia Juris inter ſe non differre.* P. II. 8. *Jus N. Primævum & Secundarium.* P. II. 10. *Jus N. Gubernans & Gubernatum.* M. IV. 9. *Rami Juris N.* P. II. 11. *An ob violatum Jus N. Remp. alienam invadere licet?* M. XXIII. 6.

Juris Civilis *Romanorum excellentia.* P. XIII. 4.

Jus Regium 1. *Sam. IIX.* M. XXI. 5.

Juſſio, Juſſum *quid ſit?* M. VI. 5.

Juſticia *Commutativa & Diſtributiva.* M. XV. 20. *Ad quem Pœna pertineat?* M. XV. 20. 21. *Quid de Juſticia vindicativa?* M. XV. 20.

Juſtiniani *Imp. vindices.* Cap. de L. Reg. §. 10.

Juvenes *quo ſenſu ſint idonei Auditores Politicæ?* M. II. 11.

L.

Landgravii. M. XVI. 4.

*Pacta cum* Latrone *non neceſſario ſervanda.* M. V. 4. 5.

Legati. XVI. 9. *Legati à Latere.* ib. *Legati nati.* ib. *Legati ſunt inviolabiles.* ib. *Belgarum Legati non acceptant munera.* ib.

Legis *Natura* M. XIII. 1. *Diſcrimen à Conſiliis & Mandatis.* ib. & P. XIII. 1. *Dependet à voluntate Legislatoris.* M. XIII. *Quo ſenſu Ratio ſit anima Legis.* P. XIII. 2. & M. XIII. 3. *An LL. Divinæ Reip. Iſraeliticæ olim latæ nos hodienum obliget?* M. XIII. 3. P. XIII. 3. *Quibus Leges ferantur?* M. XIII. 4. *Legum vis obligandi.* M. XIII. 5. *An LL.*

Digitized by Google

*alternative obligent?* P. XIII. 7. *An LL. injuſta obligent?* M. XIII. 5. P. XIII. 6. *An contradictoria?* M. XIII. 5. *Legum gemina vis Directiva & Coactiva.* M. XIII. 6. *Legum executio, promulgatio, Brevitas, ſcriptio.* M. XIII. 7. *Legum Interpretatio.* M. XIII. 8. & P. 13. 10.

LL. Morales. M. XIII. 9.

LL. Fundamentales. M. XIII. 9. & P. XIII. 8. *Non præjudicant Majeſtati.* P. XIII. 8.

LL. Affirmantium & Negantium *Diſtinctio nulla eſt.* P. XIII. 9.

Lex Regia. M. XII. 6. & *Diſſ. de L. Regia tot.*

Liberi: *Multitudinis Liberorum Commoda & Incommoda.* P. IIX. 2. *Cur Liberis alimenta debeantur?* M. IIX. 3. *Omnibus?* ib. *Eorum Jus repræsentandi Parentes.* P. IIX. 6. *Sequuntur Parentum conditionem.* M. IIX. 7. *Succedunt Parentibus.* M. IIX. 8. & *ſeqq.* *Liberi Naturales.* *M.* IIX. 13. *Cur deteriori conditione ſint?* P. IIX. 9.

Libri Dogmatici *in Politicis.* M. I. 5.

Libri Hiſtorici *in Politicis. M. I. 10.*

*An è re ſit* Libros *ſcribi, quibus vitia hominum exhibentur?* M. I. 8. Librorum prohibitorum *ratio & exemplo.* P. XVII. 11. *Librorum multitudo coercenda. P. XVII. 11.*

Lupanarium *tolerantia. P. VII. 9.*

## M.

*De* Machiavello *varia. M. I. 6. 7. 8.*

Majeſtas *quid ſit? M. XII. 3. Majeſtas Nomen Dignita-*

Digitized by Google

*gnitatis.* P. *XVI.* 4. *Majeſtatis cauſa. M.XII.*4.6. *Subjectum M. XII.*7. *Infantes, Fœminæ, Furioſi quomodo ejus capaces? M. XII.*8. *Quomodò Hæretici & infideles? M. XII.* 9. *Cur Tutores & Curatores Regnorum non habiant Majeſtatem? M. XII.*10. *An Reſpp. Liberæ habeant Majeſtatem. P. XXIV.*3. *Majeſtatis Abſolutæ & Limitatæ diſcrimen. M. XII.*11. *Realis & Perſonalis.* ib.
*Jura* Majeſtatis *v. Regalia.*
Majoratus *conſideratio. M. IIX.*8.
Mamzeres *explicati. P. IIX.*9.
Mancipiorum *commodo. P. IX.*4.
Mandata. *M. XIII.*10.
*Manumiſſio. M. X.*6.
*An* Mare *ſit capax Imperii? M. VI.*11. *P. VI.*5.
Margarithæ *Comitis Hennebergicæ numeroſus partus. M. IIX.*1. *P. IIX.*
Maritus. *M. VII.*10. *Imperii maritalis cauſa ac Limites. M. VII.*3.
*An* matres *terreantur lactare protenſum? M. IIX.*4. *P. IIX.*4.
*Martyres veteris Eccleſiæ & hodierni. M. XV.*9.
*An* mendacii *argui poſſimus, ſi Pactum cum Latrone initum non ſervemus. P. V.*5.
Merces *quid ſit. M. V.*11.
Meritum *quid ſit. M. V.*11.
*Cur qui S.* Miniſterio *addicti ſunt Characterem ferunt indelebilem? M. V.*13.
*Supremi* Miniſtri *Rerumpubl: M. XVI.*8.
*Henricus* Momorantius *ſolo Naturæ ductus licet*

medio

Digitized by Google

*medio primorum etiam literarum elementorum ad ſumma rerum peremit. M. I. 4.*
Monarchia Univerſalis *an exſpectanda ſit. M. App. II. 6.*
*Quarta* Monarchia *Scriptores Cap. de Qu. Mon. 1. Quid ſignificet?* ib. 7. 8. Monarchiæ *Nomen hic uſurpatum non ſignificat Imperium Eminens.* ib. 3. 4. *Romanum Imperium non eſſe* Quartam Monarchiam. ib. *11. & ſqq. Sed Succeſſores Alexandri.* ib. *16. & ſeqq. Decem Reges Quartæ* Monarchiæ *demonſtrati.* ib. 17.
Monarchiæ *veterum Rerumpp. P.* XXII. 3.
*De* vita Monaſtica. *M.* IV. 12. *Unde obligatio ejus. M. V. 13.*
Moneta. *M.* XIIX. 4.
*Cur* Monſtra humana *averſemur.* P. IIX. 1.
*Deſiderata in* Moralibus. P. I. 2.
*Cur qui in* Montanis *habitat, aut à commerciis remotiores ſint minus politos* Mores *habeant. M.* XIIX. 3.
*Tributa à* Mortuis *petita.* P. XX. 6.
Mulier V. *Fœmina.*
Munia nem. *Ægyptiacarum exportatio per mare cur periculoſa.* P. VI. 5.

# N.

Naturaliſatio. M. XIX. 8.
Nepotis mi *Pontificii vitia. M.* XVI. 4.
Neutralitas. P. XXIII. 7.
Nobilitas *Virtutis cur non ſit vera Nobilitas. M.* XVI. 9.

Nori-

Digitized by Google

Noribergenſium *terribile Privilegium*. P. IIX. 5.
Nuncii *Apoſtolici*. M. VXI. 9.
Nundinæ. M. XIIX. 5.

## O.

Obedientia *quid ſit*. *M*. VI. 8.
Obligatio *quid ſit*. M. V. 9. *unde fluat*? M. X. II. 5. *Ejus ratio*. M. XXII. 6. *Obligationum publicarum circumſtantiæ*. ibid.
Obſides. ibid.
*De* Occultis *non judicat Eccleſia*. P. XIV. 5.
*Cur* Oeconomica *minus exculta ſit*? P. I. 3. *Deſideratum* Profeſſoris Oconomiæ *in Academiis*. P. X. 10.
Orbitas *feliciſſimorum*. M. IIX. 2.
Ordalia *veterum*. *M*. XIV. 4.
Orientales *non capiunt Statum Ariſtocraticum vel Democraticum*. *M*. XXIV. 3.

## P.

Pactum *quid ſit*? M. V. 1. Pacta *ſunt Juris Gentium*. P. V. 2. *Cur non poſſimus* illicita vel impoſſibilia *paciſci*. *M*. V. 3. Pacta ſpecialia *cur derogent Generalibus*. P. V. 3. *An ſi illicita pacti ſimus, iis ſtare oporteat*? M. V. 6. *Cur* pacta priora *derogent poſterioribus*. ibid. *An* Pacta meta *extorta valeant*. M. V. 5. Pacta cum Latone *cur invalida ſint*. P. V. 4. *Cur ne* Juramento *quidem addito valeant*. P. V. 4. *Pacta cum Infantibus, minorennibus, Fœminis, Ebriis, Brutis*. M. V. 7. *Pacta Errantium ſunt invalida*. M. V. 7. & P. V. 7. *An cum hoſte paciſci poſſimus*. M. V. 8. *Obligationis Pactorum*

Digitized by Google

*rum cauſa. M. V. 9. Pacta publica & privata. M. V. 12. Cur Iſraelitarum Pactum cum Gibeonitis ſervandum fuerit. P. V. 7.*

Pagus. *M. XI. 7.*

Paragium. *M. IIX. 12.*

Parentes *qui. M. IIX. 1. Societatis Paterna dignitas. M. IIX. 2.*

*Poteſtas* Patriâ. *M. IIX. 6.*

Patriarchæ *qui dicti. M. IX. 7.*

Partus *ſequitur Ventrem, quare & quando. M. IIX. 7.*

Pax. *M. XXII. 11. De Pace. P. XXIII. tot. Pax perpetua non expedit Reip. P. XXIII. 5. Pacis æternæ explicatio. P. XXIII. 6. Pax Univerſalis exſpectanda non eſt,* ib.

*Quo ſenſu* Pecunia *ſit nervus Belli. P. XXII. 9.*

Pennaliſmus. *M. XIX. 8.*

Peregrinorum *admiſſio in Remp.* ib. *P. XIX. 12. An officiis admovendi. M. XIX. 8.*

*Cur* Perſonæ *Illuſtres plurali nomine utantur. P. XVI. 5.*

Philippi II. *Hiſp. Regis Taciturnitas. M. III. 12. Curavit interfici unicum filium ſuum Carolum, ejus cauſa & Circumſtantia. M. IIX. 5.*

Pignora. *M. V. 9.*

Pœna *quid ſit? M. V. 11. & XV. 2. Fundamentum Pœnarum. P. XV. 1. Cur minima ſæpe graviſſimè puniantur? M. XIII. 2. & XV. 17. Pœna Damni & ſenſus. M. XV. 1. Jus puniendi eſt ſolius Magiſtratus. M. XV. 3. P. XV. 2. Non poſſumus eſſe Inſtrumenta Pœnarum noſtrarum.* ibid. *Optio*



Digitized by Google

*Pœnarum eſt licita.* ib. *Cogitationis Pœnam nemo patitur. M. XV. 6. P. XV. 4. De pœnis poſterorum. M. XV. 11. 12. 13. 14. Æqvivalens Pœnarum qvale? XV. 16. Pœnarum finis. M. XV. 22. An Reſp. una alteram punire poſſit? M. XXIII. 7.*

Poëtarum *coronatio. P. X 16.*

Politica: *Ejus definitio. M. I. 2. Politica diſcrimen ab Ethica. M. I. 2. & 12. Ejus objectum. M. I. 3. Fuiſſe qvi potuerint ſine doctrinâ ad ſummum Politicæ uſum venire. M. I. 4. Compendia Politices qvalia. M. I. 9. Politicæ diſcrimen à Jure Gentium. M. I. 12. A Jure Publico.* ibid. *Politica quo ſenſu præſtantior Ethica.* ibid. *Primum Principium Politicæ. M. II. 1. Methodus Politicæ. M. IV. 1. Scriptores de Natura Politicæ. M. I. 12. Politicorum ſyſtematum defectus. P. I. 1.*

*Cur ſingularibus hypotheſibus in* Politicis *opus ſit? P. I. 4.* Politicæ *pars Generalis & Specialis. P. IV. 1.*

Politici: *In Gallia Nomen factionis. M. I. 1. Politice-Catholici.* ibid. *Politicum ſimulare poſſe. M. III. 13.*

Poloni *cur Peregrinos ante hac Regno admoverint. M. XIX. 9. Cur Piaſtus præſtaret?* ibid.

*Quid de* Polygamia *ſentiendum? M. VII. 10. Polygamiæ conſideratio. P. VII. 3.*

Poteſtas *Architectonica & Dogmatica in Sacris. P. XVII. 4. An ſint compatibiles. P. XVII. 8.*

Præmium *quid ſit? M. V. è.*

*Quo valor* Prætenſionum *Illuſtrium. M. XXIII. 5. Non eſſe è re Rerumpub.* Prætenſionibus *prorſus abſiſtere. P. XXII. 5.*

*Jus*

Digitized by Google

*Jus* Primogenituræ. *M. IIX. 9. 10. Quouſque ſe extendat? M. II. 11. Juris* Primogenituræ *ratio. P. VIII. 7. & 8.*

Princeps*: Quo ſenſu requiratur non bonus. M. I. 7.* Magni Principis *Titulus. M. XVI. 4. An Princeps poſſit deponi? An excommunicari? An ſacra communione arceri. P. XII. 7. Princeps non eſt ſubjectus legibus, nec tamen iisdem ſolutus. P. XIII. 3.*

*An* Privilegia *poſſint auferri per Dominium Eminens. P. XXI. 7.*

*Deſideratum* Profeſſoris *Pietatis, Neceſſitatis, Oeconomiæ. P. X. 8. & 10.*

*An* Promiſſio *Latroni facta ſervanda? M. V. 4. 5.*

Proprietas *quid ſit. M. VI. 8. Initia.* ibid. 10 *An mare ſit capax proprietatis. M. VI. 11. P. VI. 5. An feræ aves &c.* ibid. 12.

Proſelyti *Juſtitiæ & Domicilii ap. Hebreor. P. XIX. 13.*

Protectores Rerumpub. *M. XI. 4. Protectoratus Rerumpub. P. N. 4.*

Provocatio *ad Tribunal Chriſti M. XIV. 8.*

Prudentia *quid ſit? M. I. 2.*

Purgationes Canonicæ & Vulgares *M. XIV. 4.*

Puffendorffii *Libri de J. N. & Gentium.* P. *I. 5.*

# R.

Rationis *definitio P. II. 2. Cur Cognitio reflexa Rationem indicet. P. II. 2.*

*Quid ſit Dictamen* rectæ Rationis. *P. II. 1.*

*Captivatio* Rationis *in quo conſiſtat. M. VI. 8.*



Digitized by Google

Rationis Status *ſedes Diſciplinaria. M. III. 1. Vocis evolutio.* ibid. 4. *Amplitudo in publicis, privatis, malis etiam.* ibid. 5. 6. *Definitio.* ibid. & *P. III. 3. Limites.* ibid. 8. *Partes.* ibid. 9. *Requiritur obliqua & arcana eſſe.* ibid. 10. 11. 12. *Cur aliquando contra LL. tendat. 10. 11.*

Ratio Status *cum Myſteriis comparata. P. III. 1. Ratio Status à Scriptoribus Rerumpub. tradita non eſt talis.* ibid.

*Principiorum* Rebellionis *excuſſio. M. XIX. 5. & P. XIX. 5.*

Regalia *Majora & Minora, quomodo diſcrepent. M. XIIX. 6. & P. XIIX. 6.*

Regius *titulus. P. XVI. 2. Regia laus eſt de alieno certare expl. P. XXII. 8.*

Regnum *limitatum. M. XXII. 7. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, expl. P. XXI. 5.*

Reinicke Fuchs. *P. I. 6.*

*An in cauſis* Religionis *Inqviſitio fieri aut Pœna ſtatui poſſint. M. XV. 7. Jus Religionem mutandi quomodo Principi competat? M. XVII. 8. Religionum prædominantium in variis Rebuspubl. Syllabus. M. XVII. 12.*

*Chriſtiani* Remiges *apud Turcas non peccant, ſi contra Chriſtianos jubeantur Remos agere. P. XIII. 6.*

*Jus* Repreſſaliarum. M. XXII. 12. *Reſpubl. ſunt æternæ.*

Reſervata Dei. M. XII. 4. & P. XII. 3.

Reſpub. *definitio.* M. XI. 1. & P. XI. 1. *Non differt à Civitate.* ibid. *Cauſa Reip.* M. XI. 2. *Reſpp. rebus*



Digitized by Google

*coævas.* ibid. 3. *Reſp. poteſt eſſe ſine Societatibus minoribus.* M. XI. 6. *Reſp. proprietates.* M. XII. 2. P. XII. 1. *Varietatis Rerump. fundamentum.* M. M. XXIV. 1. *Ipſa varietas.* M. XXIV. 2. *Ultra Formarum Rerumpub. præſtet.* Ibid. 3. *Singularum incommoda.* ibid. 6. *Reſp. irregularis.* ibid. 8. & P. XXIV. 7. *Reſp. corrupta.* ibid. 9. *Exemplum.* ibid.

Reſp. *nunquam abeſt.* Reſp. *nemini poteſt injuriam facere.* P. XII. 2. *Revolutiones Rerumpubl.* P. XII. 5. & XXIV. 8. *Reſpubl. eſt Perſona Moralis.* P. XXIV. 1. *An Reſpub. liberæ habeant Majeſtatem.* P. XXIV. 3. *An detur Reſp. mixta?* M. XXIV. 6. P. XXIV. 6.

Reſcripta. M. XIII: 10.

Romanum *Imperium non eſſe Qvartam Monarchiam. Diſſ. de Qvart. Monarch.* 12, & *ſeq.*

*De Scriptis* Romanorum *dictis moritur. P. I. 6.*

Romanorum *virtutes ex mera ratione Status P. III. 5.*

## S.

*Majeſtatis competit cura* Sacrorum. *M.* XVII. 3. *Non tamen niſi ratione externoum.* ibid. 4. *An* Jus Sacrorum *inſemt Papatum Secularem?* ibid. *Poteſtas Architectonica & Dogmatica in Sacris.* ibid. 5. *An Princeps non qva Princeps, ſed qva Epiſcopus Sacra curet?* ibid. *Exempla exerciti à Principibus in Sacra Imperii.* M. XVII. 6.

*Res* Secularis *qua ſit? M.* XIIX. 1.

Secu-

Digitized by Google

Secularisatio *Bonorum Eccleſiaſticorum cur licita?* M. XVII. 14.
Secularisationis *Natura & Limites.* P. XVII. 15.
Seditio. M. XXIV. 9.
*Joh.* Seldeni *Libri de J. N. Gentium.* P. I. 5.
Servitus *conſideratio.* P. IX. *tot.* Servi Naturales *non niſi nomine tales.* P. IX. 1. *Primâ Servitutis mentio.* P. IX. 2. *Servitus quid ſit?* M. X. 1. *Ejus cauſa.* ibid. 2. *Proprietas.* ib. 3. *Servitus perfecta, ejusdem cauſæ.* ibid. 4. *Cur à Chriſtianis veteribus rejecta fuerit?* ibid. 16. *Cur hodie reducatur?* ib. *Servitus imperfecta.* ib. 5.
Simulatio *quo ſenſu licita vel illicita.* M. XII. 13.
*Cur* Siniſtra *apud Turcas dignior dextra? M. VI. 5.*
Societatis *Natura & diſcrimen à Converſatione.* P. IV. 2.
Societas *quid ſit? M.* XV. 2. *Ejus diſcrimen à Converſatione.* ib. *Cauſa. M. IV.* 13. *An à natura ſit?* M. IV. 4. *Finis.* ib. 5. *Reqviſita.* ib. 10. *Conſequentia.* M. V. 1. *Species.* M. VII. 1.
*Cur crimen* Sodomiæ *tam acerbe puniri oporteat?* VII. 9.
Sponſiones. *M. V.* 12.
*Qui* Spurii *Repub. Iſmaelitarum excluſi. P. VIII.* 9. *An Reſp. extituræ fuiſſent?* M. IX. 5.
*Jus* Stapulæ. M. XIIX. 5.
*An in* Statu Innocentiæ *laborandum fuiſſet.* P. VII. 8.
Subditi *qui ſint?* M XIX. 1. *Subditorum obedientia debet ſimplex & abſoluta eſſe.* M. XIX. 2. *An ad*

*inbe-*

Digitized by Google

*inhoneſta extendi poſſit?* ibid. 3. *Subditum non poſſe inſurgere adverſus Principem ſuum.* M.XIX. 4. *&* P.XIX. 8. *An Princeps habeat Jus Vitæ & Necis in ſubditos.* P. XIIX. 3.
*Externa* Subjectionis *ſigna.* XIX. 6.
Succeſſio *inæqualis præſtat æquali.* M. IIX. 9.10.
Suffragiorum *natura & modus.* P. XIX. 10. & 11.
Superioritatis *& inferioritatis ratio.* P. III. 4.
Suſpenſus *maledictus eſt coram Deo, expl.* P. XV. 7.

# T.

Teſtibus *cur opus ſit in Judiciis?* M. XIV. 3.
Theoretica *Judæorum.* M. XXIV. 7.
Theologorum *Anti-Chriſtianiſmus.* P. XVII. 7.
Theologi *non poſſunt eſſe conductores.* P. XVII. 8.
*Qvi de* Tolerantia *diverſarum Religionum ſentiendum?* M. XVII. 11.
Tormenta *non derogant Virtuti Bellicæ.* P. XXII. 20.
Tormeamenta. P. XXII. 4.
Tortura *cur adhibeatur?* M. XIV. 5. Torturæ *Conſideratio.* P. XIV. 6.
Tributa. P.XX. *tot.* Tributorum *à Donativis differentia.* M. XX. 1. P. XX. 5. *Jus* Tributa *imponendi eſt Principis.* ib. 2. *Finis* Tributorum. ibid. 3. *Cur alii Subditorum plus, alii minus pendant:* ib. 4. *Unde peti debeant Tributa?* ib. 6. *Modus colligendi.* ibid. 7.
*Amplitudo Imperii* Turcici. *Diſſ. de Quart. Monarchia.* 4.

*Cur*

*Cur* Turcæ *remotiores Provincias deſolentur.* P. XI. 7.

Tyrannus. M. XXIV. 9.

## V.

Vaſalli. M. XIX. 10.

Vectigalia. M. XX. 8. *Eorum elocatio.* M. XX. 7.

Velorum *demiſſio ſignum Recognitionis Imperii maris.* P. VI. 5. *Inter Belgas & Anglos in controverſiam vocata & deciſa.* Ibid.

*An* Venenis *in hoſtem agere liceat?* M. XXIII. 10.

Venia. M. XV. 23.

Vicus *quid?* XI. 7.

Viduitatis *conſideratio.* P. VII. 9.

*An Reſp.* Virgines *ſtupro tradere poſſit?* M. XXI. 9.

Vita Solitaria. M. IV. 2. *Fortiorem eſſe, qui vitam ſociam vivit quam qui ſolitariam.* ibid.

Vota *quid ſint? M. V. 13. An ad certas res indifferentes extendi poſſint.* ib.

Urbis *& Civitatis diſcrimen.* M. XI. 8. *An è re ſit Urbes in immenſum augeri.* ibid.

## W.

Waremundæ ab Ehrenberg *verum nomen.* M. I. 5.

Wildfangii. M. X. 5.

Wilhelmus Pr. *Orangii taciturnitas.* M. XIII. 12.

FINIS.

BRITISH 12 FE 80 MUSEUM

Digitized by Google